

Commissio Liturgica Ordinis Cisterciensis

**TEXTUS PROPRII
LITURGIAE HORARUM**

**AD USUM
ORDINIS CISTERCIENSIS**

Auctoritate Capituli Generalis
de mandato Abbatis Generalis

Romae 1990

ABBREVIATIONES FONTIUM ANTIPHONARUM

ET HYMNORUM

	AC1	Antiphonarii Cisterciensis Pars prima: Vigiliae Nocturnae, Westmalle 1955.
	AC2	Antiphonarii Cisterciensis Pars altera: Horae diurnae, Westmalle 1954.
	ALC	Appendix ad Libros cantus O. Cist., Altaeripae 1974
	AM	Antiphonale Monasticum pro diurnis horis, Tournai 1934.
	Hauterive	Collectio antiphonarum pro Divino Officio (pro manuscripto).
	Heiligenkreuz	Antiphonale Divini Officii, pro manuscripto.
	HIBR	Hymni instaurandi Breviarii Romani, Città del Vaticano 1968.
	Lentini	Vetera et Nova pro Hymnodia Liturgiae Horarum Propriae O.S.B., Romae 1975.
	OCO	Ordo Cantus Officii, "Notitiae" 19 (1983) 357-528.
	PC	Processionale Cisterciense, Westmalle 1946.
	PsC	Psalterium Cisterciense, Westmalle 1956.
	PsM	Psalterium Monasticum, Solesmes 1981
	RB	Liber Responsorialis O.S.B., Solesmes 1895.
	SAC	Supplementum Antiphonarii Cisterciensis, Westmalle 1966.
	SAM	Supplementum Antiphonalis Monastici, Tournai 1934
	SHC	Supplementum Hymnarii Cisterciensis, Westmalle 1966.

Si quis, decepta cura, surrepserit error,
doctior emenda, commiserando bonus.

Die 2 ianuarii

SS. BASILII MAGNI ET GREGORII NAZIANZENI,
episcoporum et Ecclesiae doctorum

Memoria

Basilus natus est Caesareae in Cappadocia anno 330 ex familia christiana; litteris eruditus et virtutibus micans, vitam eremiticam agere coepit, sed anno 370 episcopus suae civitatis factus est. Contra Arianos pugnavit; multa egregie scripsit, et praecipue monasticas regulas, quibus plurimi orientales monachi etiam nunc astringuntur; egenos magnopere iuvit. Mortuus est anno 379, die 1 ianuarii.

Gregorius eodem anno 330 prope Nazianzum natus, multas peregrinationes suscepit ad scientiam acquirendam. Amicum Basiliū in solitudine secutus est, sed presbyter et episcopus ordinatus est. Anno 381 episcopus Constantinopolitanus electus est; attamen, propter factiones Ecclesiam suam dividentes, Nazianzum recessit, ubi mortuus est die 25 ianuarii anni 389 vel 390. Eximiae doctrinae et eloquentiae gratia "theologus" vocatus est.

De Communi pastorum: pro pluribus, vel de Communi doctorum Ecclesiae.

Ad Vigilias

Lectio altera

Ex orationibus sancti Gregórii Nazianzéni episcopi
(Oratio 43, in laudem Basiliī Magni,
15. 16-17. 19-21: PG 36, 514-523)

Quasi una anima, duo corpora ferens

Habébant nos Athénæ, velut fluxum quandam flúminis, ex eódem pátriae fonte in divérsas regíones doctrínae cupiditáte disséctos, rursumque, velut ex compósito, Deo vidélicet ita impellénte, coeúntes.

Tunc igitur meum magnúmque Basiliū, non ipse solum veneratióne prosequébar, quod illiū tum in móribus gravitátem, tum in sermóníbus maturitátem et prudéntiam conspicerem; sed áliis étiam, quibus non perinde cóngnitus erat, ut idem fácerent persuadébam. Nam apud multos statim in veneratióne erat, ut qui fama et auditióne iam eum paecepísent.

Ex quo quid cónsigit? Ipse solus fere ex ómnibus, qui studiórum causa Athénas veniébant, commúni lege solútus est, maiórem útique honórem, quam tirónis condício ferre videbátur, consecútus. Hoc nobis ami-

cítiae praelúdium; hinc necessitúdinis ignículus; sic mútuuo amóre sau- ciáti sumus.

Ut témporis progréssu desidérium nostrum mútuuo inter nos conféssi sumus, ac philosophiam id esse quod a nobis expeterétur, tum vero iam utérque áltéri quidvis erámus, contubernáles, convictóres, concórdes, unum idémque spectántes, ferventius cotidie ac fírmius desidérium nobis invicem colligéntes.

Par spes doctrínae, hoc est, rei ómnium invidiosíssimae, nos ducébat; et tamen áberat invidia, aemulátio autem in prétio habebátur. Hoc utríque certámen, non uter primas ferret, sed uter áltéri eas concéde- ret; utérque enim alterius glóriam pro sua ducébat.

Una utríque ánima videbátur, duo cónpora ferens. Quod si fides iis mímine habénda est, qui ómnia in ómnibus rebus sita esse dicunt; at nobis certe credéndum est, quod utérque in áltiero et apud áltérum siti erámus.

Unum utríque opus et stúdium, virtus erat, et ad futuras spes víve- re, nosque ita comparáre, ut, ante discéssum ex hac vita, hinc migraré- mus. Quod quidem nobis ob óculos ponéntes, vitam actionésque omnes no- stras dirigebámus, tum divini praecépti ductum sequéntes, tum áltér áltéri virtútis stúdium exacuéntes; atque, nisi hoc arrogántius dícere videar, utérque áltéri norma et amússis erámus, qua rectum a pravo di- scérnitur.

Et cum áliis ália quaedam cognoménta sint, vel a paréntibus ac- cépta, vel ex seipsis, hoc est, ex pròpriis vitae stúdiis institutisque comparáta: nobis contra, magna res et magnum nomen erat, christiános et esse et nominári.

Responsorium

Dan 2, 21-22; 1 Cor 12, 11

R. Dat Dóminus sapiéntiam sapiéntibus et sciéntiam intelligén- tibus disciplinam: * Ipse revélat profunda et abscónrita, et lux cum eo inhábitat.

Y. Haec autem operátur ómnia unus atque idem Spíritus, dívidens singulis prout vult. * Ipse.

vel

E Régulis fúsius tractátis sancti Basili Magni episcopi
(Resp. 7, 1-2: PG 31, 927-930)

Vitam quae simul cum pluribus agitur utiliorem esse scio

Vitam quae simul cum plúribus ágitur ad multa utiliórem esse scio. Ac primum quidem quod nemo nostrum sit, qui sibi ipsi sufficiat ad sub- leváandas cónporis necessitátes, sed in comparándis rebus necessáriis áltér alterius ópera indigeámus. Quemádmodum enim pes áliam quidem ób- tinet facultátem, ália vero caret, et neque sine reliquórum membrórum

auxilio suam ipsius vim réperit idóneam, aut perseveránter sibi ipsi sufficiéntem, neque in se subsídia habet, quae quod sibi deest, súp- pleant; ita quoque in solitária vita, et quod adest nobis, inútile rédi- ditur, et quod deest, comparári non potest; siquidem ópifex Deus nos áltérum alterius ope egére decrévit, sicut scriptum est, ut sic inter nos coniungámur.

Sed praetérea diligéndi Christi rátio et modus unumquémque quod pròprium sibi fúerit, spectare non sinit: "Cáritas enim, inquit, non quaerit quae sua sunt" (1 Cor 13, 5). Vita autem solitária et seórsum a caéteris ómnibus acta scopum únicum habet, ut suis quisque utilitá- tibus insérviat. Hoc autem apérte adversátur caritátis legi, quam implévit Apóstolus, qui non sua, sed multórum cómmoda quaerébat, ut salvi fierent.

Adhaec in huiúsmodi secéssu unusquisque ne delictum quidem suum fácile cognóscet, cum non hábeat a quo redarguátur, et mansuéte ac cle- ménter corrigátur. Reprehénsio enim quae ab inimico étiam fit, saepe in viro probo et aequo sanitatis quaeréndae desidérium parit; peccá- tum vero ab eo qui sincére díligit, sciénter curátur. "Qui enim, inquit, díligit, díligénter érudit" (Prov 13, 24). Talem autem in soli- túdine reperire diffíllimum est, si prius in vitae societátem adiúnctus non fúerit. Quare áccidit ei quod dictum est: "Vae uni, quia si ceciderit, non est qui érigat eum" (Sir 4, 10).

Adhaec praecépta plura a plúribus simul congregátis fácile perfí- ciúntur, ab uno non item: quandóquidem dum unum fit, impedítur áltérum.

Quod si étiam omnes, qui fúimus in una vocatióni spe assúmpti, unum corpus sumus, ac caput Christum habémus, sumúsque singuli álli aliórum membra, nisi per concórdiam in Sancto Spíritu coamentémur in unius cónporis compágem; contra, si quisque nostrum éligat vitam solitáriam, neque in rebus dispénsándis commúni utilitáti, ut Deo accéptus sit, insérviat, sed illi suae cupiditáti in qua sibi placet, obsequátur qui fieri pótterit, ut divisi ac disiúncti mútuam membrórum inter se habi- túdinem, obsequiáque et oboediéntiam nostro cárpi, qui Christus est, servémus ac tueámur? Neque enim póssumus, si vitae génere separémur, una cum eo qui glória affícitur, gaudére.

Responsorium

Rom 12, 5-6; 1 Cor 12, 13

R. Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alte- riús membra. * Habéntes autem donatiónes secúndum grátiam, quae data est nobis, differéntes.

Y. Omnes nos in unum corpus baptizáti sumus, et omnes unum Spí- ritum potáti sumus. * Habéntes.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Qui docti fuérint, fulgébunt quasi spléndor firma- ménti, et qui ad iustítias erúdint multos, quasi stellae in perpétuas aeternitátes. OCO; ALC 18

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beatórum Basílii et Gregórii exémplis et doctrínis dignátus es illústrare, concéde, quáesumus, ut tuam discámus in humilitáte veritátem, et eam in caritáte fidéliter operémur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Isti sunt viri sancti quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam, quórum doctrína fulget Ecclesia ut sole luna. OCO; ALC 18

Die 10 ianuarii

S. GREGORII NYSENII, episcopi

Memoria ad libitum

Gregorius Caesareae in Cappadocia anno circiter 335 ortus, frater minor natu sancti Basílii Magni erat. Anno 371 episcopus Nysse nae civitatis in Cappadocia creatus, in elaboranda doctrina ascetica et mystica in Orientis partibus et in explicandis fundamentis Bibliae et philosophiae enixe operam dedit, quod praesertim in eius operibus claris De vita Moysis et De virginitate plane elucet. Bre vi post annum 394 mortuus est.

De Communi pastorum: pro episcopis.

Ad VigiliasLectio altera

Ex tractatu De vita Moysi sancti Gregorii Nysseni episcopi
(PG 44, 402-403 et 430)

Amicitia Dei sola vita hominis perficitur

Magnus Moyses, cum semel per scalam in qua Deus inníxus erat, ut Iacob dicit, ascéndere coepisset, numquam stetit, numquam térmínus mortis novit, sed semper de gradu in gradum ascendébat, nec enim deficere umquam potest áltior gradus.

Ac tot tantisque sublimatióibus elátus adhuc ardet desidério, adhuc tamquam faméscens ac sítiens, tamquam eo carens quo semper fruebá tur, orat ut Deum vídeat, non ut ipse cápere potest, sed ut se habet qui desiderátur. Unde árbitror imméndo desidério atque ardénti erga

Deum ita fuisse afféctum, quod visiónibus sibi enítuit, ut ferre non posset, quin ab iis quae comprehéndit, ad occultiára compélleret: quo circa suprémae pulchritúdinis amátor, quod iam víderat, tamquam imáginem eius quod non víderat credens, ipso frui primitivo desiderábat. Id ergo vult audax in monte illo petito, ne per spécula et imágines, sed per veram et própriam fáciem frui pulchritúdine posset.

Divína vero vox per ea quae negat, concédit quod pétitur, páuculis verbis imménsam sententiárum profunditaté subapériens. Annuit enim factúrum se quod petebátur: finem autem atque cessatióne huius desidé rii futúrum non promisit, nec enim ita quispiam Deum vídere potest ut vídendi désinat desidérium. Nam in hoc profécto Deus vídétur, ut num quam désinas ad eum respícere.

Est ergo interminábilis divína natúra, et intermináibile comprehéndi non potest. Quare qui divinam pulchritúdinem vídere desiderat, et ad id tendit, in hoc cursu semper consistat. Et id est vere Deum vídere, ut numquam id desidérium terminetur. Quare necesse est, ut cum videámus, sicut nobis possibile est, maióre vídendi desidério exardescámus, et sic nullus unquam térmínus abscíndet nobis iter huius, cum neque ipsius boni térmínus áliquis sit, nec satietas desidérii huius possit fieri.

Haec habes de vitae perfectiōne cum virtútis laude tradúcta, homo Dei, meum in hac brevi oratiōne iudicium: nam tanquam exemplar quoddam perfectiōnis vitam Moysi descripsimus, ex qua unicuique nostrum per institutórum imitatióne in se monstrátae huius pulchritúdinis charáctera depíngere licébit. Quod autem perfectiōnem hómini possibilem Móyses assecútus est, divinae vocis testimónio perhibétur: "Cognóvi te", inquit, "praeter omnes". Accédit, quod amicus Dei ab ipso Deo nuncupá tus est. Praetérea cum peccátis pópuli Deus irátus delére volúerit ómnes, cumque Móyses una cum pópulo perire malúerit, quam absque pópulo vivere; tunc Deus, ut amico morem géreret, placátus est; quae ómnia osténdunt, ad humánae perfectiōnis ápicem illum pervenisse.

Quóniam ergo perfectiōnem humánae vitae quaerebámus, eámque, ut potúimus, adinvénimus: nihil iam restat, nisi ut ad exémplar istud vivámus, ac diligénter quaecúmque áltius intellécta história nobis propó suit, ad vitam transferéntes a Deo cognoscámur, et amici Dei efficiám ur. Id enim certe perféctio est, ut non timore poénárum, sicut mancipium, a vitiis declínes, nec virtútem spe praemiórum, quasi mercatóris afféctu in negotiatióibus et contráctibus, amplectáris; sed negléctis étiam iis quae in promissiōibus per spem sunt recóndita, unum terríbile arbitréris ab amicitia Dei repélli; unum expetibile solum, amicitiam Dei; qua sola, meo iudicio, vita hóminis perficitur. Hoc ipsum ubi sublata ad sublimiára ac diviniára mente consecútus fúeris commúne id erit lucrum in Christo Iesu Dómino nostro, cui honor et impérium in sáecula. Amen.

Responsoriū

Sir 45, 1. 5. 4.

R. Diléctus a Deo et homínibus, Móyses, cuius memória in bene-

dictióne est. * Auditam fecit illi Deus vocem suam et indúxit illum in nubem.
¶ In fide et lenitáte ipsius sanctum fecit illum. * Auditam.

vel:

Ex tractátu De perfectióne sancti Gregórii Nysséni episcopi
(PG 46, 286)

Perfectio est ut qui augetur in melius, numquam sistat

In hoc, meo quidem iudicio, christiánæ vitae perféctio sita est, ut nōminum quibus Christi nomen significátur participes, eórum vim et ánimo, et oratióne, et vivéndi institútis exprimámus, ut absolútam illam a Paulo commendátam sanctitátem suscipiéntes, nos íntegro et cörpore et ánimo, et spiritu nulla mali permixtióne contaminátos conservémus (1 Thess 5, 23).

Quod si quis ad perféctam virtútē assequéndam díficillimam esse vitam obiiciat, cum ex omni creatura solus immutábilis sit Christus, incónstans autem natúra humána et ad mutatiónes proclivis, ideoque fieri non posse, ut ad eam perveniámus, ibique firmi et immutábiles consístamus, huic respondébimus, athlétam nullum coronári, qui non legítime certáverit; certámen porro non esse legitimum, si nullus quocum pugnes adsit adversárius. Quamobrem si adversárius non est, coróna non erit; victória enim, nisi áliquid victum est, esse non potest. Cum illo igitur, quod in natura nostra mutábile est, tamquam cum adversário ea ratióne compósiti decertémus, ut ipsam non deiiciéntes, sed cadere non permitténtes, victóres simus. Neque vero ad malum tantúmmodo propensióne habet homo: nam si ad eam partem dumtáxat natúra proclivis esset, ad bonum sese non posset convértere.

Nunc autem pulcherrimum motiónis opus est, ipsum in bonis incremén-
tum, cum impetu illo quo ad mélius tráhimur, is qui recte movétur, as-
sídue transferétur ad ea quae divinióra sunt. Id ergo, quod formidándum videbátur, nempe natúram nostram mutábilem esse, nobis tamquam alas, quibus ad maióra volémus, praeberé demonstrávimus: damno enim id nobis futúrum fuisse, si mutatióne ad mélius suscípere non possémus. Ne quis igitur vim in natúra mutatióibus aptam et idóneam cernens dóleat aut conquerátur, sed sese continéter in mélius prómovens et de glória in glóriam tránsferens, cotidiánis incremén-
tis ita vertátur, ut in dies mélior et perféctior fiat, nec umquam se ad perfectiónis metam perve-
nisse sibi persuádeat. Ea enim vere perféctio est, ut qui augétur in mélius, numquam consístat, neque téminis ullis perfectiónem existimet esse conclúsam.

Responsorium

Phil 3, 13-14; 2 Cor 3, 18

R. Quae retro sunt oblívisciens, ad ea vero, quae ante sunt, ex-
téndens me, * Ad destinátum pérsequor, ad bravum supérnae voca-
tiónis Dei in Christo Iesu.

¶ Nos omnes reveláta fácie glóriam Dómini speculántes, in eádem imáginem transformámur a claritáte in claritátem. * Ad destinátum.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Sapiéntia clámitat in platéis: Si quis diligit sapiéntiam, ad me declinet, et eam invéniet, et eam cum invénerit, beá-
tus est si tenérerit eam. viii AC2 252

Oratio

Deus, cuius laudes beátus Gregórius epíscopus magno vitae et doc-
trínae splendóre concinuit, concéde propícius, ut quae retro sunt obli-
viscéntes, et ad prióra nos iúgiter extendéntes, bravum supérnae voca-
tiónis feliciter attingámus. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Hic vir, despiciens mundum et terréna, triúmphans,
divítias caelo cóndidit ore, manu. viii AC2 35*

Eodem die 10 ianuarii

S. GULIELMI BITURICENSES, episcopi O.N.

Memoria ad libitum

Gulielmus (Donjeon) anno 1150 e stirpe Comitum Nivernensium ortus, vitam egit valde motam. Ex Canonico Ecclesiae Parisiensis monachus Grandimontensis factus, anno 1167 Pontiniacum ad Cistercienses transiit. Deinde abbas Fontis Ioannis, postea Caroliloci electus, anno 1199 archiepíscopus Bituricensis creatus est: quo in munere obeundo peculiarem caritatem erga presbyteros suos, captivos et miseros ostendit. Anno 1209 e vita migravit.

De Communi pastorum: pro episcopis.

Ad Vigilias

Lectio altera

Ex litteris sancti Bernárdi abbátis
(Epistula XLII, 10-11: Edit. Cist. VII, 108-109)

Episcopus quaerat Dei honorem et salutem proximorum

Púritas cordis in duóbus consístit: in quaerénda glória Dei et uti-

litáte próximi, ut in ómnibus vidélicet actis vel dictis suis nihil suum quaerat epíscopus, sed tantum aut Dei honórem, aut salútem proxí- morum, aut utrúmque. Hoc enim agens implébit non solum pontíficis offi- cium, sed etymolágiam nóminis, pontem útique seípsum fáciens inter Deum et próximum. Pertingit pons iste usque ad Deum ea fidúcia, qua non suam, sed illius glóriam quaerit. Pertingit usque ad próximum illa pie- tate, qua et ipsi, non sibi prodésse desiderat.

Offert Deo bonus mediátor preces et vota populórum, repórtans illis a Deo benedictionem et gratiam. Súpplicat maiestáti pro excéssibus delinquéntium, vindicat in peccántes iniúriam Dei. Ingrátis impróperat benefícia pietátis, contemnentibus poténtiae severitátem insinuat, utrisque tamen nihil minus placáre studet indignántis furórem, nunc quidem hóminum obténdens infirmitátem, nunc divinae magnitúdinem pietátis. Denique sive excédat Deo, sive sóbrios sit nobis, aut Deo semper, quantum in ipso est, praestáre gestit, aut nobis, non quod sibi omnino útile est quaerens, sed quod multis.

Fidélis póntifex qui bona quáelibet per manus suas transeúntia, sive divína benefícia ad hómines, sive hóminum vota ad Deum, columbino intuens óculo, nihil sibi reténtat ex ómnibus. Nec pópuli requírit da- tum, sed lucrum, nec Dei glóriam usúrpat sibi. Accéptum taléntum non ligat in sudário, sed partitur nummuláriis, a quibus et usúras rácipit, non sibi, sed Dómino. Non habet fóveam ut vulpes, non tamquam vólucres nidum, non lóculos quómodo Iudas, non déniue, sicut nec Mária, locum in diversório. Imitátur profécto illum qui non habébat ubi reclináret caput, factus in praeentiárum "tamquam vas pérditum": quandóque procul dúbio futúrum vas in honórem et non in contuméliam. Déniue perdit ánimam suam in hoc mundo, ut in vitam aeternam custódiat eam. Hoc tanto puritátis intimae bono gloriári non potest veráciter, nisi qui exstrín- secas gloriálas perfécte respúerit.

Nec enim pure válet Dei vel próximi quárere lucra, qui própria non contémperit. Is tantum puritátis interiórís glória non fraudátur, qui dicere potest cum Dómino: "Si ego quaero glóriam meam, glória mea nihil est", et cum Apóstolo: "Mihi vivere Christus est, et mori lu- crum", et cum Propheta: "Oblivióni datus sum, tamquam mórtuus a corde", id es a própria voluntáte. Bona oblívio, si teípsum néscias, ut próximo prosis. Bene autem "mórtuus a corde", si iam non tibi vivere stúdeas, sed ei qui pro te mórtuus est. Bene mórtuus est a corde, qui dicit: "Vivo autem, iam non ego". Sed si mórtuus a se, non tamen a Christo. Séquitur enim: "Vivit vero in me Christus". Mortem hanc, quae sit a corde, infert cáritas, de qua lóquitur sponsa in Cánticis: "Vulneráta caritáte ego sum. Fortis quippe est ut mors diléctio", et mortem in nobis, non vitam occidit. Unde et audácter mináatur: "O mors, ero mors tua". Peccátum extinguit, quod ánime vitam expúlerat, animámque re- stítuit innocéntiae.

Responsorium

Gal 6, 9. 8; 2, 20

R. Bonum faciéntes infatigábiles, témpore enim suo metémus non deficiéntes. * Qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet

vitam aetérnam.

y. Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus. * Qui autem.

vel:

E vita sancti Guliélmi a quodam coaevo auctóre conscripta
(Analecta Bollandiana 3/1884/284-288)

Opera verbis, verba opéribus sibi respondérunt

Atténdens fámulus Dei quod ómnium virtútum fidélis custos exístít humilitas, quodque Fílius hóminis idémque Fílius Dei, cum sit Dóminus et cónditor ómnium, nec umquam non fuérunt illi subiecta quae cóndidit, cum ad nos de sinu Patris descénderet, non venit ministrári sed mini- stráre, ad exéplum et imitatióne illius qui humilia réspicit et alta a longe cognóscit, se in ómnibus húmilem éxhibet et benignum.

Cumque pontificális adéptus sit fastigium dignitátis, quanto máior est, humiliat se in ómnibus et, in nullo bonis se praeferens, honóre supréesso, aequálem se súbditis religióse vivéntibus députat, illud verbum Principis Apostolórum menti imprimens et consérvans: "Non domi- nantes in clero, sed forma facti gregis" (1 Pt 5,3). Sequens itaque vestígia Magístri et Dómini, quem semper verus stúdium imitári discípu- lus, coepit fácere et docére. Opera verbis, verba opéribus ex aequo sibi respóndent. Nec in ipso honéstas vitae pérverse docéndo, nec sana doctrína in honéste vivéndo destrúitur. Accéptam pecúniam Dómini sui non ábiens fodit in terram, nec percépta dona sub ótio lenti torpóris abscóndit; sed commissum sibi a Deo cum omni diligéntia éxsequi matúrat officium.

Insistens sancto propósito terram humáni cordis incúltam, nonnisi tríbulos et spinas germinántem, vómere sanctae praedicatiónis sulcans excolit; spinárum quoque densitátem sárculo verbi Dei ámputans evéllet et déstruit, virtútum seminária plantans. Sicque domum Dómini de lapi- dibus vivis lignisque levigátis in aedificií structúram mirabiliter consurgentibus aedificáre festinat. Sancta exhortatióne dirigit vias Dómini, rectas fecit sémitas Dei nostri, parans Dómino plebem perfec- tam. Sciens autem quod misericórdia semper exáltet et mitiget iudicium, et píetas promissióne hábeat vitae quae nunc est et futúrae, exércuit se ad pietátem, a trámite tamen iustitiae non recédens. In ipso namque misericórdia et véritas obviavérunt sibi, iustitia et pax osculátae sunt.

Nec ignórans quod hilarem datórem díligit Deus, non ex tristitia aut ex necessitaté sua paupéribus érogans, abiectiores eórum in largitióne eleemósynae sólitus erat praevenire. Débiles et cláudos vocans réficit; et hospitalitátem sectans, hóspites non solum invitat sed traxit, et domum intráre compéllans, cum débita súscipit veneratióne. Omnes in Christo díligit, ómnibus prodésse desiderat, qui pro salúte ómnium vénérat.

Responsorium

Ps 88 (89), 20-22; Ier 3, 15

R. Locútus es sanctis tuis et dixisti: Exaltávi eléctum de plebe mea: invéni David servum meum. * Oleo sancto meo unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei.

Y. Dabo vobis pastóres iuxta cor meum, et pascent vos sciéntia et doctrína. * Oleo sancto.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Qui maior est vestrum erit minister vester, et qui se humiliáverit exaltábitur. viii T. AC2 129

Oratio

Deus, fidélium lumen et pastor animárum, qui beátum Guliélum epíscopum in Ecclésia posuísti ut oves tuas verbo pásceret et informáret exémplo, da nobis, eius intercessióne, et fidem serváre, quam verbo dócuit, et viam sequi, quam exémplo monstrávit. Per Dóminum.

vel:

Exáudi, quáesumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Guliélmi epíscopi festivitaté deférimus, et, qui tibi digne méruit famulári, eius intercessióne nobis concéde mentis humilitátem, oratiónis instántiam, morúmque sanctitátem. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Iste cognóvit iustítiam, et vidi mirabilia magna, et exorávit Altissimum, et invéntus est in número Sanctórum. iv T. AC2 31*

Die 12 ianuarii

S. AELREDI RIEVALLENSIS, abbatis O.N.

Memoria

Aelredus anno circiter 1110 Hagulstad (Hexham) in Scotia natus et ibidem in aula regis educatus, anno 1133 in monasterium cisterciense Rievallis ingressus, deinde primus abbas de Revesbia constitutus est. Postea anno 1146 ad Rievallensem abbatiam promotus, per viginti circiter annos monasterium rexit praecepua caritate eminenſis; ibique tractatum illum "De spirituali amicitia" scripsit.

Nec laboribus nec rebus adversis praepediri potuit quin discipulos suos omni benevolentia susciperet. Vitae monasticae magister optimus ab aequalibus quasi S. Bernardi aemulus indivisus habitus est. Mortem obiit anno 1167.

De Communi Sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad VigiliasLectio altera

Ex Oratióne pastoráli beáti Aelredi Rievallensis abbátis
(Opera omnia, Corpus Christianorum Continuatio Medievalis I, 760-763)

Peto sapientiam ut sciam regere populum tuum

Ecce, dulcis Dómine, ecce in conspéctu tuo pópulus tuus peculiáris, ante quorum óculos crux tua, et signa passiónis tuae in eis. Hos regéndos commisisti huic peccatóri sérvulo tuo. Deus meus, tu scis insipiéntiam meam, et infirmitas mea a te non est abscondita. Peto itaque, dulcis Dómine, non aurum, non argéntum, non lápides pretiósos dari mihi, sed sapiéntiam ut sciam régere pópulum tuum.

Tu scis, Dómine, cor meum; quia quidquid déderis servo tuo, volúntas mea est ut totum impendátor illis, et totum expendátor pro illis. Sic fiat, Dómine mi, sic fiat. Sensus meus et sermo meus, ótium meum et occupáatio mea, actus meus et cogitáatio mea, prospéritas mea et advérsitas mea, mors mea et vita mea, sánitas mea et infirmitas mea, quidquid omnino sum, quod vivo, quod séntio, quod discérho, totum impendátor illis et totum expendátor pro illis, pro quibus tu ipse non dedignabáris expéndi.

Doce me itaque servum tuum, Dómine, doce me, quaeso, per Spíritum sanctum tuum, quómodo me impéndam illis et quómodo me expéndam pro illis. Da mihi, Dómine, per ineffábilem grátiam tuam, ut patiénter sustíneam infirmitátes eórum, pie compátiar, discréte subvéniam. Discam magistério Spíritus tui maéstos consolári, pusillánimes roboráre, lapsos erigere, infirmári cum infirmis, uri cum scandalizátis, ómnibus ómnia fieri, ut ómnes lucrifáciam.

Tu scis, dulcis Dómine, quantum diligam eos, quómodo effusa sint in illos viscera mea, quómodo liquéscat super illos afféctus meus. Tu scis, mi Dómine, quod non austeritáte neque in poténtia spíritus mei ímperem illis, quómodo optem in caritáte prodésseret magis quam praeesse illis, in humilitáte substénni illis, afféctu autem esse in illis, quasi unus ex illis.

Exáudi me itaque, exáudi me, Dómine Deus meus, ut sint óculi tui aperti super illos, die ac nocte. Expánde, piissime, alas tuas, et protége eos; exténde déxteram tuam sanctam et benédic eos; infúnde in cora eórum Spíritum tuum sanctum; qui servet eos in unitáte Spíritus et vínculo pacis, in carnis castitáte et mentis humilitáte.

Hoc unum peto a dulcissima pietáte tua, Dómine mi, ut quidquid

illud fúerit, sive parvum sive multum, fáciás me servum tuum ómnium quae déderis fidélem dispensatórem, discréatum distributórem, prudéntem provisórem.

Ego autem comméndo eos sanctis mánibus tuis et piae providéntiae tuae, ut non rápiat eos quisquam de manu tua nec de manu servi tui cui commendásti eos, sed in sancto propósito feliciter persevérant, perseverántes autem vitam aetérnam obtíneant, te praestántे dulcissimo Dómino nostro, qui vivis et regnas per ómnia sáecula saeculórum. Amen.

Responsorium

R. Cáritas est summum bonum, amplum donum, in qua pendet omnis ordo praeceptórum, per quam vetus atque nova lex implétur; * Per quam ac próximus diligítur, per quam caelórum regnum adipíscitur.
V. Ille namque tenet et quod latet et quod patet in divinis sermóibus, qui caritátem servat in móribus. * Per quam.

vel:

Ex tractátu De spiritáli amicitia sancti Aelrédi abbátis Rievallénsis
(Opera omnia I: Corpus Christianorum Continuatio Medievallis
I, 348-349)

A sancto illo amore quo amplectitur amicum,
ad amorem concendens quo amplectitur Christum

Primum est ut semetíspsum quisque castificet, nihil sibimet indúlgens, quod indecens sit; nihil sibi súbtrahens, quod utile sit. Sic vero se ipsum diligens, diligat et próximum, eámdem régulam sequens. Sed quia hic amor multos cóligit, ex ipsis éligat quos ad amicitiae secréta lege familiári admittat, in quem suum copióse infúndat afféctum; denúdans pectus suum usque ad inspectiónem víscerum et medullárum, cogitatiónum et intentiónum cordis.

Eligátur autem non secúndum afféctionis lasciviam, sed secúndum ratatiónis perspicáciā; similitúdine morum et contemplatióne virtútum. Deínde sic se impéndat amico, ut lévitas omnis absit, iucúnditas assit; nec ordináta desint benevoléntiae et caritátis officia vel obséquia. Iam exinde probétur fides eius, probétur honéstas, probétur patiéntia. Accédat paulátim consiliórum communio, assidúitas parílium studiórum, et quaedam conformátio vúltuum.

Sic enim conformári sibi debent amici ut statim cum alter álterum viderit, étiam similitúdo vultus unius in álterum transfundátur; sive fúerit deiéctus tristitia, sive iucunditáte serénus. Ita eléctus atque probátus, cum certum tibi fúerit, quod nihil velit, quod dedéceat, vel pétere ab amico, vel praestáre rogátus; constiterítque tibi amicitiam eum virtútem putáre, non quaestum; adulatióne fúgere, detestári assentióne; inventúsque fúerit liber cum discretiōne, pátiens in correptiōne, firmus et stábilis in dilectiōne; tunc illa spiritális sentitur

dulcédo, "quam bonum", scilicet, "et quam iucúndum, habitáre fratres in unum" (Ps 132 (133), 1).

Quam útile tunc dolére pro invicem, laboráre pro invicem, ónera sua portáre invicem, cum unusquisque pro áltero semetíspsum neglégere dulce habet; alterius voluntátem suae praeférre, illius necessitáti magis quam suae ipsius occúrrere; advérsis semet oppónere et expónere. Intérea quam dulce habent conférre invicem, sua stúdia mútuo patefácre, simul examináre ómnia, et de ómnibus in unam convenire senténtiam.

Accédit et pro invicem orátiō, quae in amici memória tanto efficácius, quanto affectuósius ad Deum emittitur, profluéntibus lácrimis, quas vel timor éxcutit, vel afféctus élicit, vel dolor edúcit. Ita pro amico orans Christum, et pro amico volens exaudíri a Christo, ipsum diligénter et desideránter inténdit; cum súbito et insensibíliter aliquando afféctus in afféctum tránsiens, et quasi e vicino ipsius Christi dulcédinem tangens, incipit "gustáre quam dulcis est", et "sentire quam suávis est".

Ita a sancto illo amóre quo ampléctitur amicum, ad illum conséndens, quo ampléctitur Christum; spiritálem amicitiae fructum pleno laetus ore carpébit; plenitúdinem ómniū exspéctans in futúrum.

Responsorium

Ps 132 (133), 1; Sir 25,12

R. Ecce quam bonum et quam iucúndum * Habitáre fratres in unum.
V. Beátus, qui invenit amicum verum, et qui enárrat iustitiam auri audiénti. * Habitáre.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Collaudábunt multi sapiéntiam eius, et usque in sáeculum non delébitur. v T. AC2 29*

Oratio

Deus, qui beáto Aelrédo abbáti dedísti ómnibus ómnia fieri, da nobis eius exémplo ita nosmetípsos pro frátribus semper impéndere, ut spíritus unitátem in vínculo pacis aedificáre valeámus. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Ad Magnificat ant. Vos amici mei estis, si fecéritis quae praecípicio vobis, dicit Dóminus. i T. AC2 2*

Die 15 ianuarii

SS. MAURI ET PLACIDI, discipulorum S.P.N. Benedicti

Memoria

Nomina discipulorum quos S. Benedictus valde dilexit, nobis tantum liber secundus Dialogorum S. Gregorii Magni Papae tradidit. Iuxta quem filii patriciorum Romanorum fuerunt, alter Equitii, Tertulli alter. A quibus cum S. Benedicto Sublaco in monastica conversatione erudiendi commissi essent, evenit ut Placidus in lacum delapsus a Mauro servaretur. Quapropter in obedientiae monasticae specimen evaserunt.

De Communi Sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad Invitatorium

Ant. Laudémus Deum nostrum, * in celebritate sanctorum Mauri et Plácidii.

Ad VigiliasHymnus:

1. Qui te, posthabitis omnibus, ambiunt,
horum praesidium, dux, Deus, optime,
quas laudes Placidi, fratri et incliti
Mauri pängimus, accipe.
2. Hic gentilitiis maior honóribus,
spretis laetus adit cláustra palátiis,
calcat delicias, prædia, púrpuram,
ut Christi súbeat iúgum.
3. Sancti propósitam Patris imáginem
gestis compáribus sédulus exprimit;
spectándis púeri lucet in áctibus
vitae norma monásticae.
4. Dum iussis pátriis excitus advolat,
siccis en péibus cónterit aequora,
éducit Placidum gúrgite sóspitem,
Petro par et inámbulat.
5. Hunc frater cúpide iúnior aemulans
spectándus níveis móribus émicat,
praedúlcí sócio quo Pater úberem
fontem cáelitus ímpetrat.

6. Cantus laetítiae sint tibi, Trinitas,
quae vultus sátiás lúmine cálētis;
nos horum tribuas trámite Régulæ
fratrum práemia cónsequi. Amen.

(Lentini n. 10, p. 54)

Lectio altera

E libris Dialogórum sancti Grégorii Magni Papae
(Sources chrétiennes 260, 148-150; 156-158)

Super aquas cucurrit propter oboedientiam

Cum sanctus vir Benedictus in eádem solitúdine virtútibus signisque succréseret, multi ab eo in loco eódem ad omnipoténtis Dei sunt servitum congregáti, ita ut illic duódecim monastéria cum omnipoténtis Iesu Christi Dómini opitulatióne constrúeret, in quibus statútis pátribus duodénos mónachos deputávit, paucos vero secum retinuit, quos adhuc in sua praeſentia áptius erudiri iudicávit.

Coepére étiam tunc ad eum Románae urbis nóbiles et religíosi concúrrere, suósque ei filios omnipoténti Dómino nutriéndos dare. Tunc quoque bonae spei suas sóboles Euthícius Maurum, Tertúllus vero patrícios Placidum trádidit. E quibus Maurus iuvénior, cum bonis polléret móribus, magistri adiútor coepit existere, Placidus vero puerilis adhuc indolis annos gerébat.

Quadam vero die, dum isdem venerábilis Benedictus in cella consisteret, praedictus Placidus puer sancti viri mónachus ad hauriéndam de lacu aquam egréssus est. Qui vas, quod tenúerat, in aqua incáute submittens, ipse quoque cadéndo secútus est. Quem mox unda rápuit, et paene in unius sagittae cursum a terra intrórsus traxit. Vir autem Dei intra cellam pósitus hoc prótinus agnóvit et Maurum festíne vocávit, dicens: "Frater Maure, curre, quia puer ille, qui ad hauriéndam aquam perréixerat, in lacum cécidit, iamque eum lóngius unda trahit".

Res mira et post Petrum apóstolum inusitáta: benedictióne étenim postuláta atque percépta, ad patris sui impérium cóncitus perréxit Maurus, atque usque ad eum locum, quo ab unda ducebátur puer, per terram se ire existimans, super aquam cucurrit, eumque per capíllos tenuit, rápido quoque cursu rédiit. Qui mox ut terram tégit, ad se revérsus post terga respéxit, et quia super aquas cucurisset agnóvit, et quod praesúmere non potuisset ut fieret, miráitus extrémuit factum.

Revérsus ad patrem, rem gestam rétulit. Vir autem venerábilis Benedictus hoc non suis méritis, sed oboediéntiae illius deputáre coepit. At contra Maurus pro solo eius império factum dicébat, seque cónscium in illa virtúte non esse, quam nésciens fecisset. Sed in hac humilitátiis mútuae amica contentiōne accéssit árbiter puer qui eréptus est. Nam dicébat: "Ego cum ex aqua tráherer, super caput meum abbátis melótem vidébam, atque ipsum me ex aquis edúcere considerábam".

Responsorium

Cf. Sap. 19

R. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes praecéptis tuis, * Ut inveniréntur illaési in aquis válidis: terra appáruit árida, et in mari rubro via sine impediménto.

V. Victricem manum tuam laudavérunt páriter, et decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum. * Ut inveniréntur.

vel:

Ex admonitióne ad filium spirituálem auctóris ignóti
(PL 103, 683-686)

Miles Christi regis sui imperio debet obedire

Audi, fili, admonitióne Patris tui, et inclína aurem tuam ad verba mea, et accómoda mihi libénter auditum tuum, et corde crédulo cuncta quae dicúntur auscúlta. Cúpio enim te instrúere quae sit spirituális militia, et quibus modis regi tuo militáre débeas. Intensissime ergo áudiad sensus tuus, et ánimam tuam nullus praégravet somnus; sed ad vigilándum éxcita eam, et ad stúdium intelligéndi sermónen meum. Verba enim ista sunt ex me, sed proláta ex divinis fóntibus. Neque enim nova doctrína instruam te, sed ea quam díddici a pátribus meis. Hanc enim si immiseris in cor tuum, in pace dirigéntur itinera tua, nec approximábit ad te ullum malum, sed procul abscédet a te omnis advérsitas ánimae.

Si ergo cupis, fili, militáre Deo, illi soli militábis. Sicut enim qui militant regi terréno ómnibus iussis eius obédiunt, sic et qui militant regi caeléstí, debent caeléstia custodíre praecépta. Miles terrénus quocúmque loco mittitur, parátus ac promptus est, neque se uxór vel liberórum grácia excusáre audébit; multo magis miles Christi sine áliquo impediménto regis sui debet império obedire.

Miles terrénus contra hostem visibilem pergit ad bellum; tecum vero hostis invisibilis cotidie praeliándo non désinit. Illi contra carnem et sanguinem est dimicáto; tibi vero advérsus spiritália vítia in caeléstibus eluctáto. Ille contra carnálem hostem carnálibus armis útitur; tu vero contra spiritálem hostem spiritálibus armis indiges. Ille in práelio gáleam férream gestat; sed tua gálea Christus sit, qui est caput tuum. Ille lorica, ne vulnerétur, indútus est; sed pro lorica sis fide Christi circúmdatus. Ille pro labóre terréno terrénum áccipit donárium; tu vero pro spiritáli labóre caeléste recipies práemium.

Caeléste enim donum exspéctet mónachus, qui terrénos actus a semet ipso próicit, ne implicet se negótiis saeculáribus militans Deo. Tu autem considera cui regi te ad militándum probásti; et quanto supérius est rege terréno impérium caeléste, tanto praecelléntior est gradus excelléntiae tuae terréno mílite.

Turrim excélsam constrúere cógitas, praepára ergo tibi sumptus ad structúram, ut coeptum aedificium ad perféctum dedúcás; ne quando pree-

tereúntibus vénias in risum, et gratuléntur de te inimíci tui. Haec turris non ex lapidibus constrúitur, sed ex virtútibus ánimae: nec auri, nec argénti indiget súmptibus, sed conversatióne fidei; nam terrénae opes plúrimum ad aedificándum impédiunt. Unus proféctus sit tibi, fili, si Dómino uni servire desideras, nec alicui in vita tua placére conéris nisi illi soli, nec óccupes in divérsis rebus ánimum tuum.

Mt 11, 29-30

Responsorium

R. Tóllite iugum meum super vos et discípite a me, quia mitis sum et húmilis corde. * Iugum enim meum suáve est et onus meum leve. V. Et inveniétis réquiem animábus vestris. * Iugum enim.

Ad Laudes matutinasHymnus:

1. Maure, te fratres célebrant ovántes régula quotquot Benedicti agúntur, cuius es factus mérito decóre primus alúmnus.
2. Pulchra florébat tibi cum iuvénta, hunc Patrem prudens docilisque adísti, atque virtútum, grádiens valénter, summa petébas.
3. Tu fide pura stabilique fultus sic oboedisti, Deus ut per undas te levem ferret, spécimen datúrus nóbile saeclis.
4. Teque colláudant mónachi per orbem grátiae florem, Plácide, ac pudóris, o comes dulcis Patriárchae et heres áemule morum.
5. Roma vos caros veneránda mater ásseclas tanto tribuit magístro, qui foret gentes paríturus ipsi Christi ad amórem.
6. Glóriae laudes moduléntur omnes ore concórdi Triadi supérnae, vívitis cuius gémini perénni luce béati. Amén.

(Lentini n. 11, p. 55)

Ad Benedictus, ant. Sancti qui sperant in Dómino, habébunt fortitúdinem: assúment pennis ut áquila: volábunt, et non deficien. i T. RB 177

Oratio

Deus, qui mirum nobis monásticae conversatiónis exémplar in beátis Mauro et Plácido praebuísti, da nobis eórum sequi vestigia ut praemiórum quoque mereámur obtinére consórtia. Per Dóminum.

Ad VesperasHymnum:

1. Vos ore, fratres cælites,
vos mente laeti dícimus,
quos prima sanctitúdinis
Pater profúdit gérmina
2. Te mira cingit pépetis
coróna, Maure, glòriae,
qui forma nobis inclita
fulges oboediéntiae.
3. Triúmphat inter Angelos
tecum sodális cándidus,
qui stirpis amplae púrpuris
abiécta Christi prætulit.
4. Simul Magistro tráditos,
simul revéxit aequóre
divina vos poténtia,
honóre clarans único
5. Pari corúscos lúmine
vos, o beáti, pósdimus,
ut nos pio solácio
iuvétis et custódia.
6. Sic vestra corde sédulo
servémus hic vestigia,
commúne caelo rédditi
ut consequámur gáudium.
7. Patri per aevum cántica
Natóque sint et Flámini,
qui serta nostro gémmea
vos contulerunt Ordini. Amen.

(Lentini n. 12, p.55)

Ad Magnificat, ant. Electi sunt a Dómino, ut essent monachórum exémplar, et praecipui sanctae Régulae minístri. i T. AM 779

Die 17 ianuarii

S. ANTONII, abbatisMemoria

Inclitus pater monachórum natus est in Aegypto circa annum 250. Parentibus defunctis, bona pauperibus distribuit et in solitudinem recessit ibique vitam paenitentem agere coepit. Multos habuit di-

scipulos; pro Ecclesia laboravit, confessores sustinens in perse-
cutione Diocletiani, et sanctum Athanasium contra Arianos adiuvans.
Mortuus est anno 356.

De Communi sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad VigiliasLectio altera

E Vita sancti Antónii a sancto Athanásio epíscopo conscripta
(Cap. 2-4: PG 26, 842-846)

De vocatione sancti Antonii

Post paréntum óbitum, solus cum sola soróre ámodum parva relictus, cum Antónius decem et octo vel vigínti annórum esset, domus sororisque curam gessit.

Sex autem nondum exáctis ménsibus a paréntum éxitu, cum de more ad Domínicum procéderet, atque secum ánimo cogitáret, qua ratioñe Apóstoli relictis ómnibus secuti sunt Salvatórem, et qui in Actibus Apostolórum, véneditis possessiónibus, prétio afferébant ad pedes Apostolórum ut egénis distribueréntur; nec non quaenam quantáque istis spes in caelis repósita sit; haec secum reputans, i ecclésiam ingréditur, contigitque ut tum Evangélium legerétur, et audívit Dóminum díviti illi dixisse: "Si vis perféctus esse, vade, vende ómnia quae habes, et da paupéribus, et veni, séquere me, et habébis thesáurum in caelis".

Antónius porro quasi divinitus immissa sibi esset sanctórum memória, et quasi sui causa lecta illa fuissent, egréssus quamprimum ex Domínico, quas a maióribus hábuit possessiónes (erant autem illi arúrae trecéntae, fértiles et perquam amóenae) vicánis dono dedit, ne sibi sororique moléstiam afférrent. Mobílibus vero ómnibus véneditis, multam hinc colléctam pecúniam paupéribus distribuit, paucis solum sororis causa reservátis.

Rursus in Domínicum ingréditus, audívit Dóminum in Evangélío dicere: "Nolite solliciti esse in crástinum". Nec ultra illic remanére sústinentis, egréssus, illa quoque tenuiōribus largitus est. Soróre vero virgínibus notis sibi atque fidélibus commédata, atque ad Parthenónem trádita, ut illic educaréatur, ipse ante domum suam ascéticæ vitae deinceps óperam dedit, atque atténtus sibi, ásperum vitae genus toleráter agébat.

Laborábat itaque mánibus suis; audierat nempe: "Qui otiósus fúerit ne mandúcat"; atque hinc partim panem sibi emébat, partim egénis largiebátur.

Frequens orábat, quod didicisset oportére seórsum "sine intermis-
sione oráre": étenim ita atténtus erat lectíoni, ut nihil sibi scriptórum excideret, sed retinéret ómnia; ita ut ipsi deinde memória librórum loco esset.

Omnes autem vici incolae, atque probi viri, quorum consuetúdine

utebatur, eiúsmodi hóminem cernéntes, Dei amicum vocábant; et álii ut filium diligébant, álii ut fratrem.

Responsorium

Mt 19, 21; Lc 14, 33b

R. Si vis perféctus esse, vade, vende quae habes et da paupéribus, et habébis thesárum in caelo; * Et veni, séquere me.

V. Qui non renúntiat ómnibus quae pòssidet, non potest meus esse discípulus. * Et veni.

vel:

Ex Epistulis sancti Antónii abbátis
(Ep. 3: PG 40, 988-989)

Congregávit nos Dominus verbo virtútis suaे

Obsecro vos univérsos in Dómino, caríssimi, ut intelligátis quae scribo vobis. Quia non dilectionem corporálem hábeo in vos, sed caritatem spiritus cultúrae Dei. Praeparáte vosmetípsos ad Condítórem vestrum ire. "Scindite corda vestra, et non vestiménta vestra".

Et scítote quid possímus restituere Dómino pro cunctis donatióibus quae dedit nobis, quique et usque et hic in ista habitatióne memóriam nostri facit, propter imménsam bonitátem suam et infinitam dilectionem, non fáciens nobis secúndum peccáta nostra; qui et solem usque fecit ministráre nobis in tenebrósa domo, lunam quoque ac sidera cuncta iubens deservire vanitáti peritúrae, propter cárporum constabilitiónem, aliásque virtútes multas nobis ministráre praeferit, quas neque vídimus cárporis óculo.

Quid ergo dicémus quasi in áliquo boni fraudémur ab eo quod ipse non fécerit nobis? Numquid patriárchae non passi sunt pro nobis, aut sacerdótes non docuérint nos? Numquid prophétae pro nobis mórtui non sunt, aut apóstoli persecutióne non sustinuérint pro nobis? Numquid Filius Dei diléctus non pro nobis ómnibus mórtuus est?

Ob quae univérsa debémus et ipsi properáre ad pergéndum in omni sanctitaté ad próprium Condítórem; qui cernens creatúram non posse curáre plagam quae facta fúerit Iudáeis própriis vidélicet membris, Pater ipse creaturárum, sciens infirmitátem sensus eórum, est motus viscéribus circa eos, et secúndum multam dilectionem suam non pepérctit unigé-nito Fílio suo, sed ob nostram ómnia salútem trádidit eum propter nostra peccáta. Et iniquitátes quidem nostraræ humiliáverunt eum, livóre autem eius nos omnes sanáti sumus.

Hic congregávit nos ex ómnibus regiónibus verbo virtútis suae, do-nec illam sensus nostri resurrectiōne effécerit, docens nos altérutrum exsistere membra. Docet idcirco univérsis nobis properántibus ad pró-prium Condítórem, exercére habitúdines nostraras ac sensus officia ad agnoscéndam dignitátem, boni malique discrimin, ut sciáti omnes illas Iesu dispensatiónes quas ille próprio dedit afféctu, similis nobis fac-tus per ómnia excépto peccáto.

Responsorium

R. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum.

V. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo et pérmanens in innocéntia sua. * Ipse intercédat.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Si vis perféctus esse, vade, vende quae habes, et da paupéribus, et habébis thesárum in caelo, et veni, séquere me. viii T. (Hauterive)

Oratio

Deus, qui beáto António abbáti tribuísti mira tibi in desérto con-versatióne servire, eius nobis interventióne concéde, ut, abnegántes nosmetípsos, te iúgiter super ómnia diligámus. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Vos, qui reliquistis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam aetérnam possidébitis. i T. AC2 541

Die 26 ianuarii

SS. PP. NN. ROBERTI, ALBERICI ET STEPHANI
Abbatum et Fundatorum O.N.

Sollemnitas

Sancti Patres nostri Robertus, Albericus et Stephanus fundato-res Ordinis nostri et deinceps Abbates Cistercií fuerunt.

Sanctus Robertus, qui anno 1028 vel 1029 in Campania natus, Cistercií abbas anno uno (a 1098 usque ad 1099) extitit mortuusque in monasterio Molismensi die 17 aprilis anni 1111, monasticum stat-um ad simpliciorem vitam reduxit et Novum Monasterium condidit.

Sanctus Albericus, Cistercií abbas ab anno 1099 usque ad annum 1108 opus quod "Instituta monachorum Cisterciensium de Molismo venientium" nuncupatur elaboravit; Regulae amator et fratrū, fi-delis tutor perseverantiae die 26 ianuarii 1108 animam Deo red-didit.

Sanctus Stephanus Harding qui anno circiter 1059 in loco vulgo dicto Merriot in Anglia natus, Cistercií abbas ab anno 1108 usque ad annum 1133 Ordini firmitatem ac incrementum dedit, ipsi "Chartam Caritatis" hereditatem relinquens, post quam primae duodecim filia-tiones fundatae sunt. Regulae amator et loci e vita migravit die 29 martii anni 1134 in monasterio Cistercií.

Ad I VespertasHymnus:

1. Sublímis aula cælitum
novis resúltet gáudiis,
chorúsque noster láudibus
sanctos corónet præsules.
2. Felix domus Cistércii
ornáta sertis Gálliae,
quantum triúmphas cólligens
fructus amoénos árboris.
3. Loco secréto ac fértili
arbor novélla pónitur,
mittens radices áltius
iuxta fluénta grátiae.
4. Hic fixa multos úndique
foecúnda ramos protulit,
quos caritatis vínculo
sibi parens annéxuit.
5. Omni virens iustitia,
transcendit ad caeléstia,
et pro coróna fructuum
datur coróna glóriae.
6. Per te, María, désuper
fundátur unda grátiae,
ut nostra possint pristinos
desérta fructus prómtere.
7. Da, Christe, nobis, quáesumus,
Patrum sequi vestígia,
labóris ut partícipes
pari fruámur glória. Amen.

SHC 5

Psalmodia:

Ant. 1 Super muros tuos, Ierúsalem, constitui custódes: tota die et tota nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini. i T. AC2 261

Ps 109 (110).

Ant. 2 Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustitiam, adépti sunt repromissiónem. i T. AC2 428

Ps 112 (113).

Ant. 3 Via sanctórum recta facta est, et iter sanctórum praeparátum est. ii T. AC1 43*

Ps 146 (147).

Ant. 4 Dabo sanctis meis locum nominátum in Regno Patris mei, dicit Dóminus. viii T. AC1 44*

Ps 147 (147).

Ant. 5 Fulgébunt iusti sicut sol in Regno Patris eórum, allelúia. ii T. AC1 44*

Cant Ap 11, 1718; 12, 10b12a.

Fratres, némini quidquam debeátis, nisi ut invicem diligátis: qui enim díligit próximo legem implévit. Diléctio próximi malum non operátur. Plenitúdo ergo legis est diléctio.

Responsorium:

R. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, Sancti Dei perstítérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper in eis spíritus et una fides.

V. Memória eórum non derelinquéatur, et nomen eórum in aetérnum manet. * Quia unus.

Ad Magnificat, ant. Laetáre, felix Cistércium! Qui te plantavérunt et corroboravérunt, iam gáudent in caelis, allélua. 7 T. (Hauterive)

Preces de Communi monachorum.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Invitatorium

Ant. Christum regem Dóminum, qui in suam militiam vocávit Patres nostros, venite adorémus.

Ad VigiliasHymnus

- Pulsántes cíthara, pángimus Ordinis cunas sub tríplici Praésule nóbiles purae dum rénovant áspera Régulae, iam terris súperos vocant.
- Fulgens stella velut, quam cita púllulat proles illa Patrum, sáltibus ábda! Hic nam sub frágili córpore cérneres caeli castra micántia.
- Hic patrum pietas prisca renáscitur, hic antiqua fides móribus émicat, hic quod monstrat iter Régula, vívido angústum pede cùrritur.
- Hic pax, hic réquies, hic sacra cáritas, regnant atque vigent alta siléntia; ieíúnus licet hic mûrmuret insonans venter, cédere nésciunt.

5. Hic fervóre Dei láudibus inclito,
instátur, válidis atque labóribus;
et dum fervet opus, dum téritur caro,
mens ad sidera tránsvolat.

6. Praesta, summa Trias, cum précibus Patrum,
angústo móndachi trámite Régulae
caelórum próperent átria cónsequi,
immixti Súperum choris. Amen.

(Hauterive)

Psalmodia I Nocturni

Ant. 1 Secus decúrsus aquárum plantávit víneam iustórum: et in lege
Dómini fuit volúntas eórum. iv T. AC1 38*

Ps 1.

Ant. 2 Praedicántes praecéptum Dómini constitúti sunt in monte sancto
eius. i T. AC1 38*

Ps. 2.

Ant. 3 Laeténtur omnes, qui sperant in te, Dómine, quóniam tu benedi-
xisti iustis; scuto bonae voluntatis tuae coronásti eos. viii T. AC1
39*

Ps. 5.

Ant. 4 In univérsa terra glória et honóre coronásti eos. ii T. AC1
39*

Ps 8.

Ant. 5 Dómine, qui operáti sunt iustítiam, habitábunt in tabernáculo
tuo, et requiéscen in monte sancto tuo. vi T. AC1 417

Ps 14 (15).

Ant. 6 Sanctis, qui in terra sunt eius, mirificávit omnes voluntátes
meas inter illos. iv T. AC1 39*

Ps 15 (16).

V. Exsúltent iusti in conspéctu Dei.
R. Et delécentur in laetitia.

Lectio prima

4, 5-18

De Epístula secunda ad Corinthios

Homo, qui intus est, noster renovatur de die in diem

Fratres, non nosmetípsos praedicámus sed Iesum Christum Dóminum;
nos autem servos vestros per Iesum. Quoniam Deus qui dixit: "De téne-
bris lux splendéscat", ipse illúxit in córdibus nostris ad illumina-
tionem sciéntiae claritatis Dei in fácie Iesu Christi.

Habémus autem thesáurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas
sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatióne pátimur,
sed non angustiámur; aporiámur, sed non destitúimur; persecutióne pá-
timur, sed non derelinquimur; deícimur, sed non périmus; semper morti-
ficationem Iesu in córpore circumferéntes, ut et vita Iesu in córpore
nostro manifestétur. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem trádimur
propter Iesum, ut et vita Iesu manifestétur in carne nostra mortáli.
Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis.

Habéntes autem eúndem spíritum fidei, sicut scriptum est: "Créddidi,
propter quod locútus sum", et nos crédimus, propter quod et lóquimur,
sciéntes quóniam, qui suscitávit Dóminum Iesum, et nos cum Iesu susci-
tábit et constituet vobiscum. Omnia enim propter vos, ut grátia abún-
dans per multos gratiárum actiúne abundáre fáciat in glóriam Dei.

Propter quod non defícimus, sed licet is, qui foris est, noster
homo corrúmpitur, tamen is, qui intus est, noster renovátur de die in
diem. Id enim, quod in praesénti est, leve tribulatióne nostrae supra-
modum in sublimitátem aetérnum glóriæ pondus operátur nobis, non con-
templántibus nobis, quae vidéntur, sed quae non vidéntur; quae enim
vidéntur, temporália sunt, quae autem non vidéntur, aetérna sunt.

2 Cor 4, 6. 15

Responsorium

R. Deus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, * Ipse illúxit
in córdibus nostris ad illuminatióne sciéntiae claritatis
Dei in fácie Christi Iesu.

V. Omnia propter vos, ut grátia abündans per multos in gratiárum
actiúne abundet in glóriam Dei. * Ipse illúxit.

Psalmodia II Nocturni

Ant. 1 Haec est generatióne quaeréntium Dóminum, quaeréntium fáciem Dei
Iacob. iii T. AC1 417

Ps 23 (24).

Ant. 2 Exsultáte, iusti, et gloriámini omnes recti corde. vii T. PsM
85

Ps 32 (33).

Ant. 3 Clamavérunt iusti et Dóminus exaudívit eos. vii T. PsM 87

Ps 33 (34).

Ant. 4 Beáti, quos elegisti, Dómine, habitábunt in átriis tuis, étenim clamábunt et hymnum dicent. viii T. AC1 422

Ps 64 (65).

Ant. 5 Dómine Deus virtútum, beáti omnes qui spérant in te; non pri-vábis bonis eos qui ámbulant in aequitáte; in sáecula saeculórum lau-dábunt te. vi T. AC1 422

Ps 83 (84).

Ant. 6 Plantáti in domo Dómini, in átriis Dei nostri florébunt. iv T. (Hauterive)

Ps 91 (92).

Y. Iustórum ánime in manu Dei sunt.

R. Et non tanget illos torméntum mortis.

Lectio secunda

Ex documento "Exórdium Cistércii" nuncupáto
(Ed. Bouton-Van Damme, Achel 1985, 111-113)

Desiderio potiti Cistercium devenerunt

In episcopátu Lingonénsi situm nòscitur esse coenóbium nòmíne Molismus, fama celebérimum, religióne conspícum. Hoc a sui exórdio magnis sub brevi témpore divína cleméntia suae grátiae munéribus illústravit, viris illústribus nobilitávit, nec minus amplum possessióni-bus quam clarum virtútibus réddidit. Céterum quia possessiónibus virtutibúsque diutúrna non solet esse societas, hoc quidem ex illa sancta congregatióne viri nimírum sapiéntes, áltius intelligéntes, elegérunt pótius stúdiis caeléstibus occupári quam terrénis implicáre negótiis. Unde et mox virtútum amatóres de paupertáte foecúnda virórum cogitáre coepérunt. Simúlque adverténtes ibidem etsi sancte honestéque viveré-tur, minus tamen pro sui desidério atque propósito, ipsam quam proféssi fúerant régulam observári.

Loquúntur altérutrum qui singulos movet, paritérque inter se tractant quáliter illum versiculum adimpleant: "Reddam tibi vota mea quae distinxérunt lábia mea". Quid plura? Vigínti et unus mónachi una cum patre ipsius monastérii, beátae vidélicet memóriae Robérto egréssi, commúni consilio, commúni perficere nitúntur assénsu quod uno spíritu concepérunt.

Igitur post multos labóres ac nírias difficultátes quas omnes in Christo pie vivere voléntes pati necésse est, tandem desidério potiti Cistércium devenérunt, locum tunc scilicet horróris et vastae solitú-dinis. Sed mílités Christi loci asperitátem ab arto propósito quod iam ánimo concepérunt non discédere iudicántes, ut vere sibi divinitus praeparátum, tam gratum habuérre locum quam carum propósitum.

Anno itaque ab Incarnatióne Dómini millésimo nonagésimo octávo, venerábilis Hugónis Lugdunénsis ecclésiae archiepiscopi, sedis apostó-licae tunc Legáti, et religíosi viri Walteri Cabilonénsis episcopi nec-non el clarissimi principis Odónis Burgúndiae ducis freti consílio, auctoritaté roboráti, invéntam herémum in abbatia(m) constrúere coepérunt, praefáto (abbáte) Robérto ab illius dioecésis episcopo, vidélicet Cabilonénsis, suscipiénte curam virgámque pastorálem, céteris sub ipso in eódem loco firmántibus stabilitátem.

At vero post non multum témporis factum est ut idem abbas Robértus requiréntibus eum mónachis Molisménsibus, Papae Urbáni secúndi iussu, Waltérii Cabilonénsis episcopi licéntia et assénsu, Molismum reduceré-tur, et Albericus, vir religíosus et sanctus, in ipsius loco substitue-rétur. Hoc sane inter utrámque ecclésiam sequéstrae pacis grátia reténto, et apostólica auctoritaté confirmáto, ut ex eo iam témpore néutra illárum utriúslibet mónachum ad habitandum sine commendatióne regulári suscipíret. Quo facto novum monastérium novi patris sollicitúdine et indústria, in brevi, non medióriter Deo cooperánte, in sancta conver-satióne profécit, opinióne cláruit, rebus necessáriis crévit.

Sed vir Dei Albericus supérnae vocatiónis bravum ad quod ibidem per novem annos non in vácuum cucúrrit, décimo apprehéndit. Cui succés-sit dominus Stéphanus, homo natióne ánglicus, religiónis, paupertatis disciplináque reguláris ardentissimus amátor, fidelissimus aemulátor. In huius vere diébus verum esse pátuít quod scriptum est: "Oculi Dómini super iustos et aures eius ad preces eórum". Nam cum pusillus grex hoc solum plángeret quos pusillus esset, hoc solum inquam metúerent et me-túerent usque ad desperatióne, Christi páuperes suae se non posse relínquere paupertatis herédes, vicínis quippe homínibus vitae quidem in eis honorántibus sanctitátem sed abhorréntibus austéritatē, et ita resiliéntibus ab illórum imitatióne quibus appropinquábant devotióne.

Deus cui fácile est de exiguis magna de paucis fácere multa, multó-rum praeter spem ad ipsórum imitatióne excitávit corda, ita ut in cel-la probándi novitiórum tam clérici quam láici et ipsi secúndum sáeculum nóbiles atque poténtes, triginta páriter cohabitárent.

Nec cessávit ei Deus in dies multiplicáre gentem magnificáre laeti-tiam, donec tam de suis quam de filiis filiórum suórum vigínti infra annos círciter duódecim de solis pátribus monasteriów tamquam novélla olivárum in circúitu mensae suae laeta mater conspiceret.

Responsoriū

R. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas, sancti Dei per-stitrérunt in amóre fraternitatis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides.

V. Ecce quam bonum, et quam iucundum, habitare fratres in unum.
* Quia unus.

vel

E textu "Cartae Caritatis prioris"
(Ed. Bouton-Van Damme, Achel 1985, 89-92)

Una caritate, una regula similibusque vivamus moribus

Antequam abbátiae cistercienses florere inciperent, dominus Stéphane abbas et fratres sui ordinavérunt, ut nullo modo abbátiae in alícuis antistitis dioecési fundaréntur, ántequam ipse decretum inter Cisterciénse coenóbium et cétera ex eo nata exarátum et confirmátum ratum habéret et confirmáret, propter scándalum inter pontificem et mónochos devitandum. In hoc ergo decretó praedicti fratres mítuae pacis futúrum praecavéntes naufrágium, elucidavérunt et statuérunt suisque póstoris reliquéunt, quo pacto quove modo, immo qua caritáte mónachi eórum per abbátias in divérsis mundi pártibus corpóribus divisi ánimes indissolubiliter conglutinaréntur. Hoc étiam decretum Cartam Caritatis vocári censébant, quia eius statútum omnis exactiónis gravámen propúlsans, solam caritátem et animárum utilitátem in divínis et humánis exéquitur.

Quia unius veri regis et domini et magistri nos omnes servos licet inútiles esse cognoscimus, idcirco abbátibus et confrátribus nostris mónachis, quos per divérsa loca Dei pietas per nos misérrimos hóminum sub regulári disciplina ordináverit, nullam terrénae commoditátis seu rerum temporálium exactiónem impónimus. Prodésse enim illis omnibúsque sanctae ecclésiae filiis cupiéntes, nil quod eos gravet, nil quod eórum substántiam minuat, erga eos ágere dispónimus, ne dum nos abundantes de eórum paupertáte esse cúpimus, avaritiae malum, quod secundum Apóstolum idolórum sérvitus esse comprobátur, evitáre non possimus. Curam tamen animárum illórum grátia caritatis retinére vólumus, ut si quando a sancto propósito et observántia sanctae régulae páululum, quod absit, declináre temptáverint, per nostram sollicitúdinem ad rectitudinem vi-tae redire possint.

Nunc vero vólumus illisque praecipimus, ut regulam beáti Benedícti per ómnia obsérvent sicut in novo monastério observátur. Non álium indúcant sensum in lectíone sanctae régulae, (sed) sicut antecessóres nostri, sancti patres, mónachi scilicet novi monastérii, intellexérunt et tenuérunt, et nos hódie intelligimus et tenémus, ita ipsi intelli-gant et téneant.

Et quia omnes mónachos ipsórum ad nos veniéntes in cláustro nostro recipimus, et ipsi similiter nostros in cláustris suis, ideo opportúnum nobis vidétur et hoc étiam vólumus, ut mores et cantum, et omnes libros ad horas diúrnas et noctúrnas et ad missas necessários secundum formam morum et librórum novi monastérii póssideant, quátinus in áctibus nostris nulla sit discórdia, sed una caritáte, una régula similibusque vivámus móribus.

Responsorium

R. Quam magna multitúdo dulcédinis tuae, Dómine, * Quam abscon-dísti timéntibus te!
V. Inebriabúntur ab ubertáte domus tuae, et torrénte voluptátis tuae potábis eos. * Quam abscondísti.

Psalmodia III Nocturni

Ant. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holo-cáusti hóstiam accépit illos. 7 T. AC2 21*

Cant Sap 3, 1-6
Cant Sap 3, 7-9
Cant Sap 10, 17-21

V. Sancti, qui sperant in Dómino.
R. Habébunt fortitudinem, et non deficiant.

Evangelium

Io 15, 9-17

Posui vos, ut eatis et fructum afferatis

+ Léctio sancti Evangélii secundum Ioánnem.

In illo tempore: Dixit Iesus discípulis suis: "Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos; manéte in dilectione mea. Si praecépta mea servavéritis, manébitis in dilectione mea, sicut ego Patris mei praecépta servávi et máneo in eius diléctione. Haec locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleáatur.

Hoc est praecéptum meum, ut diligátis invicem, sicut diléxi vos; maiorem hac dilectionem nemo habet, ut ániam suam quis ponat pro amicis suis.

Vos amici mei estis, si fecéritis, quae ego praecípio vobis. Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid fácit dóminus eius: vos autem dixi amicos, quia ómnia, quae audívi a Patre meo, nota feci vobis.

Non vos me elegistis; sed ego elégi vos et pósui vos, ut vos eátis et fructum afferáti, et fructus vester máneat, ut quodcumque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis.

Haec mando vobis, ut diligátis invicem.

Verbum Dómini.

Homilia

Homilia sancti Aelrédi abbátis Rievallénsis
(Opera omnia I: Corpus Christianorum Continuatio Medievalis
I, 243-244)

Qui servat mandata, ille est qui diligit Deum

O Dómine, quanta in tua dilectione, Iesu, iucunditas, quanta cum iucunditate tranquillitas, quanta cum tranquillitate securitas. Non eius qui te amat errat elección, quia te nihil mélius, nec spes fállitur, quia nihil amátur fructuósius. Non modi excéssus timétur, quia in tui dilectione nullus modus prescribitur. Non mundialis amicitiae diréptrix mors formidáatur, quia vita non móritur. In tui dilectione non timétur offénsio, quae nulla est nisi ipsa desiderátur diléctio. Non intérvenit ulla suspicio, quia iúdicas ipsius consciéntiae testimónio. Hic iucunditas, quia timor exclúditur. Hic tranquillitas, quia ira compescitur. Hic securitas, quia mundus contémnitur.

Audiens igitur haec ánima mea, esto quasi vas pérditum, quátenus a temetípsa deficiens, et tota in Deum tránsiens, néscias tibi vivere nec tibi mori, sed ei qui pro te mórtuus est et resurréxit. O quis dabit mihi hoc salutári poculo debriári, hoc mentis stupóre perfundi, hoc suavissimo lethárgio soporári, ut díligens Dóminum Deum meum ex toto corde meo et ex tota ánima mea et ex omni virtute mea, numquam quáeram quae mea sunt, sed quae Iesu Christi. Diligénsque próximum tamquam meíspsum. Non quaeram quod mihi útile est, sed quod áltéri. O verbum consúmmans, cremans in aequitáte, verbum caritatis, verbum totius perfectiónis, verbum dulcédiris. O verbum consúmmans cui nihil potest deesse. Verbum abbrévians in quo tota lex pendet et prophétae.

Quis autem hanc dilectionem hábeat, apérte declarat véritas quae dicit: "Qui habet mandáta mea et servat ea, ille est qui diligit me". Qui enim mandata Dei habet in memória et servat in vita; qui habet in sermónibus et servat in móribus; qui habet audiéndo et servat faciéndo; aut qui habet faciéndo et servat perseverándo, ille est qui diligit Deum. Opere ergo demonstránda est diléctio, ne infructuosa sit nóminis appellátio.

Rogo te igitur, Dómine Deus meus, per ineffábilem cleméntiam tuam, fac me a voluntáte mea, ita plene me avertére et voluntáti tuae sic concordáre sique te diligere, obsequiúmque tam continuum, tam gratum usque in finem tibi exhibére, ut mérear ad illa gáudia ineffabilia et interminabilia pervenire quae parásti diligéntibus te, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas, Deus per ómnia sáecula saeculórum. Amen.

Responsorium

Io 15, 16. 12

- R. Ego elégi vos et pósui vos, ut vos eátis et fructum afferáatis,
* Et fructus vester máneat.
V. Hoc est praecéptum meum, ut diligáti invicem, sicut diléxi
vos. * Et fructus.

Hymnus Te Deum laudamus.Oratio ut ad Laudes matutinas.Ad Laudes matutinasHymnus

1. Salvéte, cedri Libani,
plantae viréntes Ordinis,
quae prata nunc caeléstia
implétis almo gérmine.
2. Vos Trinitatis glória
aetérrna circumpléctitur:
vos aura Matris Vírginis
mulcet piis favóniis.
3. Vos Angelórum cùriae
cingúnt choréa pérpétim,
et irrigant puríssimi
aeternitátis rívuli.
4. O inclytæ propágines,
vestros iuváte filios:
in valle maesta débiles
nos roboráte súrculos.
5. Sit laus Patri, cum Filio,
simúlque dulci Flámini:
laeti quibúscum vivitis
in sempitérno lúmine. Amen.

SHC 6

Psalmodia

Ant. 1 Laudémus viros gloriósos in generatióne sua, quia benedictiōnem géntium dedit illis Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput eórum. i T. SAC2 18

Psalmi et canticum pro diebus festivis.

Ant. 2 Congregávit vos in unum Christi amor; timuístis et amástis Christum Deum; ubi cáritas et amor, ibi Deus. i T. PC 30

Ant. 3 In hoc cognóscent omnes quia mei estis discípuli, si dilectiōnem habuéritis ad invicem. 7 T. PC 25

Ant. 4 Sancti Dómini Dóminum benedicte in aetérnum. i T. AC2 542

Ant. 5 Hi sunt viri misericórdiae, quórum iustítiae oblivióñem non accepérunt, cum sémine eórum pémanent bona, haeréditas sancta nepótes eórum. iv T. SAC2 18

Lectio brevis

Eph 4, 32; 5, 1-2

Estóte invicem benigni, misericórdes, donántes invicem, sicut et Deus in Christo donávit vobis. Estóte ergo imitatóres Dei sicut filii caríssimi et ambuláte in dilectione, sicut et Christus diléxit nos et trádidit seíspsum pro nobis oblatiōnem et hóstiam Deo in odórem suavitá-
tis.

Responsorium breve

R. Sancti Patres in generatiōibus gentis suae * Glóriam adépti sunt.

y. Et in diébus suis habéntur in láudibus. * Glóriam adépti sunt.

Ad Benedictus, ant. Robértus, Albericus, Stéphanus, fundatōres Cistér-
cii, religiōnis gubernáculum viriliter tenuérunt; et ideo coronati as-
sistunt coram Dómino in sempitérnum, allélua.

Preces ut in Communi monachorum.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, ómnia pro Christo Filio tuo relinquén-
tium merces magna nimis, da nobis exēmplo et intercessiōne sanctórum
Patrum nostrórum Robérti, Alberici et Stéphani abbátum, ad vitam aetér-
nam toto mentis stúdio festináre. Per Dóminum.

vel

Deus, qui in sanctórum opéribus religiōnis nobis testimónium reli-
quisti, da, quáesumus, ut, eórum erudití spiritálibus institútis, eán-
dem fidem per dilectionem exercére in bono ópere studeámus. Per Dó-
minum.

Ad Tertiam

Ant. Ubi est cáritas et diléctio, ibi sanctórum est congregatio. vii
T. PC 28

Lectio brevis

Eph 4, 21-24

Si Christum audistis et in ipso edócti estis, sicut est véritas
in Iesu: depónere vos secúndum pristinam conversatiōnem véterem hómi-
nem, qui corrúpitur secúnda desidéria erróris, renovári autem spiritu
mentis vestrae et indúere novum hóminem, qui secúndum Deum creáitus est
in iustitia et sanctitáte veritatis.

y. Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum.

R. Et testaméntum ipsius manifestétur illis.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Sextam

Ant. Qui verbum Dei rétinent in corde perfécto et óptimo, fructum áf-
ferunt in patiéntia. i T. AC2 107

Lectio brevis

Col 3, 16-17

Verbum Christi hábitet in vobis abundánte, in omni sapiéntia do-
céntes et commonéntes vosmetipsos psalmis, hymnis, cánticis spiritáli-
bus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo; et omne, quodcúmque
fáctis in verbo aut in opere, ómnia in nōmine Dómini Iesu grátias
agéntes Deo Patri per ipsum.

y. Plantáti in domo Dómini florébunt.

R. Ut annúntient quóniam rectus Dóminus.

Ad Nonam

Ant. Vos, qui reliquistis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipié-
tis, et vitam aeternam possidébitis. i T. AC2 541

Lectio brevis

Heb 12, 1-2

Et nos tantam habéntes circumpósitoam nobis nubem téstium, deponé-
tes omne pondus et circúmstans nos peccátum, per patiéntiam curramus
propósitoam nobis certámen, aspiciéntes in auctórem fidei et consummató-
rem Iesum, qui pro gáudio sibi propósito sustinuit crucem, confusióne
contémpta, atque in déxtera throni Dei sedet.

y. Quam magna multitúdo dulcédinis tuae, Dómine.

y. Quam abscondísti timéntibus te.

Ad II VesperasHymnus

- | | |
|--|--|
| 1. Quae tanta, Patres, glória
vos nimbo adórnat cáslico,
in nos redúndat lúcida
quos foedus idem cóngregat. | 4. Pii, sagáces, próvidi,
prodésse avéntes frátribus
quot comparásti incolas
caeli beatitúdinis! |
| 2. Quos patris ac legiferi
dent iussa fructus úberes,
per vos patet mirificis
gestis, loquélis, móribus. | 5. Adéste nobis, Régulæ,
quam vos amástis, ásseclis,
ut hanc tenéntes séduli
Christum sequámur principem. |
| 3. Hortus venústus flóribus
agérque laete frúgifer,
Cistércium virtútibus
per vos amóenus splénduit. | 6. In pátria cum gáudio
vestrae cohórtis párticeps,
et nostra turma cóncinat
in Trinitátis glóriam. Amen. |

Lentini n. 22, p. 63

Psalmodia

Ant. 1 Beatus Robértus abbas, et sócii eius, ad herémum quam Cistér-cium dicebátur, alacríter tetendérunt, ut professióne suam observántia sanctae Régulae adimplérent. viii T. (Hauterive)

Ps 109 (110).

Ant. 2 Viduáta suo pastóre Robérto, Cisterciénsis Ecclésia beátum Al-bericum, amatórem régulae et fratrū, in abbátem sibi promóvit. iv T. (Hauterive)

Ps 111 (112).

Ant. 3 Vir Dei Albericus in schola Christi feliciter exercitátus, mi-grávit ad Dóminum, fide et virtútibus gloriósus, cui succéssit beátus Stéphanus, qui amátor régulae et loci erat. i T. (Hauterive)

Ps 115 (116).

Ant. 4 Venerábilis Pater Stéphanus frátribus suis trádidit órdinis nostri normam: una caritáte, una régula similibúsque vivámus móribus. vii T. (Hauterive)

Ps 132 (133).

Ant. 5 Ubi fratres in unum glorificant Deum, ibi dabit Dóminus benedićtiōnem. vii T. PC 30

Cant Eph 1, 3-10

Lectio brevis

Heb 13, 7-9a

Mementóte praepositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei, quorum intuéntes éxitum conversatiōnis imitámini fidem. Iesus Christus heri et hódie idem, et in sáecula! Doctrínis váriis et peregrínis nolíte abdúci; óptimum enim est grátia stabilíri cor.

Responsorium breve

R. Fundaménta habéntem civitátem cuius ártifex Deus * Exspectábant Patres nostri.

y. Fide peregrináti sunt in terra promissionis. * Exspectábant.

Ad Magnificat, ant. O sancti práesules, amíci Dei, órdinis nostri pa-tres, per quos reflóruit vinea et domus Dómini decor reparátus est; gaudémus et exsultémus quia ad civitátem Dei vivéntis accessérunt et iuge praesidium áfferunt cliéntibus, allelúa. 7 T. (Hauterive)

Preces de Communi monachorum.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

IN COMMEMORATIONE SUPERIORUM DEFUNCTORUM O. N.

Omnia ut in Officio Defunctórum, praeter sequentia:

Ad VigiliasLectio prior

1 Cor 15, 12-34

De Epistula prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Resurrectio Christi spes fidelium

Fratres: Si Christus praedicátur quod suscitátus est a mórtuis, quómodo quidam dicunt in vobis quóniam resurréctio mortuórum non est? Si autem resurréctio mortuórum non est, neque Christus suscitátus est! Si autem Christus non suscitátus est, inánis est ergo praedicátiō nostra, inánis est et fides vestra, invenimur autem et falsi testes Dei, quóniam testimónium diximus advérsus Deum quod suscitáverit Christum, quem non suscitávit, si revéra mórtui non resurgunt. Nam si mórtui non resúrgunt, neque Christus resurréxit; quod si Christus non resurréxit, stulta est fides vestra, adhuc estis in peccátis vestris. Ergo et, qui dormiérunt in Christo, periérunt. Si in hac vita tantum in Christo spe-ráentes sumus, miserabilióres sumus ómnibus homínibus.

Nunc autem Christus resurréxit a mórtuis, primitiae dormiéntium. Quóniam enim per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum: sicut enim in Adam omnes moriúntur, ita et in Christo omnes vivifica-búntur. Unusquisque autem in suo órdine: primitiae Christus; deinde hi, qui sunt Christi, in advéntu eius; deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuáverit omnem principátum et omnem pote-státem et virtútem. Opórtet autem illum regnare, "donec ponat omnes inimicos sub pédibus eius". Novíssima autem inimica destruétur mors; "ómnia enim subiécit sub pédibus eius". Cum autem dicat: "Omnia subiécta sunt", sine dúbio praeter eum, qui subiécit ei ómnia. Cum autem subiécta fúerint illi ómnia, tunc ipse Filius subiéctus erit illi, qui sibi subiécit ómnia, ut sit Deus ómnia in ómnibus.

Alióquin quid fácient, qui baptizántur pro mórtuis? Si omnino mórtui non resúrgunt, ut quid et baptizántur pro illis? Ut quid et nos periclitámur omni hora? Cotídie mórior, útique per vestram gloriatiō-nem, fratres, quam hábeo in Christo Iesu Dómino nostro! Si secúndum hóminem ad béstias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest? Si mórtui non resúrgunt, "manducémus et bibámus, cras enim moriémur". Nolite sedúci: "Corrúmpunt mores bonos collóquia mala". Evigiláte iuste et nolíte peccáre! Ignorántiam enim Dei quidem hábent; ad reveréntiam vobis loquor.

Responsorium

1 Cor 15, 25-26; cf. Ap 20, 13. 14

- R. Opórtet Christum regnare, donec ponat Deus omnes inimicos sub pédibus eius; * Novíssima autem inimica destruétur mors.
V. Tunc mors et inférnus dabunt mórtuos suos, et mors et inférnus mitténtur in stagnum ignis. * Novíssima.

Lectio altera

E Sermónibus sancti Bernárdi abbátis Claraevallénsis
(Sermo 2 in fest. Omníum Sanctorum: Edit. Cist. V, 346-348)

De réquie animárum apud Deum

Dicunt singulae ánimae, quibus iam datum est ad hanc réquiem pervenire: "In pace in idípsum dórmiam et requiéscam, quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe constituisti me". Singuláriter, inquam, in spe, non iam inter spem et metum, ubi prius non sine sollicitúdine et anxietáte plúrima fluctuábam. Sic et de praesénti Sanctórum réquie habémus in álio Psalmo scriptum: "Convrétere, áнима mea, in réquiem tuam, quia Dóminus benefécit tibi". Bene, inquam, fecit, quamvis necdum óptime. Dénique audi quam bene: "Quia eripuit ánimam meam de morte, óculos meos a lácrimis, pedes meos a lapsu", id est a peccáto omni et a peccáti poena, a timóre quoque et perículo recidéndi pénitus liberávit.

Hoc enim suavíssimum ánimae stratum, quod nullis iam lavet aut riget lácrimis, quando "abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eius". Hoc cubile, in quo iam non compúngitur nec convértitur in aerúmna sua, dum configitur spina. Exit enim de terra illa, quae spinas ei et tribulos germinábat. Hoc plane stratum ánimae, quod míime iam versáatur in infirmitáte eius, quóniam universa quae infirmitátis erant, páriter transiérunt. Haec est, inquam, ánimae suavíssima et saluberrima réquies, consciéntia munda, quieta, secura. Sit ergo beátae ánimae cúcitra consciéntiae suae púritas, sit capitále tranquillitas, sit opertórium eius secúritas, ut in hoc ínterim strato dórmiat delectabiliter, feliciter requiescat.

Iam vero de recordatióne transáctae virtútis habes in Psalmo centésimo vicésimo tértio maniféste verba eórum, quae supérius quoque commorávi. Considerant enim et multa cum admiratióne recógitant, a quibus láqueis quantisve periculis divino merúerint auxilio liberári, et, exultantes in Dómino dicunt: "Nisi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dóminus erat in nobis, cum exsúrgerent hómines in nos, forte vivos deglutíssent nos. Torréntem pertransívit áнима nostra; fórsitan pertransisset áнима nostra aquam intolerábilem". Et addunt: "Benedictus Dóminus, qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum".

Sed et verba quae iam témpore suaे resolutiónis instánte loquebátur Apóstolus, de eo in quo nunc feliciter requiéscit statu prae sumpta, vidéntur et nunc ei multo mélius convenire. Nunc enim secúre iam lóquitur: "Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi; de ré-

liquo repósita est mihi coróna iustitiae, quam reddet mihi in illum diem iustus iudex". Haec sunt, dico vobis, fratres, haec modo sunt univerása Sanctórum negótia; hic cibus, hic somnus eórum; et proptérea voluit Spíritus Sanctus scribi verba ea quae protúlimus ceteráque similia, ut ex his aliquátenus innotéceret nobis status eórum.

Responsorium

Ps 114 (115), 7. 8. 9; Ps 4, 9

- R. Convrétere, áнима mea, in réquiem tuam, quia Dóminus bene fecit tibi; quia eripuit ánimam meam de morte: * Placébo Dómino in regióne vivórum.
V. In pace in idípsum dórmiam et requiéscam, quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe constituisti me. * Placebo.

Oratio

Deus, qui Unigénitum tuum, devicta morte, ad caeléstia transire fecisti, concéde fámulis et famulábus tuis, ut, huius vitae mortalitáte devicta, te conditórem et redemptórem possint perpétuo contemplári. Per Dóminum.

vel

Praesta, quáesumus, omnipotens Deus, ut fámuli et fámulae tui, qui pro Christi amóre perfécta caritatis viam percurrérunt, in advéntu glóriae tuae laeténtur, et cum frátribus et soróribus suis de regni tui beatitúdine gáudeant sempitérna. Per Dóminum.

Die 1 februarii

S. RAIMUNDI DE FITERO, abbatis O.N.

Memoria ad libitum

Raimundus antea canonicus, monachus cisterciensis Monasterii de Verga factus, anno 1146 abbas de Nienzabas destinatus et anno 1152 primus abbas de Fitero, liberator fuit patriae tempore obsidionis castri Calatravae. Postea militarem Ordinem de Calatrava instituit, qui, anno 1157/1158 Cistercio affiliatus, etiam moniales complectitur. S. Raimundus anno circiter 1160 obiit.

De Communi Sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad VigiliasLectio altera

Ex tractátu "De laude novae militiae" sancti Bernárdi abbátis Claraevallénsis

(Edit. Cist. III, 219-221)

Quomodo novi milites bello domive conversentur

Ad imitacionem seu confusioneum nostrorum militum, non plane Deo, sed diabolo militantium, dicamus breviter Christi equitum mores et vitam, qualiter bello domive conversentur, quo palam fiat, quantum ab invicem differant Dei saeculique militia. Primo quidem utrilibet disciplina non deest, oboediencia nequam contemnitur. Itur et redditur ad nutum eius qui praeest, induitur quod ille donaverit, nec aliunde vestimentum seu alimento praesumitur. Et in victu et in vestitu cavetur omne superfluum, soli necessitati consulitur. Vivitur in communione, plane iucunda et sobria conversatione, absque uxoribus et absque liberis. Et ne quid desit ex evangelica perfectione, absque omni proprio habitant unius moris in domo una, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Dicas universae multitudo esse cor unum et animam unam: ita quisque non omnino propriam sequi voluntatem, sed magis obsequi satagit imperanti.

Nullo tempore aut otiosi sedent, aut curiosi vagantur; sed semper, dum non procedunt, --quod quidem raro contingit--, ne gratis comedant panem, armorum seu vestimentorum vel scissa resarciant, vel vetusta reficiunt, vel inordinata componunt, et quaeque postremo facienda magistri voluntas et communis indicat necessitas. Persona inter eos minime accipitur: defertur meliori, non nobiliori. Honore se invicem praeveniunt; alterutrum onera portant, ut sic adimpleant legem Christi. Verbum insolens, opus inutile, risus immoderatus, murmur vel tenuis, sive susurrum, nequam, ubi deprehenditur, inemendatum relinquitur.

Porro imminente bello, intus fide, foris ferro, non auro se munient, quatenus armati, et non ornati, hostibus metum incutiant, non provocent avaritiam. Equos habere cupiunt fortes et veloci: pugnam quippe, non pompam, victoriam, sed non gloriam cogitant, et studentes magis esse formidini quam admiracioni. Deinde non turbulenti aut impetuosi, et quasi ex levitate praecipites, sed consulte atque cum omni cautela et providentia seipsos ordinantes et disponentes in aciem, iuxta quod de patribus scriptum est.

Ita denique miro quodam ac singulare modo cernuntur et agnis militares, et leonibus ferociores, ut pene dubitem quid potius censem appellandos, monachos videlicet an milites, nisi quod utrumque forsan congruentius nominarim, quibus neutrum deesse cognoscitur, nec monachi mansuetudo, nec militis fortitudo.

Responsorium

Eph 6, 10. 13. 12

R. Confortamini in Domino et in potentia virtutis eius. Propterea accipite armaturam Dei * Ut possitis resistere in die malo et, in omnibus perfecti, stare.

V. Quia non est nobis collectatio adversus sanguinem et carnem sed contra spiritalia inequitiae in caelstibus. * Ut possitis.

vel

Ex epistolis Ferrandi Carthaginiensis diaconi

(Epist. VII: PL 67, 947-950)

Descriptio militis christiani

Memento te esse christianum, quo facilis possis praecpta Christi servare. Christus enim mansuetudinem docens, legis quoque iustitiam temperavit; hac distinctione legem Evangeliumque discernerens. Et quia in lege non licet occidere, non licet in Evangelio vel irasci. Vindictae modum lex statuens, dixit antiquis: "Oculum pro oculo, dentem pro dente"; discipulo vero Evangelii nullam volevit Christus expsectare vindictam, sed percussum semel percutienti monuit alteram praebere maxillam. Mille passus angariatum duo millia ambulare praeccepit, interdicens omnimodis talionem. Lex inimicis odium retribui permisit, dilectionem vero amicis indulxit; Evangelii vero sacra praecptio: "dilecite, inquit, inimicos vestros, benefacite his qui odierunt vos; et orate pro persequenteribus et calumniantibus vos".

Cumque his amplioribus virtutibus excellere legi Evangelium demonstrasset, a vano gloria christianum revocavit, et ad misericordiam cui solus Deus testis est provocavit. Orationis quoque regulam simul et verba credentibus tradens, hac conditione constrinxit orantes, ut quemque postulat sibi propria debita relaxari, profiteatur se aliena donare; nihil accepturus a Domino, si nihil voluerit praestare conservo.

Iam vero quod non servire duobus dominis admonetur, quod de crastino non cogitare, quod non iudicare, ne iudicetur; quod in oculo fratris stipulam videre, in suo trabem non videre culpatur; et imperatur ei ne sanctum canibus det, ne margaritas mittere audeat ante porcos; petiturus ut accipiat, quae siturus ut invenerit, pulsatus ut aperiatur ei; multis modis et rationibus demonstratur quantum debeat laudabilis propositi curam gerere christianus, ne in eo tanti vocabuli dignitas videatur errare.

Propterea ut per singula quae superius ex Evangelio inserimus recurrat intentio, quando te potestas ducis eicere gladium de vagina compellit, memento te esse christianum, cui sine causa fratri suo irasci non licet; et diutius cogita, ne vindicta quam videlis inferre iustum transeat modum. Quoniam si irasci nefas est christiano, multo magis occidere. Ubique fidei tuae memor, sicut in facinoribus evitandis, ita in flagitiis corrigendis.

Responsorium

2 Tim 2, 3. 5; 1 Tim 1, 18-19

R. Si certat quis agone, non coronatur nisi legitime certaverit.
* Collabora sicut bonus miles Christi Iesu.

V. Hoc praecptum commendo tibi ut milites bonam militiam habens fidem et bonam conscientiam. * Collabora.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Eia! milites Christi, abiícite ópera tenebrárum, et induimini arma lucis. 8 T. (Hauterive)

Oratio

Da nobis, quáesumus, Dómine, inter mundi huius varietátes toto corde rebus caeléstibus adhaerére, qui per beátum Raimundum, abbátem, evangélica nobis perfectiónis documénta donásti. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Ad Magnificat, ant. Similábo eum viro sapiénti, qui aedificávit domum suam supra petram. i T. AC2 33*

Die 3 februarii

S. ANSGARII, episcopi

Memoria ad libitum

Natus est in Gallia initio saeculi IX et in monasterio Corbeiensi educatus. Anno 826 Daniam petit ad fidem praedicandam, sed parvo cum fructu; tamen meliorem sortem habuit in Suecia. Episcopus Hamburgi electus et a Gregorio IV confirmatus, legatus deputatus est pro Dania et Suecia. Multas sustinuit difficultates in opere evangelizationis, sed forti animo eas superavit. Mortuus est anno 865.

De Communi pastorum: pro episcopis.

Ad VigiliasLectio altera

E vita sancti Anschárii archiepiscopi Hamburgénsis,
auctóre sancto Rembérto archiepiscopo

(PL 118, 1010)

Anscharius Christi imitator in omnibus fuit

Ut ab ipso electórum ómnium cápite incipiámus, Christum ín opem inops ipse Anschárius secútus est, cum Apóstolis ómnia dereliquit, et cum sancto Ioánne Baptista primáevum tempus a turbárum frequéntia remótum dicens, monastérii solitúdinem expétiit; videlicet cum téporis procéssu quotidiáno proféctu excrevisset, et de virtúte in virtútem ivisset, vas electiónis ad portándum Christi nomen coram géntibus, cum beáto Apóstolo Paulo, deputátus; pascendárum Christi óvium póstmodum

curam, cum Príncipe Apostolórum Petro, suscépit; in quo regímine qualem se quantúmque exhibúerit, hoc vel máxime probáre vidétur, quod inter caelum et terram médius, inter Deum et próximum sequéster, nunc Divinae visióni et caeléstibus revelatióibus intérerat, nunc commissórum sibi actus et vitam disponébat, ad quas active et contemplative géminas alas ideo ipse sufficiébat, quia cum mundicórdes soli, iuxta Evangeliórum fidem, Dóminum credántur visúri, ipse virgo ab eo eléctus, cum sancto et Apóstolo et Evangelista Ioánne, et mente et córpore virgo in aevum permánsit. Et tanta insuper ad cunctos caritáte tenebátur, ut cum beáto Protomártyre Stéphano étiam oráret pro suis persecutóribus.

Martýrii duo génera esse constat, unum in pace Ecclésiae occúltum, álerum persecutiónis articulo ingruénte maniféstum: utrúmqüe voluntáte ténuit, ad álerum efféctu pervénit. Quia enim cotidie semper lácrimas, vigiliás, ieíúnia, carnis maceratióñem, et desideriórum carnálium mortificatióñem in ara cordis Deo mactábatur, martýrium profécto, quod pacis témpore non pótuit, voto consecútus est. Quia vero ad apértum córporis martýrium persecutóris sibi ánimus non défuit, quod ópere minus pótuit, volúntate adéptus est.

Nam si sola vita per passiórem termináta martýrio deputaréatur, nequáquam sanctum Evangelistam Ioánnem cálicem suum Dóminus bibitúrum esse testaréetur, quem minime vitam martýrio finivisse scimus. Proinde si illum iuxta Dominicam senténtiam inter mártirum númerum adscribéndum esse non dubitámus, de eo quoque, quem praemísimus, sancto plane ac beáto ádmodum viro, omnino ambigere non debémus. Martyr enim fuit quia iuxta Apóstolum et ipsi mundus et ille mundo crucifixus erat. Martyr fuit quia inter diáboli tentaménta, inter carnis illécebras, inter persequéntes pagános, inter obsisténtes christiános semper impertérritus et immóbilis et invictus in Christi confessióne usque ad éxitum vitae permánsit.

Quocírca, quia iam ex his, quae supérius commemorávimus, claret, quantae vir iste sanctitatis, quanti apud Deum mériti fúerit, restat, ut, sicut ipse Christi imitátor in ómnibus fuit, sic nos quoque eius imitatóres esse studeámus. Vivémus nos cum ipso in caelis, si eius exémpla sequéntes, ad eum semper toto desidério, et tota virtúte tendámus, ad quem nos ille praecéssit, Iesum Christum Dóminum nostrum, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regna, per ómnia sáecula saeculórum. Amen.

Responsorium

Mc 16, 15-16; Io 3, 5

R. Eúntes in mundum univérsum, praedicáte Evangélium omni creatúrae: * Qui crediderit et baptizátus fúerit, salvus erit.

V. Nisi quis renátus fúerit ex aqua et Spíritu, non potest introire in regnum Dei. * Qui credíderit.

vel

E Decrēto "Ad Gentes" Concilii Vaticāni secūndi
de activitāte missionáli Ecclésiae
(Nn. 23-24)

Cum fiducia notum facere oportet mysterium Christi

Quamvis cuilibet discípulo Christi onus fidei disseminández pro parte sua incúmbat, Christus Dóminus semper e número discipulórum vocat quos vult ipse, ut sint cum illo et ut mittat eos géntibus praedicáre.

Quare per Spíritum Sanctum, qui charismata prout vult ad utilitátem dívidit, vocatióne missionáriam in córdibus singulórum inspirat, si-múlque in Ecclésia súscitat institúta, quae munus evangelizatiónis ad totam Ecclésiam pértinens tamquam próprium officium suscipiant.

Speciáli enim vocatióne signántur, qui cóngrua naturáli índole præediti, dótibus et ingénio idónei, paráti sunt ad opus missionále suscipiéndum, sive autóchtoni sive éxteri: sacerdótes, religíosi, láici. A legitima auctoritáte missi, fide et oboediéntia ad eos, qui longe sunt a Christo, éxeunt, segregáti in opus ad quod assúmpti sunt tamquam ministri Evangéliei, "ut fiat oblátio géntium accépta et sanctificáta in Spíritu Sancto".

At vero Deo vocánti homo respondére debet tali modo, ut carni et sanguini non acquiéscens totum se devínciat óperi Evangéliei. Hoc autem respónsum dari nequit nisi Spíritu Sancto incitánte et roboránte.

Missus enim intrat in vitam et missióinem eius, qui "semetipsum exinanivit formam servi accípiens". Ideo parátus esse debet ad vitam stare vocatióni sua, renuntiáre sibi et ómnibus quae hucúsque sua hábuit, et ómnibus ómnia sese fácere.

Annúntians Evangélium in géntibus, cum fiducia notum fáciat mystérium Christi, pro quo legatióne fúngitur, ita ut in ipso áudeat, prout opórtet, loqui, scándalum crucis non erubéscens.

Vestigia premens Magístri sui, mitis et húmilis corde, maniféstet iugum Eius suáve esse et onus leve.

Vita revéra evangélica, in multa patiéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in caritáte non ficta testimónium reddat Dómino suo, si necéssesse est, usque ad sanguinis effusiónem.

Virtútem et fortitúdinem a Deo impetrábit, ut cognóscat in multo experímēto tribulatiónis et altissimae paupertátis abundántiam esse gáudii.

Responsorium

1 Cor 9, 16. 22b

R. Si evangelizávero, non est mihi glória; necéssitas enim mihi incúmbit. * Vae mihi, si non evangelizávero.

y. Omníbus ómnia factus sum, ut áliquos útique fácerem salvos.
* Vae mihi.



Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Lumen ad revelatióne nám Géntium praedicávit Ansgárius, et boreális régio solem iustítiae oriéntem ex alto conspéxit. viii T. (Hauterive, ex Proprio Solismensis et Congr. S. Otiliae)

Oratio

Deus, qui ad multas illuminández gentes beátum Ansgárium episcopum mittere voluisti, eius nobis intercessióne concéde, ut in tuae veritatis luce iúgiter ambulémus. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Ad Magnificat, ant. Dedit Dóminus Ansgárium Géntibus Apóstolum: et illi, qui longe fúerant, facti sunt prope in sanguine Christi. i T. (Hauterive, ex Proprio Congr. S. Otiliae)

S. SCHOLASTICAE, virginis

Memoria

Apud Moniales: Festum

Ab infantia Deo dicata, Scholastica semel in anno cum fratre suo S. Benedicto in praedio prope Montem Cassinum colloqui solebat. Quae in ultima eorum collucutione evenerunt satis probant quantae gratiae illa apud Deum propter maiorem caritatem fuerit. Ea moriente S. Benedictus vidit animam ipsius in columbae specie caeli secreta penetrare. Eodem in tumulo quo serius frater, sepulta est.

De Communi virginum, vel Communi monialium, praeter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Agnum quem sequúntur vírgines, venite, adorémus.

Ad Vigilias

Hymnus

1. Quae flos amoénus grátiae
nites et innocéntiae,
et láudibus, Scholástica,
extóllimus laetántibus.

2. Qui patris ac legiferi
te praedicámus áemulam
illíque iunctam spíritu
sepúlcro et aequa glória.

3. Sibi tenéllam vínxerat
te Christus arto foédere,
te redditúram iúgiter
dilectionis pignora.

5. Colúmba munda, práepete
ad astra cursu pérvolas,
quae mente, língua, sénsibus
cupiveras caeléstia.

4. Amóris usta vúlnere,
Sponsi penétras íntima;
fratrem secúta móribus,
amóre vincis fórtior.

6. Da, virgo, rore Spíritus
et nos abúnde pérfrai,
ut Agni adépti gáudia
ipsi canámus glóriam. Amen.

Lentini, n. 15, p. 58

Lectio prima (pro monialibus)

Cant 2, 1-17

De Cántico Canticórum

Amor et desidérium sponsae

Ego flos campi et lilium convállum.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Sicut malus inter ligna silvárūm, sic diléctus meus inter filios.
Sub umbra illius, quem desideráveram, sedi, et fructus eius dulcis gúttri meo. Introdúxit me in cellam vináriam, et vexillum eius super me est cáritas. Fulcite me uvárum placéntis, stipáte me malis, quia amóre lángueo. Laeva eius sub cápite meo, et dexter illius amplexátur me.

Adiúro vos, filiae Ierúsalem, per cápreas cervásque campórum, ne suscítétis neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit.

Vox dilécti mei! Ecce iste venit sáliens in móntibus, transiliens colles. Similis est diléctus meus cápreae hinnulóque cervórum.

En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenéstras, prospiciens per cancéllos.

En diléctus meus lóquitur mihi: "Surge, amica mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Iam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit. Flores apparuérunt in terra, tempus putatiónis advénit; vox túrturis audita est in terra nostra, ficus prótulit grossos suos, vineae floréntes dedérunt odórem suum: surge, amica mea, speciósia mea, et veni, colúmba mea, in foraminibus petrae, in cavérana abrúpta. Osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis; vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra".

Cápite nobis vulpes, vulpes párvulas, quae demoliúntur vineas, nam vineae nostraræ floréscunt.

Diléctus meus mihi, et ego illi, qui pásctitur inter lília, ántequam aspiret dies, et festinent umbrae. Revértere; similis esto, dilécte mi, cápreae hinnulóque cervórum super montes Bether.

Responsorium

Cant 2, 11. 13. 14; Mt 25, 6

R. Iam hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit: surge, amica mea, speciósia mea, et veni! * Colúmba mea, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis.

Y. Média nocte clamor factus est: Ecce, sponsus! Exite óbviam ei. * Colúmba mea.

Lectio secunda

E libris "Dialogórum" sancti Gregórii Magni Papae
(Sources chrétiennes 260, 230-234)

Plus potuit, quae amplius amavit

Soror beáti Benedicti, Scholástica nómine, omnipoténti Dómino ab ipso infántiae témpore dicáta, ad eum semel per annum venire consuérat, ad quam vir Dei non longe extra iánuam in possessióne monastérii descendébat. Quadam vero die venit ex more, atque ad eam cum discipulis venerábilis eius descéndit frater. Qui totum diem in Dei láudibus scrisque conlóquiis ducéntes, incumbéntibus iam noctis ténebris, simul accepérunt cibos.

Cumque adhuc ad mensam sedérent et inter sacra conlóquia tárrior se hora protráheret, éadem sanctimoniális fémina, soror eius, eum rogávit, dicens: "Quaešo te, ne ista nocte me déseras, ut usque mane áliquid de caeléstis vitae gáudiis loquámur". Cui ille respóndit: "Quid est quod lóqueris, soror? Manére extra cellam nullátenus possum".

Tanta vero erat caeli serénitas, ut nulla in áere nubes apparéret. Sanctimoniális autem fémina, cum verba fratris negántis audisset, insértas digitis manus super mensam pósuit, et caput in mánibus omnipo-téntem Dóminum rogatúra declinávit.

Cumque leváret de mensa caput, tanta coruscationis et tonítri vir-tus tantáque inundáto pluviae erúpit, ut neque venerábilis Benedictus, neque fratres qui cum eo áderant, extra loci limen quo conséderant pedem movére potuissent. Sanctimoniális quippe fémina, caput in mánibus declinans, lacrimárum flúvios in mensam fúderat, per quos serenitátem áeris ad pluviam traxit.

Tunc vir Dei inter corúscos et tonítruos atque ingéntis pluviae inundatiómem videns se ad monastérium non posse remeáre, coepit cónqueri contristátus, dicens: "Parcat tibi omnípotens Deus, soror. Quid est quod fecisti?". Cui illa respóndit: "Ecce te rogávi, et audire me noluísti. Rogávi Dóminum meum, et audívit me. Modo ergo, si potes, egrédere, et me demissa ad monastérium recéde". Ipse autem exire extra tec-tum non valens, qui remanére sponte nóluit, in loco mansit invitus, sicque factum est ut totam noctem pervaigilem dúcerent, atque per sacra spiritális vitae conlóquia sese vicária relatióne satiárent.

Qua de re dixi eum voluisse áliquid, sed mínime potuisse, quia, si venerábilis viri mentem aspícimus, dúbium non est quod eándem serenitátem volúerit, in qua descénderat, permanére. Sed contra hoc quod voluit, in virtúte omnípoténtis Dei ex fémina péctore miráculum invénit. Nec mirum quod plus illo fémina, quae diu fratrem vidére cupiébat, in eódem témpore váluit. Quia enim, iuxta Ioánnis vocem "Deus cáritas

est", iusto valde iudicio illa plus pótuit, quae ámplius amávit.

Cumque die áltero éadem venerábilis fémina ad cellam própriam recessisset, vir Dei ad monastérium rédiit. Cum ecce post triduum in cel la consistens, elevátis in áera óculis, vidi eiúsdem soróris suae ániam, de eius córpore egréssam, in colúmbae spécie caeli secréta pene tráre. Qui tantae eius glóriae congáudens, omnipoténti Deo in hymnis et láudibus grátias réddidit, eiúsque óbitum frátribus denuntiávit.

Quos étiam prótinus misit, ut eius córpus ad monastérium deférrent, atque in sepúlcro, quod sibi ipse paráverat, pónerent. Quo facto cónsigit, ut quorum mens una semper in Deo fúerat, eórum córpora nec sepultúra separáret.

Responsorium

R. Cum Deum rogásset sanctimoniális virgo ne se fráter deséreret,

* Plus a Dómino cordis sui obtinére pótuit, quia plus amávit.

y. Ecce quam bonum et quam iucundum, habitare fratres in unum!

* Plus a Dómino.

vel

Ex antiqua Régula moniálium
(PLS 4, 1605-1606)

In puritate cordis et lacrimarum ubertate se exaudiri credat

"Ecce ego sto ad óstium et pulso; si quis aperúerit mihi, intrábo ad illum et cenábo cum illo et ipse mecum". Ad opus servitútis divínae miseratiónis quando assistimus, tam córpore quam ánimo paráti esse debémus, ut eum pulsántem intra mentis septa recipiámus eáque semper cor nostrum Spíritus Sancti igne accésum cágitet, quae Creatóris misericórdiam ad cenam veniéntem idémque ad cenam ducéntem próvocet. In qua quis cum vénérerit "inebriábitur ab ubertáte domus eius et torrénte voluptatis eius potábitur"; quia apud Christum "est fons vitae et in lúmine eius lumen vidébitur, qui preténdit misericórdiam suam sciéntibus se et iustitiam suam his qui recto sunt corde".

Ea ergo semper língua próferat quae Condítoris famulátus ore pláceat, iuxta illud psalmógraphi praecónium: "Servite, inquit, Dómino in timóre et exsultáte ei cum tremóre". Sic ergo Creatóri timéndo servítur, si opus bonum ad vocem láudis iúngitur, sicut álibi per psal mistam dícitur: "Psállite sapiénter". Sapiénter et enim quisque psallit qui voci laudáti nóxiis opéribus non contradícit et quáliter opórteat poténtiae divínae famulári sollicita religiónis cura omni stúdio per séquitur.

Sic ergo mens nostra ad psalléndum inténta, sic ad orándum paráta incédat, quáliter nullo prepédita temporális desidérii obstáculo nullo témportis fuscétur vitio, sed semper inténta et in caeléstibus sublimáta, humilitáte et puritáte ac promptíssima devotióne ornáta ad aetérna práemia tendat, sic cordis compunctióne flagret, quáliter in se Creató-

ris misericórdiam ad cleméntiam éxcitet, nec se in multilóquio quisquam sed pótius in puritáte cordis et lacrimárum ubertáte exaudíri credat.

Non enim longe oratiónis prolixitas sed prompte mentis inténtio pietátem cleméntis iúdicis éxcitat. Orándus ergo semper est ut largiá tur delinquéntibus véniam, qui languénti mundo per Crucis passióinem infúdit medicinam salus mundi aetérna Christus Iesus, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat in sáecula seculórum. Amen.

Responsorium

Io 4, 23-24

R. Veri adorátóres adorábunt Patrem in Spíritu et veritáte: *
Nam et Pater tales quaérit, qui adórent eum.

y. Spíritus est Deus, et eos, qui adórant eum, in Spíritu et ve ritáte opórtet adoráre. * Nam et Pater.

Evangelium (pro monialibus)

Io 4, 21-26

Veri adoratores adorabunt Patrem in Spíritu et veritate

+ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem.

In illo témpore: Dixit Iesus mulieri Samaritánae: "Crede mihi, múlier, quia venit hora quando neque in monte hoc neque in Hierosólymis adorábitis Patrem. Vos adorátis, quod nescitis; nos adorámus, quod sci mus, quia salus ex Iudáeis est.

Sed venit hora et nunc est, quando veri adorátóres adorábunt Patrem in Spíritu et veritáte; nam et Pater tales quaerit, qui adórent eum. Spíritus est Deus, et eos, qui adórant eum, in Spíritu et veritáte opórtet adoráre".

Dicit ei muller: "Scio quia Messias venit --qui dicitur Christus--; cum vénérerit ille, nobis annuntiábit ómnia". Dicit ei Iesus: "Ego sum, qui loquor tecum".

Verbum Dómini.

Homilia

Ex Homiliis venerábilis Godefrídi abbátis Admonténsis
(Hom. 34: PL 174, 232-233)

In verbis mulieris interrogántis, et Dómini respondéntis, docet étiam nos Dóminus quid et quómodo oráre debeámus, quod nulla orátió útilis et perfécta sit, nisi quae in confessióne verae et indivíduae Trinitátis fit. Patrem et Spíritum nóminat, per "veritátem" seípsum, qui est Fílius Patri et Sancto Spíritui consubstantiális et coaetérnus, significábat.

Adoráre útique debémus "Patrem in spíritu", ut collécto ad nos intra nos spíritu nostro circa nulla inutilia diffluámus, univérsos sensus nostros ad illum colligámus, quem adorámus, cuius pietatis et miserationíonis grátiam implorámus. Adoráre debémus in "veritáte", ut in oratióibus et bonis áctibus nostris nihil áliud quaerámus nisi verum et

summum illud bonum, cui nihil falsitatis et duplicitatis accedit. Tales adoratores diligit Deus.

Quod homo quaerit, illud diligit; quon non diligit, illud nec quaerit. Igitur quaerere Dei est diligere Dei. Quia qualescumque coram hominibus sint, quantumcumque ab eo peccando deciderint et perierint, quos tales futuros praescivit et praeordinavit, quaerit eos quia diligit eos, in quacumque peccatorum voragine submersi sint, inde extrahet eos per pietatis suae clementiam, quia colligit eos ad se per veram et perfectam paenitentiam.

"Deus" utique, qui "Spiritus est" vere adoratur, quando, "in Spiritu et veritate" adoratur, hoc est, quando exclusis rebus temporaliibus et caducis, collecto, ut diximus, ad se intra se spiritu suo, ita homo orat, quod nihil in oratione sua quaerit, nisi solum summum et verum bonum, quod cunctis bona excedit. Quando istum tam sublimem perfectio- nis gradum homo concenderit, recte cum beata hac muliere dicere poterit: "Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus. Cum ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia". Ibi enim plenum illud Sancti Spiritus donum, donum utique intellectus accipit, ibi de vera sui cognitione ad cognitionem Dei provexitur.

Cum verus ille "Messias qui dicitur Christus", per inspiracionis suae unctionem omnia ei quodammodo annuntiabit quia hominem nulla ita instruit lingua doctoris, sicut hora illa orationis, hora supernae infusio- nis. Ibi enim vere homo cum Deo, et Deus cum homine loquitur, quemadmodum consequenter subinfertur; nam sequitur: "Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum".

Responsorium

Mt 6, 6-8

R. Tu cum orabis, ora Patrem tuum, qui est in abscondito; * Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

V. Scit enim Pater vester, quibus opus sit vobis, antequam petatis eum. * Et Pater.

Ad Laudes matutinas

Hymnus

- | | |
|---|---|
| 1. Iam noctis umbrae concidunt,
dies cupita nascitur,
qua virginis Scholasticae
sponsus perennis iungitur. | 4. Quam pulchra gressum promoves,
o cara proles Principis!
Nursinus abbas adspicit,
grates rependit Numinis. |
| 2. Brumae recedit taedium;
fugantur imbres nubibus:
vernantque campi siderum
aeternitatis floribus. | 5. Amplixa Sponsi dexteram,
metit coronas debitas,
immersa rivis gloriae,
Deique pota gaudiis. |
| 3. Amoris auctor evocat:
dilecta pennas induit;
ardens ad oris oscula
columba velox evolat. | 6. Te Christe flos convallium,
Patremque cum Paracclito,
cunctos per orbis cardines,
adoret omne saeculum. Amen. |

AM 816

Psalmodia

Ant. 1. Iam hiems transiit, imber abiit et recessit: surge amica mea, et veni. viii T. AM 707

Ant. 2 Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langeo. i T. AC2 480.

Ant. 3 Surge, prope, amica mea, columba mea, formosa mea: veni, et accipe coronam quam tibi Dominus preparavit in aeternum. vii T. AM 820.

Ant. 4 Dedit mihi Dominus pennas sicut columbae, et volabo et requiescam. vii T. AM 819

Ant. 5 Sicut lumen inter spinas, sic amica mea inter filias. ii T. AC1 192

Lectio brevis

1 Cor 7, 32.34

Volo vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placet Deo. Et mulier innupta, et virgo cogitat quae Domini sunt.

Responsorium breve

Ps 132 (133), 1. 3

R. Ecce quam bonum et quam iucundum, * Habitare fratres in unum.

V. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem. * Habitare.

Ad Benedictus, ant. Cum sanctus Benedictus post triduum in cella consisteret, elevatis oculis, videt sororis animam de corpore egressam, in columbae specie caeli secreta penetrare. vii T. AM 816

Oratio

Deus, qui beatam Scholasticam virginem innocenciae lumine decorasti, da nobis, intemerata tibi semper conversatione placere, ut te cum choris virginum celebrare delectemur in caelis. Per Dominum.

Ad Vesperas

Hymnus

- | | |
|---|--|
| 1. Te, beata sponsa Christi,
turba tollit virginum
caelitumque coetus omnis
laudibus, Scholastica; | 2. Quae caduca mundus offert
docta quondam spernere,
dogma fratris insecuta
eius atque regulae, |
| nostra votis te salutant
mixta nunc praeconia. | ex odore gratiarum
astra nosti quaerere. |

3. Alta verba fratris optans
de perénni pátria,
tu fluéntis lacrimárum
cogis imbrés currere,
facta vi dilectiónis
iure tunc poténtior.

4. Luce fulgens expetita
in polórum vértice,
clara flammis caritátis
cum nitóre grátiae;
iuncta Sponso conquiéscis
in decóre glóriae.

Lentini n. 16, p. 59

Psalmodia

Antiphonae ut ad Laudes matutinas.

Lectio brevis

1 Io 3, 21-23

Caríssimi: si cor nostrum non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deum, ut quodcumque petiérimus accípimus ab eo, quóniam mandáta eius custodímus et ea, quae sunt plácita coram eo, fáscimus. Et hoc est mandátum eius, ut credámus nómini Filii eius Iesu Christi et diligámus altérutrum, sicut dedit mandátum nobis.

Responsorium breve

Ps 72 (73), 26b; 54 (55), 7

R. Deus cordis mei, * Et pars mea Deus in aetérnum.

V. Quis dabit mihi pennas sicut colúmbae, et volábo et requiéscam? * Et pars mea.

Ad Magnificat, ant. Hódie sacra virgo Scholástica in spécie colúmbae ad aéthera tota festiva perréxit; hódie caeléstis vitae gáudiis cum fratre suo merétur pérfrui in sempitérnum. viii T. AM 819

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Die 11 februarii

S. BENEDICTI ANIANENSIS, abbatis

Memoria ad libitum

Benedictus ex stirpe Comitum de Vitiza de Megalonensi civitate natus anno círciter 750, monachus in monasterio S. Sequani apud Divionem factus, anno 779 in praedio patris ad Anianum rivum proprium monasterium fundavit, arctioris scilicet vitae observantiae,

5. Nunc benigna pelle nubes
córdibus fidélium,
ut seréna fronte splendens
Sol perénnis lúminis,
sempitérnae claritátis
nos inúndet gáudiis.

6. Glóriam Patri canámus
unicóque Fílio,
par tribútum proferámus
inclito Paráclito,
nútibus quorum creántur
et regúntur sáecula. Amen.

quam ipse tamen aliquot post annos temperavit. Iussu Ludovici Pii anno 814 abbatiam S. Mauri regendam suscepit et sequenti anno illam imperialis iuris, monasterium scilicet S. Cornelii apud Aquisgranum gubernavit. Ex tunc in regno Francorum monasteriorum reformator factus est, in quibus Regulae S. Benedicti plenam auctoritatem tribuit. Die 11 februarii anni 821 e vita migravit.

De Communi Sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad Vigiliás

Lectio altera

E "Concordia Regularum Patrum" sancti Benedicti Anianensis abbátis
(Praefatio: PL 103, 714-716)

Placuit in unum coarctari sententias
quae cum Patris Benedicti concordare noscuntur Regula

Benedictus últimus abbátum, abbátibus et mónachis ómnibus in Deo Christo salútem.

Dum commúni utilitáti cónsulens atténtius quaérerem quómodo útilius possem cunctis prodésserem, coepi sanctórum Vitas regulásque légere Patrum. Quas dum sagáci intentiōne percúrrerem, et éadem paene, quae a sancto Benedicto proláta sunt, verba in quibúsdam locis, in quibúsdam vero sensum eúmdem cognóscerem, occúrit ánimo ea quae a tépidis segnibusque mónachis dici ásselet. Quid céterae huic cónferunt régulae? Quid ad me, quas non promisi, périnet légere?

Et haec quidem dicunt ignoráentes beátum Benedictum suam a caéteris assumpsisse Regulam, et véluti ex manípulis unum strénue contraxisse manípulum. Quapropter, seu propter eos qui eas habéntes ignórant quibus in locis sit eórum concórdia, plácuit omnes ex ómnibus in unum coarctári sententias quae cum Patris Benedicti concordáre noscúntur Régula, quátenus unus ex multis colléctus existeret codex. Ita dumtáxat ut beáti Benedicti praecéderent, quibus sequéntes caéterae necti possent. Quámobrem "Concordiae Regulárum" hic liber sortitus est nomen.

Nóverint tamen omnes qui hunc lectúri sunt librum, quóniam non vanæ laudis instinctu, nec arrogántiae fastu, quasi meum post in toto orbe diffúsam doctrínam in arénti rívulo cùpiens osténdere nomen; sed dilectionis afféctu, ánime meae omniúmque légere cupiéntium salútis augménto a me esse coéptum. Qua de re testem invoco non mei solúmmodo, sed ómnium córdium Cognítórem: quóniam ipse novit me non tumóris, sed caritátis causa hoc opus egisse.

Quem totis víribus sédulo déprecor, ut, qui se datúrum pro cálice áqua frigidae mercédem promíssit, meórum saltem pro hoc exiguo ópere remissiónem tribuat ómnium peccatórum.

Vos vero omnes, qui hunc auditúri, lecturique estis librum, supplex exóro ut dum ex vobis spiritália sumpséritis mella, pro meis reáribus Dómino non dedignémini fúndere precem.

Súmite ergo gratánter a nobis útilem vobis contráctum libéllum.

Siquidem invictam robūstis condidimus turrem, eāmque praeclāris munivimus armis; invālidis vero multigenis ex flōribus nectare assūmpto lūcidum depinximus favum.

Responsorium

R. O beāti viri Benedicti sancta praecónia, o inaestimabilis dilectio caritatis! * Qui dum sáeculi pompam contémpsit, aeternae vitae coniúnctus est.
y. Cui vivere Christus fuit, et mori lucrum. * Qui dum.

vel

E Vita sancti Benedicti Anianensis a discípulo scripta
(PL 103: 359-382)

Quae sequenda monebat, prior implere curabat

Venerabilis vir Benedictus cum paucis sibi aggregatis frātribus, qui eius compérta opinióne ad eum conflúxerant, in Aniánum locum coepit florére in religióne pia, et caeléste iter voléntibus pándere gratis, propriis laboráre mánibus; et ne áliis praédicans ipse réprobus inveni- rētur, quae sequéndā monébat, prior implére curabat.

Coepit intéraea paulátim turba discipulórum crēscere, et fama piae religiónis sensim per circa habitántium ora volitare, seséque exténdens ad longe pósita decúrrere loca. Et quóniam vallis, in qua primum inséderat, perangústa erat, páululum extra confinia eius monastérium novo ópere constrúere coepit, laborantibúsque frātribus ipse aliquándo col- laboráre, aliquándo autem eórum ad vescéndum decóquere victum, librúm- que étiam páriter circa coquínam occupátus scribere satagébat.

Plenus nempe caritáte, ex divérsis locis in suo coenóbio suscéptos alébat cléricos ac mónochos, quibus magistrum praepónens sacris imbuébat sénsibus. Caritáte sibi iniúriam faciéntibus mónera destinábat. Neque laborándum est ut pandámus quae mélius cuncti vidérunt, perplúres obséquio expérti sunt.

A rigóre vero suae primae conversiónis páululum declinárat, quóniam impossibile opus assúmpserat; sed volúntas éadem permanébat. Siquidem cum arántibus ipse arábat, cum fodiéntibus sócius erat, cum messóribus metébat.

Praefécit eum quóque imperátor cunctis in regno suo coenóbiis, ut sicut Aquitániam Gothiámque norma salútis instrúxerat, ita étiam Frán- ciā salutifero imbúeret exémplo. Ut autem, sicut una ómnium monachórum erat proféssio, fieret quoque ómnium monasteriów salúbris una consuetúdo, iubénte imperatóre aggregatis coenobiórum pátribus una cum quamplúribus mónochis perplúres resédit dies. Omníbus ergo simul pósitis Régulam ab íntegro discutiens, cunctis obscúra dilúcidans, dūbia patefécit, priscos erróres ábstulit, útiles consuetúdines affectúsque confirmávit.

Iudicia ígitur Régulae cunctáque dūbia ad proficuum dedúcta efféc- tum, quas minus Régula pandit consuetúdines, assentiéntibus cunctis prótulit; de quibus étiam capitulárem institútum imperatóri confirmán- dum práebuit, ut ómnibus in regno suo pósitis monastériis observáre praecíperet.

Invaléscente autem aegritúdine, fratribúsque valefáciens, tota nocte oratióibus psalmodiisque pernóctans, ipsius diéi reguláre officium perégit. Ventum est ad cláusulam "Iustus est, Dómine"; quem versículum decántans ait: "Deficio", et adiécit: "Fac cum servo tuo, Dómine, se- cundum misericórdiam tuam". Sicque inter verba oratiónis virtútibus decorátum emisit spíritum.

Responsorium

Ps 33 (34), 12. 3

R. Venite, fili, audite me: * Timórem Dómini docébo vos.

y. In Dómino gloriábitur áнима mea, ádiant mansuéti et laetén- tur. * Timórem Dómini.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Iustus cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altissimi deprecábitur.

3 T. AC2 34*

Oratio

Deus, qui beāti Benedicti abbátis doctrina et exémplo vitam moná- sticam renovásti, eius intercessióne concéde propítius, ut perféctam disciplinam teneámus in Christo. Qui tecum.

Ad Vespertas

Ad Magnificat, ant. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et ostén- dit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit il- lum in labóribus, et complévit labóres illius. iv T. AC2 30*

Die 12 februarii

B. HUMBELINA, monialisMemoria ad libitum

Humbelina, soror sancti Bernardi abbatis, cum visendi gratia fratrem adisset, ab ipso Claravalle ad meliorem vitam conversa est. Biennio post, coniuge consentiente, asceterium Benedictinarum de Iulleio in Burgundia ingressa, priorissa electa est. Ante annum 1136 de vita decessit.

De Communi Sanctarum: pro religiosis, vel de Communi monialium.

Ad VigiliasLectio altera

E Vita S. Bernárdi Prima, auctóre Guillélmo a S. Theodorico
(PL 185, 244-245)

Quidquid praeceperit frater meus, facere parata sum

Humbélina in sáeculo nupta, et sáeculo dédita, cum in divitiis saéculi periclitarétur, tandem aliquándo inspirávit ei Deus ut fratres suos apud Claramvállem visitáret.

Cumque venisset quasi visúra venerábilem fratrem suum Bernárdum, et adésset cum comitátu supérbo et apparátu, ille detéstans et éxscrans eam tamquam rete diáboli ad capiéndas ánimás, nullátenus acquiévit exire ad vidéndum eam.

Quod áudiens illa, confúsa et compúncta veheménter, cum ei nullus fratrūm suórum occúrrere dignarétur, cum a fratre suo Andréa, quem ad portam invénerat monastérii, ob véstium apparátum stercus involútum argueréatur, tota in lácrimis resolúta: "Et si peccátrix sum", inquit, "pro tálibus Christus mórtuus est. Quia enim peccátrix sum, idcirco consilium et collóquium bonórum requiro. Et si déspicit frater meus carnem meam, ne despiciat servus Dei ánimam meam. Véniat, praecípiat: quidquid praeceperit, fácere parata sum".

Hanc ergo promissióinem tenens, éxiit ad eam cum frátribus suis frater eius Bernárdus, qui formam vitae matris suae, in qua multo témpore vixit cum viro suo, ei indixit, et sic eam a se dimísit. Illa vero oboedientissime parens praecepto, rédiit ad propria, mutáta repénte secúndum omnipoténtiam déxterae Excélsi. Stupébant omnes adolescéntulam nóbilem, delicátam, súbita mutatio in hábitu et in victu, in médio saéculi vitam dúcere eremiticam: instáre vigiliis et ieíuniis, et continuis oratióibus, et ab omni sáeculo prorsus se fácere aliénam.

Biénno póstea sic vixit cum viro suo, illo sane, secúndo máxime anno, dante Deo honórem, nec temeráre ultérius prae suménte templum Spíritus Sancti. Qui étiam tandem virtúte eius perseverántiae victus, liberámque a se dimittens, iuxta ritum Ecclésiae, facultátem ei concéssit serviéndi Deo cui se probávit. Illa vero optáta libertáte potíta, monastérium Iulléum ádiens, cum sanctimoniálibus ínibi Deo serviéntibus réliquum vitae suae Deo vovit; ubi tantam ei Dóminus grátiam cónstulit sanctitátis, ut non minus ánimo quam carne illórum probarétur virórum Dei esse germána.

Responsorium

Ps 44 (45), 1

R. Regnum mundi et omnem ornátum sáeculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Iesu Christi: * Quem vidi, quem amávi, in quem créddidi, quem diléxi.

V. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ópera mea Regi. * Quem vidi.

vel

Ex Epistulis sancti Bernárdi abbátis Claraevallénsis
(Edit. Cist. VII, epist. 114, 291-293)

Magis vitam quam vestem appetis habere ornatam

Magnum est mihi gáudium, quod te ad verum et perféctum gáudium vel le téndere cómperi, quod non est de terra, sed de caelo; id est, non de hac conválle ploratiónis, sed de illa quam flúminis impetus laetificat civitáte Dei. Et revéra illud verum et solum est gáudium, quod non de creatúra, sed de Creatóre concípit; et quod cum posséderis, nemo tollet a te; cui comparáta omnis aliúnde iucunditas maeror est; omnis suávitas dolor est; omne dulce, amárum; omne decórum, foedum; omne postrémo quodcúnque áliud delectári possit, moléstum.

Dénique tu mihi testis es in hac re: teípsam intérroga, quia tu tibi familiárius credes. Numquid non hoc ipsum clamat in corde tuo Spíritus Sanctus? Annon tibi iam ab ipso, priúsqam a me, huius rei véritas persuása est? Quando enim tu, fémina et iuvéncula, formósa et ingénua, sic frágilem et sexum vínceres et aetátem; sic spectábilem et formam et generositátem contémneres, nisi cuncta quae córporis sénsibus súbiacent, in illórum iam tibi comparatióne viléscerent, quae te intérius et confórtant ut vincas, et deléctant ut praeferas?

Nec immérito. Módica, transitória, terréna sunt quae déspicis; máxima, aetéerna, caeléstia sunt quae áppetis. Plus dicam, et verum dicam: tenebras déseris, et lucem ingrédieris. De profundo flúctuum emérgis ad portum; de misera servitúte in felicem libertátem respiras; de morte dénicie transis ad vitam: siquidem usque modo tua non Dei voluntáte, tua vivens non Dei lege, vivens mórtua eras; vivens mundo, mórtua Deo; sive, ut vérius loquar, nec mundo vivens, nec Deo.

Sed ecce iam vétera Christo auctóre transiérunt, et nova fieri incipiunt ómnia, dum cultum exteriórem interióre commútatas, et magis vitam quam vestem áppetis habére ornátam. Facis quod debes, immo quod iam olim fecisse debúeras. Sed Spíritus, qui, sicut vult, ita et quando vult, spirat, nequidem spiráverat. Et idcirco fórsitan quod hucúsque egisti, excusatiónem habet.

Caéterum si flammántem Spíritum, quo nunc recáluit sine dúbio corrúum intra te, et in meditatióibus tuis exardescéntem ignem divínum iam exstingui permíseris, quid restat, nisi ut te illi servándam nōveris igni qui non possit exstingui? Sed exstinguat pótius idem Spíritus in te concupiscéntias carnáles, ne forte ab his prae focáto, (quod absit), nuper concépto sancto desidério, in flamas contingat incidere gehennáles.

Responsorium

Prov 31, 30. 29

R. Fallas grátia et vana est pulchritúdo; * Múlier timens Dóminum ipsa laudábitur.

V. Multae filiae fórtiter operátae sunt, tu supergréssa es universas. * Múlier timens.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum, quia concupivit Rex speciem tuam. 3 T. AC2 42*

Oratio

Deus, in quem sperat omnis anima, adesto nobis, quaesumus, intercedente beata Humbelina, ut sincera humilitate tibi subiecti, sic transamus per bona temporalia, ut non ammitamus aeterna. Per Dominum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus preparavit in aeternum. viii T. AC2 37*

Die 14 februarii

**SS. CYRILLI, monachi, et METHODII, episcopi
Europae Compatronorum**

Memoria

In Europa: Festum

Thessalonicae natus, Cyrillus optime eruditus est Constantino-poli. Cum fratre Methodio in Moraviam se contulit ad fidem praedicandam. Textus liturgicos ambo paraverunt lingua slavica, typis "cyrillicis" postea sic dictis conscriptos. Romam cum essent vocati, ibi Cyrillus mortuus est die 14 februarii anno 869, Methodius vero episcopus creatus, qui deinde in Pannoniam se contulit, quam indefesse evangelizavit. Multa perpessus est ab invidiis, sed a Pontificibus Romanis adiutus est. Mortem obiit die 6 aprilis anno 885 Velahradii in Cecoslovachia. Ioannes Paulus papa II vero eos totius Europae apud Deum caelestes Compatronos declaravit, die 31 decembris 1980.

De Communi pastorum.

Ad VigiliasLectio altera

E Vita Constantini slavica
(Cap. 18: Denkschriften des kaiserl. Akademie
der Wissenschaften 19, Wien 1870, 246)

Auge Ecclesiam tuam, et omnes in unitate collige

Constantinus Cyrillus multis laboribus oneratus in morbum incidit et, morbum per multos dies ferens, vidit quondam visionem Dei et ita

cancere coepit: "De iis, quae mihi dixerunt: In domum Domini intrabimus, laetatus est spiritus meus et cor exultavit".

Postquam indutus est venerandis vestimentis, ita permansit totum diem illum, gavisus et dicens: "Ab hoc tempore non sum servus neque imperatoris neque hominis cuiuspiam in terra, sed Dei tantum omnipotenter. Non eram et existi et ero in aeternum. Amen". Sequente vero die, sanctum habitum monasticum induit, et lucem luci addens indidit sibi nomen Cyrilli. In hoc habitu permansit quinquaginta dies.

Cum hora venisset, ut requiem acciperet et migraret in habitaciones aeternas, manibus ad Deum sublati orabant, ita cum lacrimis loquens:

"Domine, Deus meus, qui omnes angelicos ordinis et vires incorporeas creasti, caelum extendisti et terram firmasti et omnia, quae existunt, ex nonexistentiis in existentiam perduxisti; qui semper exaudiens eos, qui voluntatem tuam faciunt et te venerantur et praeconta tua servant, exaudi orationem meam et fidem gregem tuum serva, cui me servum tuum ineptum et indignum praefecisti.

Libera eos ab impiis et gentili malitia eorum qui te blasphemant, et auge Ecclesiam tuam multitudo, et omnes in unitate collige. Fac populum eximium, concordem in vera fide tua et confessione recta, et inspira cordibus eorum verbum doctrinae tuae: tuum enim est donum, quod nos ad praedicationem Evangelii Christi tui accepisti, incitantes ad bona opera et facientes ea, quae tibi grata sunt. Quos mihi dedisti, tamquam tuos tibi reddo; rege eos forti tua destra, et tege eos tegmine alarum tuarum, ut omnes laudent et glorificant nomen tuum, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen".

De osculatus vero omnes sancto osculo, dixit: "Benedictus Deus, qui nos non in praedam dedit dentibus invisibilium adversariorum nostrorum, sed rete eorum rupit et nos a perditione eorum liberavit". Et ita obdormivit in Domino, quadraginta duos annos natus.

Praeccepit Apostolicus ut omnes Graeci, qui essent Romae, et Romani cereos ferentes congregati super eum canerent, et ut funus eius prosequerentur non aliter ac ipsi papae fecissent; quod etiam fecerunt.

Responsorium

Cf. Ps 88 (89), 20. 21-22a; Ier 3, 15

R. Locutus es sanctis tuis, et dixisti: Exaltavi electum de plebe. Inveni David servum meum; * Oleo sancto meo unxi eum; manus enim mea firma erit cum eo.

y. Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. * Oleum.

Vel

Ex litteris Apostolicis "Egregie virtutis" Ioannis Pauli papae II
(AAS 73, 1981, 259-260)

Placuit SS. Cyrilum et Methodium compatronos Europae renuntiari

Cyrillus et Methodius fratres, Graeci, Thessalonicae nati, ea nemppe in urbe, in qua beatus Paulus et dicit et operatus est, ab usque suae vocationis initio arctas rationes institutionis spirituialis in-

genique culturae cum Patriarchali Ecclésia Constantinopolitána suscepérunt, tum témporis liberalissimis stúdiis affluénte, ac missionáli labore operósa, in eiúsque altiore doctrinárum sede formáti sunt. Utérque vero Monachórum vitae institútum cepérunt, ea tamen lege atque consilio, ut una cum officiis Religiósae professiónis, étiam fidei propagandae stúdium coniungérunt.

Cuius profécto stúdii documéntum dedérunt in evangelizatióne Cazarórum, circa Chersonésum Táuricam incoléntium, quam secúta est, opus illórum praecípuum, sacra in Magnam Moráviam expedítio, inter pópulos, qui tum regiόnes, ad médium Danúvium flumen adiacéntes, inhabitábant, rogátu scilicet Morávi Príncipis Ratislái, qui Imperatórem Ecclesiámque Constantinopolitánam id popóscerat. Ut vero illi necessitatibus apostólici múneler párerent apud eos pópulos, divinas Litteras in illórum lingua vertérunt, qua in sacra Liturgia et in erudiénda gente uteréntur.

Ita factum est, ut fundaménta cultus humáni eórum populórum in proprio ipsórum sermóne iacta sint. Iure ergo ac mérito iídem habéntur non modo Slavórum Apóstoli, sed étiam culturae patres géntium ómnium illárum ac natiónum, quibus sane haec prima linguae Slávicae monuménta ea sunt, ad quae, tamquam ad principium et fontem, rélique omnes posteriórū aetátum litterae revocéntur opórtet.

Cyríllus autem et Methódius ministérium suum missionále sic egérunt, ut sive cum Ecclésia Constantinopolitána conspirárent, a qua misserint, sive étiam cum Romána Petri Sede, quae eos confirmavisset, quasi in signum unitatis Ecclésiae, quae tali eórum vitae atque indústriae témpore nullam divisiónis vicem subierat Oriéntis et Occidéntis, tamétsi incénsae tunc graves contentiōnes Romae cum Constantinópoli erant.

Quandoquidem autem hoc anno Ecclésia millésimum quingentésimum exáctum annum egit ab ortu S. Benedicti, quem quidem Paulus VI, anno 1964, Európae Patrónum dedit, visum est hanc Európae protectiōnem aperiōre in luce collocári, si egrégio huius sancti Patriarchae Occidéntis óperi, praecípua étiam Cyrilli atque Methódii fratrū mérita coniungeréntur. Qua re, ántequam hic annus, redintegrández S. Benedicti memória sacer, ábeat, optámus ut allátae causae per has Litteras magnificéntur, quibus plácuit SS. Cyrillum et Methódium compatrónos Európae renuntiári.

Responsorium

Mc 16, 15-16; Io, 3, 5

R. Eúntes in mundum univérsum, praedicáte Evangélium omni creatúrae: * Qui crediderit et baptizáitus fúerit, salvus erit.

V. Nisi quis renátus fúerit ex aqua et Spíritu, non potest introire in regnum Dei. * Qui crediderit.

Ad Laudes matutinas

Hymnus

1. Lux decóra pátriae
Slavisque amica géntibus,
salváte, fratres, ánnuo
extóllimus vos cántico.

2. Quos Roma pláudens éxcipit,
compléxa mater filios,
honóris auget lúmine
novóque format róbore.

3. Terras adúsque bárbaras
inférre Christum pérgitis;
quot vanus error lúserat,
almo replétis múnere.

4. Nóxis solúta péctora
ardor supérnus ábripit;
mutátur horror véprium
in sanctitátis flósculos.

5. Et nunc adéste caélitus
cunctis in orbe géntibus;
factis avítis áemula
fides viréscat púlchrior.

6. Sit Trinitáti glória,
quae vestra nobis inclita
des pérsequi vestigia
attíngere atque práemia. Amen.

Psalmodia

Ant. 1 O quam speciōsi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona. vi T. (Hauterive)

Ant. 2 Grátia Dei et misericórdia est in Sanctos eius, et respéctus in éléctos illius. viii T. (Hauterive)

Ant. 3 Ideo accípient regnum decóris, et diadéma spéciei de manu Dómini. viii T. (Hauterive)

Ant. 4 Benedícite, sacerdótes Dómini, Dóminum: laudáte et superexaltáte eum in sáecula. 7 T. (Hauterive)

Ant. 5 Gaudéte et exsultáte, quia nómina vestra scripta sunt in caelis. viii T. (Hauterive)

Ad Benedictus, ant. In sanctitáte et iustitiae serviérunt Dómino ómnibus diébus suis; ideo stolam glóriae induit illos Dóminus Deus Israel. 8 T. OCO (Hauterive)

Oratio

Deus, per beátos fratres Cyríllum et Methódium Slavóniae gentes illuminásti, da córdibus nostris tuae doctrínae verba percípere, nosque périfice pópulum in vera fide et recta confessióne concórdem. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Hymnus

1. Sédibus caeli nitidis recéptos
dícite athléta géminos, fidéles;
Slávicae duplex cólumen decúsque
dícite gentis.

2. Hos amor fratres sociávit unus
únaque abdúxit pietas erémo,
quo darent multis citius beátae
pignora vitae.

3. Luce, quae templis súperis renidet,
Búlgaros complent, Morávos, Bohémos;
dévias turmas numerósa Petro
ágmina ducunt.
4. Fiat o vestris méritis ut orbis
noscat aetérnae fidei nitórem;
quae dedit princeps, dabit ipsa semper
Roma salútem.
5. Christe, qui tantos fidei magistros
hos tuos servos pópulis dedísti,
laus tibi, nobis eádem paránti
gáudia caeli. Amen.

Psalmodia

Ant. 1 O quam specíosi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona. vi T. (Hauterive)

Ant. 2 Grátia Dei et misericórdia est in Sanctos eius, et respéctus in eléctos illiū. viii T. (Hauterive)

Ant. 3 Ideo accipiunt regnum decóris, et diadéma spéciei de manu Dómini. viii T. (Hauterive)

Ant. 4 Gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiosa est in caelis. vii T. (Hauterive)

Ant. 5 Gaudéte et exsultáte, quia nómina vestra scripta sunt in caelis. viii T. (Hauterive)

Ad Magnificat, ant. Isti sunt viri sancti facti amici Dei, divinæ veritatis praecónio gloriósi: linguae eórum claves caeli factae sunt. i T. OCO (Hauterive)

Die 16 februarii

S. PETRI DE CASTELNAU, monachi et martyris O. N.

Memoria ad libitum

Petrus in Castronovo apud Montem Pessulum natus, antea archidiaconus Ecclesiae Magalonensis, postea monachus Fontis Frigidi dioecesis Narbonensis factus, anno 1202 ab Innocéntio III legatus contra haereticos Albigenses destinatus est. Quo in munere fortiter ac strenue in eos pugnavit, donec ab eorum militellancea percussus, occisori pepercit ac die 16 februarii (vel 15 ianuarii) anni 1208,

diu pro percurssore orans, in Domino obdormivit.

De Communi martyrum, vel de Communi monachorum.

Ad VigiliasLectio altera

Ex litteris Innocéntii papae tértii
(Litt. 1208/26: PL 215, 1354-1357)

De caede beati Petri de Castronovo

Cum sanctae memóriaie frater Petrus de Castronóvo, mónachus et sa-cérdos, vir inter viros útique virtuósos vita, sciéntia et fama pree-clárus, ad evangelizándum pacem et astruéndam fidem in Provinciam a nobis cum áliis destinátus, in commisso sibi ministério laudabiliter profecísset et proficere non cessáret, quippe qui plene in schola Chri-sti dídicera quod docéret, et eum, qui secúndum doctrínam est fidélem obtinéndo sermónen, in sana póterat exhortári doctrína et contradicén-tes revincere, parátus semper omni poscénti réddere ratiónen, utpote vir in fide cathólicus, in lege peritus, et in sermóne facundus, conci-távit advérsus eum diábolum ministrum suum.

Mane facto, et missa celebráta de more, cum innóci Christi milites ad tránsitum flúminis se parárent, unus de praedictis Sátanae satelli-tibus lánceam suam vibrans, praenominátum Petrum supra Christum petram immóbili firmitáte fundátum, tantae proditionis incáutum, inter costas postérius vulnerávit. Qui pius in impium respícens percussórem, et Christi magistri sui cum beáto Stéphano secútus exémplum, dixit ad ipsum: "Deus tibi dimittat, quia ego dimitto", pietatis et patiéntiae tantae verbum sáepius repeténdo. Deinde sic transfixus, acerbítatem illáti vúlneris spe caeléstium est oblítus, et instánti suae pretiósae mortis artículo cum ministérii sui sóciis quae fidem promovérent et pacem non désinens ordináre; post multas demum oratiónes in Christo feliciter obdormivit. Qui profécto ob fidem et pacem, quibus nulla prorsus est causa laudabilior ad martyrium, sanguinem suum fudit.

Nisi enim granum frumenti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet; cum autem mórtuum fúerit, plúrimum fructum affert. Sperán-tes igitur quod de morte huius fecundíssimi grani multus sit fructus in Christi Ecclésia proventúrus.

Quia vero secúndum senténtiam veritatis timéndi non sunt qui corpus occidunt, sed qui potest corpus et ánimam mittere in gehénnam, confidi-mus et sperámus quod praefáti hóminis Dei mors áliis orthodóxae fidei sectatóribus non solum timórem non incútiet, sed accéndet amórem; ut eius exémplu qui vitam aetérnam temporáli morte feliciter est mercáitus, ánimás suas in tam glorióso certámine, si necésse fúerit, pro Christo pónere non formident.

Responsorium

R. Hic est vere martyr, qui pro Christi nōmine sanguinem suum fudit, * Qui minas iūdicum non timuit, nec terrēnae dignitatis gloriā quae sīvit, sed ad caelēstia regna pervaenit.

y. Iustum deduxit Dōminus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. * Qui minas.

vel

Ex Sermónibus sancti Bernárdi abbatis Claraevallensis super Cántica Canticorum
(Sermo 61, 7-8: Edit. Cist. II, 152-153)

Martyr non sentit sua, dum Christi vúlnera intuēbitur

Idcírco dénique audit: "Colúmba mea in foramínibus petrae", quod in Christi vulnéribus tota devotio versétur, et iugi meditatio de-moréatur in illis. Inde mártiri tolerántia, inde illi fidúcia magna apud Altissimum. Non est quod vereátur martyr exsanguem lividāmque levare ad eum fáciem, cuius livore sanátus est, gloriósam repreäsentare similitudinem mortis eius, útique "in pallóre auri".

Quid vereátur cui étiam a Dómino dícitur: "Osténde mihi fáciem tuam?" Ad quid? Ut mihi vidétur, se magis osténdere vult. Ita est: vidéri vult, non vidére. Quid enim ille non videt? Non est ei opus ut quis se osténdat, a quo nil non vidétur, nec si se abscóndat. Vult ergo vidéri, vult benignus dux devóti miltis vultum et óculos in sua sústolli vúlnera, ut illius ex hoc ánimum érigat, et exémplo sui reddat ad tolerándum fortíorem.

Enimvéro non séntiet sua, dum illius vúlnera intuēbitur. Stat martyr tripúdians et triúphans, toto licet lácero córpore; et rimante látera ferro, non modo fórtiter, sed alacríter sacrum e carne sua cir-cúmpicit ebullire crúrem. Ubi ergo tunc ánima mártiris? Nempe in tutto, nempe in petra, nempe in viscéribus Iesu, vulnéribus nimírum paténtibus ad introeúndum. Si in suis esset viscéribus, scrutans ea ferrum profécto sentíret; et dolórem non ferret, succúmberet et negáret. Nunc autem in petra hábitans, quid mirum, si in modum petrae durúerit? Sed neque hoc mirum si, exsul a córpore, dolores non séntiat córporis. Neque hoc facit stupor, sed amor. Submittitur enim sensus, non amittitur. Nec deest dolor, sed contémnitur.

Ergo ex petra mártiris fortítudo, inde plane potens ad bibéndum cálicem Dómini. Et calix hic inébrians quam praeclárus est! Praeclárus, inquam, atque iucundus non minus imperatóri spectánti, quam milti triumphánti. "Gáudium étenim Dómini, fortítudo nostra". Quidni gáudeat ad vocem fortíssimae confessiónis? Dénique et requírit eam cum desidério, "sonet", inquiens, "vox tua in áuribus meis". Nec cunctábitur re-péndere vicem secúndum suam promissióñem: continuo ut se conféssus fúerit coram hominibus, confitébitur et ipse eum coram Patre suo.

Rumpámus sermóñem; nec potest enim finiri modo, ne sit sine modo, si cuncta quae adhuc ex propóñito capitulo restant, uno velimus sermóne complécti. Ergo quod súperest servémus principio áltéri, ut de nostro sane et verbo et modo gáudeat sponsus Ecclésiae, Iesus Christus Dóminus noster, qui est super ómnia Deus benedictus in sáecula. Amen.

Responsorium

2 Tim 4, 7-8; Phil 3, 8-10

R. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi: * In réliquo repósta est mihi coróna iustítiae.
y. Omnia detriméntum feci ad cognoscéndum Christum, et societátem passiónum illius, configurátus morti eius. * In réliquo.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. v T. AC1 33*

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Petrum mártirem, strénum in propagatióne fidei tuae minístrum effecisti, concéde propítius, ut sicut ipse Dominicae passiónis imitátor fuit, ita nos, per eius vesti-gia gradiéntes, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Ad Magnificat, ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam aetér-nam custódit eam. 3 T. AC2 13*

Die 21 februarii

S. PETRI DAMIANI, episcopi et Ecclesiae DoctorisMemoria

Natus est Ravennae anno 1007; studiis absolutis, munus docendi suscepit, sed statim dimisit et eremum Fontis Avellanae intravit; ubi prior electus, vitam religiosam promovit strenue, quod etiam in aliis regionibus Italiae fecit. Temporibus calamitosis Pontifices Romanos adiuvit opera, scriptis, legationibus in Ecclesiae reformatiōne provehenda. A Stephano IX cardinalis et episcopus Ostiensis creatus, mortuus est anno 1072 et statim ut sanctus ex-cultus.

De Communi doctorum Ecclesiae; de Communi pastorum: pro episcopis.

Ad VigiliasLectio altera

Ex Epistulis sancti Petri Damiáni episcopi
(Lib. 8, 6: PL 144, 473-476)

Gaudium post tristitiam laetus exspecta

Rogásti me, dilectissime, ut consolatória tibi per epistolas verba transmitterem, et amárum ánimum tuum inter tot flagélla, quae páteris, blandis admonitióibus obdulcárem.

Sed si prudéntiae tuae rátio non obdórmiat, praesto est consolátio, cum et ipsa verba ad hereditátem capesséndam te divinitus erudíri, ut puta filium indubitánter osténdant. Quid enim apértilus eo quod dicitur: "Fili, accédens ad servitútem Dei, sta in iustitia et timóre, et preepara ániam tuam ad tentatióne?"

Ubi enim timor est et iustitia, adversitatis cuiúslibet tentátio non servilis est tortúra, sed patérrna pótius disciplina.

Unde et beátus Iob inter ipsa vérberum flagélla cum diceret: "Qui coepit, ipse me cónterat, solvat manum suam, et succidat me"; prótinus addidit: "Et haec mihi consolátio, ut affligens me dolóre non parcat".

Magna quippe eléctis Dei est consolátio ipsa divina percússio, quia, per momentánea flagélla quae pérferunt, ad nanciscéndam supérnae beatitudinis glóriam firmae spei gréssibus convaléscunt.

Ad hoc enim aurum málleus tundit, ut scóriam faber eiciat; ad hoc lima frequénter erádit, ut vibrántis vena metálli rutilántius enitéscat. "Vasa síquidem figuli probat fornax, et hómines iustos tentátio tribulatióne". Unde et per beátum Iacóbum dicitur: "Omne gáudium existimáte, fratres, cum in tentatiónes várias incidéritis".

Illis quippe iure gaudéndum est, quibus et pro malis suis hic afflictio temporális infértur, et pro bonis quae gésserant, práemia in caelo sempítéra servántur.

Quaprópter, caríssime et dulcissime frater, dum verbéribus cíngeris, dum caeléstis disciplínae tunsiónibus castigáris, non mente desperátio déprimat, non queréla murmuratiónis erúmpat, non tristitiae maenor absórbeat, non impatiéntem pusillanimitas reddat; sed semper serénitas in vultu, hiláritas in mente, gratiárum áctio resúltet in ore.

Laudánda quippe divina est dispensátio, quae ad hoc suos temporáliter vérberat, ut perpétuis eos flagéllis abscóndat; ad hoc premit, ut elevet; ad hoc secat, ut sanet; ad hoc déicit, ut exáltet.

His ígitur aliisque Scriptúrae divínae testimóniis, dilectissime, mentem ad patiéntiam róbora, et gáudium post tristitiam laetus exspécta.

Ad illud te gáudium spes érigat, cáritas fervórem accéndat, ut obliscáatur mens bene ébria quod extrínsecus pátitur, et ad hoc gliscat et tendat quod intérius contemplátur.

Responsorium

Cf. Sir 31, 8. 11a. 10cd

R. Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit nec sperávit in pecúnia et thesáuris. * Ideo stabilita sunt bona ipsius in Dómino.

y. Pótuit enim transgrédi et non est trangréssus, fácere mala et non fecit. * Ideo stabilita.

vel

Ex tractátu "De perfectióne monachórum" sancti Petri Damiáni episcopi
Tract. 13, 1-2: PL 145, 292-294)

Nisi quisque studeat coepta perficere,
ad amorem Dei nequit pervenire

Caríssimi, in vires vos, Christo auxiliánte, colligite, eiúsque militiam, in cuius arma iurástis, non ségniter, non enérviter, sed férvide pótius ac viríliter baiuláte, ut rudiménta conversatióne vestrae, quae adhuc in quodam meditúllio pósita sunt, non ad níhilum, quod absit, per negligéntiam rédeant, sed per continui fervóris instántiam ad perfectiōnis culmen excréscant.

Mementóte quod ángelo Sardis Ecclésiae dicitur: "Esto vigilans, et confírma caétera, quae moritúra erant; non enim invéni ópera tua plena coram Deo meo". Quia enim plena coram Deo eius ópera non invénerat, moritúra étiam illa, quae iam bene gesta fúerant, perhibébat. Si enim quod mórtuum in nobis est ad vitam non accénditur, hoc étiam extinguitur, quod quasi adhuc vivum tenétur.

Dédimus, fratres, ut confidénter dicam, dédimus nonaginta libras argénti regi nostro Christo, pro cuius intúitu posséssa reliquimus, coniúgium sprévimus, mundi pompas et glóriam perhorréscimus, nitórem saeculáris hábitus húmili ueste mutámus. Magna sunt haec, árdua sunt, fáteor, magisque supérnae retributióne munéribus compensánda; sed adhuc restat unde praefixum débeat pondus impléri, ut in gazophylácium Regis aetérni mereátur admitti.

Quáeritis quid sit hoc; occúrrit mihi prótinus, ut vobis ista respóndeam: Oboediéntia, cáritas, gáudium, pax, patiéntia, ceteráeque virtútes, quas géntium praedicátor enúmerat. Sed volo compendióse perstringere, quo menti vestrae váleat facilius, ac per hoc ártius inhaerere. Itaque nihil est áliud nisi fervor in Deum et mortificátióne temetipso.

Si enim apostólica in nobis senténtia viveret, qua dicitur: "Semper mortificatióne Iesu in córpore nostro circumferéntes", quia carnális amor non habéret ubi se intra nostra diffúnderet, necessário se omnis nostra delectátió in Deum suspénsa transférret; et illic noster ignis exsiliens viveret, quia intra nos diffundéndi se spátium non habéret.

Prudens étenim vir, et ad salútis suae custódiam veheménter inténitus, tanta repriméndis vitiis sollicitúdine semper invigilat, ut perfectae mortificatióne cíngulo lumbos suos et renes circumstringat.

Quia ígitur humána mens pénitus vacáre non valet, ut cuiúslibet rei se amóre non occupe, cum hoc virtútum muro úndique circumclúdatur; qui se circa se nequáquam dilatáre permittitur, supra se necésse rapiátur.

Responsorium

Mt 13, 52; cf. Prov 14, 33

- R. Omnis scriba doctus in regno caelorum, * Similis est homini patrifamilias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.
V. In corde prudéntis requiéscit sapiéntia, et indóctos quosque erúdier. * Similis est.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Qui docti fúerint, fulgébunt quasi spléndor firma-
ménti, et qui ad iustitiam erúdunt multos, quasi stellae in perpétuas
aeternitátes. vii T. OCO (Hauterive)

Oratio

Concéde nos, quáesumus, omnípotens Deus, beáti Petri episcopi móni-
ta et exémpia sectári, ut, Christo nihil prapónentes et Ecclésiae tuae
servitio semper inténti, ad aetérnae lucis gáudia perducámur. Per Dómi-
num.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. O doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte
Petre, divínae legis amátor, deprecáre pro nobis Filium Dei. ii T.
AC2 28*

Die 8 martiiS. STEPHANI OBAZINENSIS, abbatis O.N.Memoria ad libitum

Stephanus anno 1085 in Lemovicis ortus, sacerdos ordinatus,
eremiticam vitam coluit. Cum discipuli ad eum frequenter concur-
rerent, monasterium de Obazina exstruxit et anno 1142 primus abbas
ibidem electus est. Discipulos suos disciplina austera informavit
eandem tamen temperans cordis iucunditate. Priore Maioris Cartusiae
suadente, petiit ut monasteria quae fundaverat Cistercio aggre-
garentur. Quod factum est sedente Capitulo Generali anno 1157 ac
praesidente Domino Papa Eugenio III. Cisterci abbas Stephanum his
verbis Capitulo praesentavit: "Ecce abbas fragilis corpore, visu
deformis; scitote, tamen! Totum in eo Spíritu Sancto et fidei
virtute animatur!". Anno 1159 in monasterio de Aqua Bona e vita
migravit.

De Communi sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad VigiliasLectio altera

E Vita sancti Stéphani a discípulo anónimo conscripta
(Acta Sanctorum, Mart. tomus I, 806)

Praecipiebat discipulis ut semper Deum timerent

Vir sanctus, morbo invalescénte, gravius angi coepit. Fama aegritú-
dinis eius, cum ubique núnctiis discurréntibus percrebuisset, postquam
ad Obazinénsium áures pervénit, veheménter omnes afflicti, et ultra
quam credi possit turbáti sunt. Quómodo enim, quamvis sanctissimus
grex, tanto moriénte Pastóre, non turberétur? Cum scriptum sit: "Percú-
tiam pastórem, et dispergéntur oves". Multi enim iam non expósita
licéntia, ad ipsum certátim pergébant vel pótius confluébant; últimam
saltem benedictiónem, si áliud tunc non potuérunt, acceptúri. Quos
ille, ut pius Pater tamquam devótos filios benigne suscipiébat, et
singulos quosque benedicens, tactu blandissimo confovébat.

Cum ergo isdem Beátus vi fébrium ácrius urgerétur, gaudébat quidem,
quod ad desideráta bona transíret; sed dolébat, quod suos desolátos
et quasi orbátos relinquébat. Propter quod proténsis in caelum óculis
et mánibus, Deum deprecabátur, ut locum sibi créditum semper illustrá-
ret atque protégeret: et óvibus, quas per illum hacténus aggregáverat,
benignus Pastor existeret; et sua eas providéntia gubernáret.

Astábant ei omnes fratres praecípue, qui de eius monastério véne-
rant, flentes inconsolabiliter, et dicéntes: "Cur nos Pater déseris?
aut cui nos desolátos relinquis? Sufficiébat nobis paupértas nostra,
ut divítias computarémus, quod te vidérimus pastórem et gubernatórem
animárum nostrárum". Porro ipse, in quantum pótterat, eos consolabátur
et instruébat, praeciپiens eis, ut semper Deum timérent, et ipse libe-
ráret eos ab omni malo. Nam et seípsum eis dicébat presentiórem post
mortem futúrum, et cuncta necessária diligéntius provisúrum; si tamen
illi assíduis précibus obtinérent, ut ipse aetérna réquie fruerétur.

Cumque illum rogárent, ut frátribus útique Obazinæ, quos orbátos
relinquébat, última saltem mandáta dirigeret, ipse nihil áliud eis
praecipiébat, nisi ut sancti Ordinis, quem suscéperant, statúta firmi-
ter custodírent, et sanctae paupertatis, atque humilitatis observántiam
non desérent.

Cumque iam pénitus defecísset, apprehénsa quidam eius déxtera, mo-
nastérium omnésque fratres signábat, ipso, quantum pótterat, ad hoc ni-
ténte, et benedictiónis verba, frigescéntibus lábiis, vix tenúiter pro-
férante; sicque inter benedicéndum et orándum migrávit ad Dóminum octá-
vo idus mártii, circa médiam noctem, quae praecedébat Dominicam diem.

Responsorium

Sap 1, 1b-2; Ps 130 (131), 1a

R. Sentite de Dómino in bonitáte et in simplicitáte cordis quáe-

rite illum; * Quóniam invenitur ab his qui non tentant illum,
appáret autem eis qui fidem habent in illum.

V. Dómine, non est exaltátum cor meum, neque eláti sunt óculi mei.
* Quóniam invenitur.

vel

Ex Epistula Guliélmi a sancto Theodorico ad Fratres Montis Dei
(Sources Chrétiennes, 223, 224-228)

Aude sapere et aemulari carismata meliora

Elige tibi tu ipse consilio meo hóminem, cuius vitae exémplar sic cordi tuo inséderit, reveréntia inháeserit, ut quótiens eius recordátus fúeris, ad reveréntiam cogitáti assúrgas, et temetípsum órdines et compónas; qui cogitátus, ac si praesens sit, in afféctu mútuae caritátis eméndet in te ómnia emendánta, et tamen nullum patiátur damnum secréti sui solitúdo tua. Hic praesens tibi adsit quandocúmque volúeris; occúrrat saepe et cum nolúeris. Increpatíones eius describet tibi cogitáta sancta eius sevéritas; consolatíones, pietas et benignitas; exéplum, sanctae vitae sincéritas. Nam omnes étiam cogitatíones tuas cum ab eo vidéri cogitábis, ac si videat, ac si árguat, emendáre cogérис.

Sic secúndum praecéptum Apóstoli, sollicite temetípsum custódi. Et ut temetípsum semper aspicias, ab ómnibus óculos avérte. Egrégium instruméntum córporis óculus, si sicut cétera, sic étiam vidére posset semetípsum. Quod cum interiórí oculo concéssum sit, si ad exteriórí exéplum, seipsum néligens vacat circa aliéna, cum multum vult, non súfficit redire ad seipsum. Tibi vaca; multa tu ipse tibi sollicitúdini matéria es. Exclúde étiam ab óculis exterióribus quod desuevisti vidére; ab interióribus, quod amáre; quia nil tam fácile recrudéscit quam amor, máxime in tenióribus et recentióribus ánimes.

Aude étiam nonnúmquam sápere et aemulári carísmata meliéra, et tu ipse tibi esto parábola aedificatiónis. Alia cella tua extérior, ália intérior. Extérior est domus in qua hábitat áнима tua cum córpore tuo; intérior est consciéntia tua, quam inhabitáre debet ómnium interiórum tuórum intérior Deus, cum spíritu tuo. Ostium clausúrae exteriórī, signum est óstii circumstántiae interiórī, ut sicut sensus córporis per exteriórem clausúram foris vagári non permittúntur, sic interiòres sensus ad suum semper intérius cohibeántur.

Dílige ergo interiórem cellam tuam, dílige et exteriórem, et unicuique suum impénde cultum. Tegat te extérior, non abscóndat; non ut pecces occúltius, sed ut tútius vivas. Non enim scis, o rúdis íncola, quid cellae débeas, si non cógitas quómodo in ea, non solúmmodo curáris a vitiis tuis, sed étiam non habes rixári cum aliénis. Nescis étiam quem consciéntiae tuae débeas honórem, quicúmque in ea non experíris grátiam sancti Spíritus et intérnae suavitatis dulcédinem. Da ergo utríque cellae honórem suum, et tu tibi in ea vindica primátum tuum.

Responsorium

Prov 4, 10-11. 20-21

R. Audi, fili mi, et súscipe verba mea; viam sapiéntiae monstrávi tibi; * Duxi te per sémitas aequitatis.

V. Fili mi, auscúlta sermónes meos et ad eloquía mea inclína au-rem tuam; custódi ea in médio cordis tui. * Duxi te.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Iustus cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altissimi deprecábitur. 3 T. AC2 34*

Oratio

Concéde nobis, quáesumus, omnípotens Deus, beáti Stéphani abbátis ánnua commemoratióne gaudére, ut delectatiónes tuas, quae in déxtera tua sunt usque in finem cum ipso participáre valeámus. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Ad Magnificat, ant. Iste sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit angelórum, quia in hac peregrinatióne solo córpore constitútus, cogitatióne et aviditáte in illa aetérna pátria conversátus est.

S. FRANCISCAE ROMANAE, religiosaeMemoria ad libitum

Romae nata est anno 1384; adhuc iuvenis matrimonio copulata, tres peperit filios. Temporibus calamitosis vivens, bona pauperibus distribuit, aegrotis ministravit; mirabilis fuit in vita actuosa erga egenos et in virtutibus colendis, presertim humilitate et patientia. Anno 1425 Congregationem instituit Oblatarum sub Regula S. Benedicti. Mortua est anno 1440.

De Communi sanctorum mulierum: pro religiosis, vel de Commune monialium.

Ad VigiliasLectio altera

E Vita sanctae Franciscae Románae a María Magdaléna Anguillária práeside Oblatarum Turris Speculórum conscripta
(Cap. 6-7: Acta Sanctorum Mart. 2, *188-*189)

De patientia et caritate sanctae Francisciæ

Non in extérnis tantum fortúnae bonis probávit Franciscae patién-

tiam Deus, sed in ipso quoque illius corpore mūltiplex sūmere vóluit experiméntum per morbos, quibus diutúnis gravibúsque, ut dictum est dicetúrque deinceps, fuit exércita; sic tamen ut nullus impatiéntiae motus in ea observátus sit umquam, nulla displicéntia alicuius obséquii quantúmvis inépte sibi exhibiti.

Per filiōrum, quos tenérime diligébat, immatúra fúnera, constántiam suam Francísca probávit, ánimo semper tranquillo divínae sese voluntáti aptans et grátias agens in iis quae accidébant. Pari constántia maledicórum ac sibi detrahéntium, deque ipsius vivéndi modo male loquéntium linguas pérultit, ne minima quidem aversiónis indícium ab iis demónstrans persónis, quas de se suisque rebus pérperam sentire ac loqui nōverat; sed bonum pro malo reddens, solébat Deum pro ipsis continuo deprecári.

Quóniam ipsam non elégerat Deus ut sibi soli sancta foret, sed ut colláta sibi divinitus dona in proximórum spiritálem ac corporálem salútem converteret, tanta illam amabilitáte instrúxerat, ut cuicúmque ágere cum ipsa contigisset, is illico sentíret illius amóre aestimatio-néque captum se, atque ad omne ipsius arbitrium fléxilem. Ea namque verbis suis divínae virtútis efficácia inerat, ut brevi sermóne afflic-tis et aegris ánimiis, solámen fáceret, inquiétos sedáret, mitigáret irátos, reconciliáret inimicos, inveteráta ódia rancorésque extingue-ret et meditátem paratámque vindictam saepe sáepius impedíret, verbo uno ut frenásse hóminum quorumcúmque afféctus et eos quocúmque vellet dúcere posse videréatur.

Quare ex omni parte recurrebátur ad Franciscam, velut ad asýlum tutissimum, nec ab ea quisquam nisi consolátus recedébat, quamvis libe-re ipsa et peccáta reprehénderet, et quae nóxia erant Deóque ingráta citra formidinem castigáret.

Grassabántur Romae morbi várii, mortáles passim et pestiferi hábiti, in quibus non dubitávit sancta, spréto contagiónis perículo, exhibére víscera misericórdiae erga míseros et opis indigos aliénae; quos fácile repértos primum ad expiánda per compassióinem inducébat, sédulo deinde iuvábat ministério amánter exhórtans ut de manu Dei hoc quale-cúmque incómmodum libénter acceptárent, et pro eius amóre tolerárent, qui tam multa prior pro ipsis tulisset.

Non erat conténta iis, quos domi suae collígere pótterat, infirmis curándis Francísca; sed in suis illos mapálibus atque hospitálibus pú-blicis requirébat, ibique invéntis refovébat sitim, componébat lectos, obligábat úlcera; quae quanto foetentióra erant et magis stómacho suo contrária, tanto diligéntius accuratiúsque tractábat. Solébat étiam in Campum Sanctum iens cibos et delicatióra obsónia deférre secum, inter magis indigos distribuénda; domum autem revértens referébat detrita indusiórum frágmina et páuperes pannos immundítia plenos, quos diligénter elútos probéque resárto, tamquam ipsi Dómino suo servitúros, cu-rióse complicábat atque inter odóres reponébat.

Per annos omnino triginta hoc inserviéndi infirmis atque hospitá-libus ministérium secúta Francísca est, dum scilicet in sui mariti domo esset, frequens ad hospitália Sanctae Maríae et Sanctae Caeciliae in Transtíberim, ad áliud Sancti Spíritus in Sáxe, quartúmque in Campo

Sancto. Et quóniam eiúsmodi contagiónum témpore non solum difficile erat invenire médicos, qui curárent córpora, sed étiam sacerdótes, qui necessáriam animábus medicínam fácerent, ipsa eos requirébat adducebát-que ad tales, qui iam ad suscipiénda paeniténtiae et eucharistiae sa-craménta dispósiti erant; quod ut pro arbitrio suo commódius fáceret, alébat suis impéndiis sacerdótem, qui ad praedicta accéndens hospitália, praescriptos a se infírmos visitáret.

Responsorium

Cf. Rut 3, 10a. 11b; cf. Iudt 13, 19a

R. Benedicta es a Dómino; * Scit enim omnis póplus mulierum te esse virtútis.

y. Nomen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédet laus tua de ore hóminum. * Scit enim.

vel

Ex Sermónibus sancti Bernárdi Claraevallénsis
super Cántica Canticórum
(Sermo 49, 5-7: Edit. Cist. II, 75-77)

Discretio necessaria quae est ordinatio caritatis

Ubi ergo véhemens aemulátio, ibi máxime discretio necessária, quae est ordinatio caritatis. Semper quidem zelus minus abque sciéntia éfficax, minúsque útilis invenit, plerúmque autem et perniciósus valde sentitur. Quo igitur zelus fervidior ac veheméntior spíritus, profu-siórque cáritas, eo vigilantióri opus sciéntia est, quae zelum súppri-mat, spíritum témeret, órdinet caritátem. Proinde sane ne tamquam ní-mia et importábilis pro impetu spíritus, quem e cella vidétur vinária reportásse, praesértim ab adolescéntulis sponsa timeátur, iungit quod discretiōnis est étiam se páriter accepísse, id est órdinem caritatis.

Discretio quippe omni virtúti ponit órdinem, ordo modum tribuit et decórem, étiam et perpetuitátem. Est ergo discretio non tam virtus, quam quaedam moderátrix et auriga virtútum, ordinatrixque afféctuum, et morum doctrix. Tolle hanc, et virtus vitium erit, ipsáque afféctio naturális in perturbatiónen magis convertéatur exterminiúmque natúrae.

Utinam et in me Dóminus Iesus tantillum órdinet caritatis quod dedit, ut sic mihi curae sint univérsae quae sunt ipsius, ut tamen quod mei potíssimum propósiti seu officii esse constiterit, ante ómnia curem; sed sane ita id prius, ut tamen ad multa, quae mihi speciáliter non áttinet, affíciar ámplius. Non enim semper quod prius curándum, id étiam diligéndum ámplius erit, cum saepe quod prius est ad solli-citúdinem, minus sit ad utilitátem, ac per hoc minus esse opórteat et in afféctu.

Frequénter proinde quod pro iniúncto praepónitur, de iudicio post-habétur, et quod véritas iúdicat praepónendum, id cárrios amplecténdum ordo póstulat caritatis. Nonne, verbi grátia, ex iniúncto incúmbit mihi cura ómnium vestrum? Iam quidquid huic forte praetúlero óperi, quóminus

ipsi invigilem digne et utiliter pro viribus exsequendo, etsi ex caritate fortassis id facere videar, ordinis tamen ratio non consentit. Quod si ante omnia quidem, ut deo, huic intendo curae, non autem magis ad maiora gáudeo Dei lucra quae per alterum fieri forte compéro, patet me ordinem caritatis ex parte tenere, ex parte nequáquam.

Si vero me et ad id amplius, quod speciálius incúbit, sollicitum, et nihilominus ad illud, quod maius est, magis afféctum exhibeam, utrobique profecto invénior caritatis ordinem assecútus, et non est cur dicere non possim étiam ipse, quia "ordinávit in me caritatem".

Responsorium

Phil 2, 2. 3. 4.; 1 Th 5, 14-15

R. Caritatem habete, in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes: * Non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum.

V. Suscípite infirmos, longanimes estote ad omnes; semper, quod bonum est, sectamini et in invicem et in omnes. * Non quae.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum, quia concupivit Rex spéciem tuam. 3 T. AC2 42*

Oratio

Deus, qui nobis in beata Francisca singulare dedisti coniugalis et monasticae conversatiōnis exemplar, fac nos tibi perseveranter deservire, ut in omnibus vitae adiūntis te conspicere et sequi valeamus. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Veni, sponsa Christi, accipe corónam, quam tibi Dóminus praeparavit in aeternum. viii T. AC2 37*

Die 21 martii

TRANSITUS S. P. N. BENEDICTI, abbatis

Festum

Benedictus Nursiae anno 480 natus, litterarum studia quibus Romae operam dabat deserans, tres annos in Sublaci solitudine peregit, soli Deo placere cupiens. Postea plura monasteria aedificavit et Regulam monachorum scripsit qua discipulos suos docet quomodo Deum in omnibus glorificare valeant. Ut communis est fama, anno 547, in Monte Casino mortuus est.

Ad Invitatorium

Ant. Laudémus Deum nostrum in festivitate sancti Patris nostri Benedicti.

Ad VigiliasHymnus

1. Quidquid antiqui cecinere Vates,
quidquid aeternae monimenta legis,
cointinent nobis celebranda summi
vita Monarchae.

2. Extulit Mosen pietas benignum,
inclytum proles Abraham decórat,
Isaac sponsae decus, et sevéri
iuissa paréntis.

3. Ipse virtutum cùmulis onustus
célsior nostri Patriarcha coetus,
Isaac, Mosen, Abraham sub uno
péctore clausit.

4. Ipse, quos mundi rápuit procéllis;
his, pius flatu státuat secundo,
pax ubi nullo, requiesque gliscit
mixta pavore.

5. Glória Patri, génitaeque Proli,
et tibi compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus omni
témpore saecli. Amen.

Hymn. Cist. 94

Psalmodia I Nocturni

Ant. 1 Núrsiae província exortus, Romae liberálibus litterárum stúdiis tráditus a paréntibus fúerat. 8 T. AC1 242

Ps 1.

Ant. 2 Relicta domo, rebúsque patris, soli Deo placere cùpiens, sanctae conversatiōnis hábitum quaesivit. 8 T. AC1 243

Ps 2.

Ant. 3 Huic, dum erénum péteret, Románus mónachus obviávit, qui cum eius desidérium cognovisset, et secrétum ténuit, et adiutorium impénit. i T. AC1 248

Ps 5.

Lectio secunda

E libro secundo "Dialogorum" sancti Gregorii Magni Papae
(Sources chrétiennes 260, 236-244)

Animae videnti Creatorem angusta est omnis creatura

Vir Domini Benedictus, adhuc quiescentibus fratribus, instans vigiliis, nocturnae orationis tempora praevenisset, ad fenestram stans et omnipotentem Dominum deprecans, subito intempera noctis hora respiriens, videt fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras exfugasse, tantisque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa, quae inter tenebras radiasset. Mira autem valde res in hac speculacione secuta est, quia, sicut post ipse narravit, omnis etiam mundus, velut sub uno solis radio collectus, ante oculos eius adductus est.

Fixum tene, quod loquor, quia animae videnti Creatorem angusta est omnis creatura. Quamlibet enim parum de luce Creatoris aspergerit, breve ei fit omne quod creatum est, quia ipsa luce visionis intimae mentis laxatur sinus, tantumque expanditur in Deo, ut superior existat mundo. Fit vero ipsa videntis anima etiam super semetipsam. Cumque in Dei lumine rapitur super se, in interioribus ampliatur, et dum sub se conspicit, exaltata comprehendit quam breve sit, quod comprehendere humiliata non poterat.

Quid itaque mirum, si mundum ante se collectum vidit, qui sublevatus in mentis lumine extra mundum fuit? Quod autem collectus mundus ante eius oculos dicitur, non caelum et terra contracta est, sed videntis animus dilatatus, qui, in Deo raptus, videre sine difficultate potuit omne quod infra Deum est. In illa ergo luce, quae exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quae videntis animum quia ad superiora rapuit, ei quam angusta esset omnia inferiora monstravit.

Eodem vero anno, quod de hac vita erat exiturus, quibuscum discipulis secum conversantibus, quibuscum longe manentibus sanctissimi sui obitus denunciavit diem, praesentibus indicens ut audita per silentium tegerent, absentibus indicans quod vel quale eis signum fieret, quando eius anima de corpore exiret.

Ante sextum vero sui exitus diem, aperiri sibi sepulturam iubet. Qui mox correptus febribus, acri coepit ardore fatigari. Cumque per dies singulos languor ingravesceret, sexto die portari se in oratorium a discipulis fecit, ibique exitum suum Dominici corporis et sanguinis perceptione munivit, atque inter discipulorum manus imbecilla membra sustentans, erectis in caelum manibus stetit et ultimum spiritum inter verba orationis efflavit.

Qua scilicet die duobus de eo fratribus, uni in cella commoranti, alteri autem longius posito, revelatio unius atque indissimilis visionis apparuit. Vidérunt namque quia strata palliis atque innúmeris coruscis lampadibus via recto orientis tramite ab eius cella in caelum usque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus adsistens, cuius esset via, quam cernerent, inquisivit. Illi autem se nescire professi

sunt. Quibus ipse ait: "Haec est via, qua dilectus Domino caelum Benedictus ascendit". Tunc itaque sancti viri obitum, sicut praesentes discipuli vidérunt, ita absentes ex signo, quod eis pradictum fuerat, agnovérunt.

Responsorium

R. Intempera noctis hora vir Dei instans vigiliis assidue orationis, velut sub uno solis radio, * Omnem mundum collectum conspexit.

Y. Videnti enim Creatorem angusta est omnis creatura. * Omnem mundum.

vel

E Sermónibus sancti Aelredi abbatis Rievallensis
(Sermo VI: PL 195, 245-247)

Benedictus nec aliter potuit dicere quam vixit

Quia hodie celebramus transiit sancti Patris nostri Benedicti, oporet ut de eo aliquid loquamur, maxime quia vos avidos intuemur ad audiendum. Ad hoc etiam tamquam boni filii convenistis in unum ut de Patre vestro, qui in Christo Iesu per Evangelium vos genuit, audiatis.

Quia igitur eum transisse cognovimus, unde et quo transiit videamus. Transiit utique inde, ubi nos adhuc sumus; et eo transiit, quo nos nondum pervenimus. Et tamen licet corporaliter non sumus illic, quo transiit ille, nos spe et amore sumus, iuxta illud Redemptoris nostri: "Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum". Nam et ipse sanctus Benedictus cum hic corporaliter viveret, in illa caelesti patria cogitatione et aviditate conversabatur.

Transiit ergo Pater noster sanctus Benedictus hodie de terris ad caelum, de carcere ad regnum, de morte ad vitam, de miseria ad gloriam, de vita hac, quae rectius mors dicenda est, ad terram viventium feliciter transmigravit.

Per Christum utique transiit ad Christum; per fidem Iesu Christi, quae in eo operabatur per dilectionem, transiit ad speciem et contemplationem Iesu Christi, in qua bonorum omnium desiderium satiatum. Via ergo eius Christus fuit; per ipsum transiit ad ipsum, quia ipse vita, quia via. Via rectissima eiusdem etiam Patris nostri optima conversatio fuit. Via vitae illius sanctitas fuit.

Hanc etiam viam beatus Benedictus in initio conversionis sua arctam reperit, et in fine latissimam invenit. Sed cum arctam invenit, quid fecit? Numquid ab ea declinavit? Imo eam tenuit, et in ea viriliter stetit. Fecit prior ipse quod docuit, ut nos sequaces suos posset docere quod fecerat. Ut enim dicit de eo sanctus papa Gregorius, sic vixit, ut docuit; nec aliter potuit docere, quam vixit. Quam ergo viriliter in via Dei stetit, ex ipsius verbis possumus colligere; quia in

Régula sua monet, ne quis timore perterritus viam salutis refugiat; quam nisi angusto trámite non esse incipiéndam, experiéntia ipsa didicerat.

Per hanc viam tránsit sanctus Benedictus, ut diximus, de morte ad vitam. Et certe feliciter tránsit, quia laudabiliter vixit. Transeámus et nos, caríssimi, ad vidéndam hanc magnam visiónem. Sequámur vestigia sancti patris nostri Benedicti. Rectissimam habémus viam, qua illuc perveniámus: Régulam vidélicet, et doctrinam eius. Hanc si sicut debémus tenuerimus, et si in ea perseveraverimus, sine dúbio illuc, ubi est ipse, et nos perveniemus. Quod ut possimus per mérita et intercessióne sancti Benedicti praéstet nobis grátia Redemptoris nostri Iesu Christi, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat Deus, per ómnia saecula saeculórum. Amen.

Responsorium

R. Via, recto Oriéntis trámite, ab eius cella in caelum usque tendebátur; cui venerando hábitu vir désuper clarus assistens, cuius esset via, quam cérnerent, inquisívit: * Illi autem se nescire proféssi sunt.

V. Quibus ipse ait: Haec est via, qua diléctus Dómini Benedictus ascéndit. * Illi autem.

Psalmodia III Nocturni

Ant. Benedictum prophéticis condecorémus cáanticis, qui tam fulsít prophetia, quam et doctrinæ grátia. iii T. ALC 77

Cant Sap 3, 1-6

Cant Sap 3, 7-9

Cant Sap 10, 17-21

V. Diriget Dóminus mansuétos in iudicio.

R. Docébit mites vias suas.

Evangelium

Mt 19, 27-29

Vos qui reliquistis omnia et secuti estis me, centuplum accipietis

+ Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Iesum: "Ecce nos reliquimus ómnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis?".

Iesus autem dixit illis: "Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum séderit Fílius hóminis in throno glóriae suae, sedébitis et vos super thronos duódecim, iudicantes duódecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquit domos vel fratres aut soróres aut patrem aut matrem aut filios aut agros propter nomen meum, céntuplum accipiet et vitam aeternam possidébit".

Verbum Domini.

Homilia

Ex Sermónibus sancti Bernárdi abbátis Claraevallénsis
(Sermo 3 in labore messis: Edit. Cist. V, 226-228)

Quam salubrius vobis stare in viis Domini

Professióne apostólicam audiámus: "Ecce nos reliquimus ómnia, et secuti sumus te". Si gloriári licet, habémus glóriam; sed si sápimus, habére curábimus apud Deum. Haec enim vera est gloriáto, ut "qui gloriártur, in Dómino gloriétur". Nam neque manus nostra excélsa, sed Dóminus facit haec ómnia. Fecit nobis magna qui potens est, ut mérito magnificet áнима nostra Dóminum. Ipsius enim magno múnere factum est, ut magnum illud propósitum, unde magni gloriabántur Apóstoli, magnifice sequerémur. Forte étiam si in hoc quoque gloriári volúero, non ero insípiens; veritátem enim dicam, esse hic áliquos qui plus navem et rétia reliquére.

Quid vero illud? Quod ipso quidem Apóstoli ómnia reliquérunt, sed ut praeséntem in carne Dóminum sequeréntur. Non est nostrum dicere; secúrius ipsum Dóminum audiámus: "Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beáti qui non vidérunt et credidérunt". Forte étiam prophetádi genus excelléntius esse vidébitur, non inténdens quibuscúmque temporálibus rebus et transitúris aliquándo, sed spirituálibus et aetérnis; et nihilominus in vase fictili thesáurus castitáatis illústrior, et in carne frágili ex áliqua parte probabiliior virtus.

Ubi ergo angélica in hoc córpore conversatio, in corde prophética exspectatio, in utróque perféctio apostólica invenitur, quantus iste est cúmulus gratiárum? Quid retribuitis Dómino pro ómnibus quae retribuit vobis? Sublimis gradus; sed eo amplius pericúlosa ruina. Numquid non tres caeli sunt, quos ascéndimus? Quam salubrius vobis stare in viis Dómini, stare in grátia in qua statis. Non enim beátus vir qui ábit in via peccatórum; "beátus magis, cuius est auxílium abs te", Dómine.

Itaque, fratres mei, quandóquidem verissime certissiméque "haec est generatio quaeréntium Dóminum, quaeréntium fáciem Dei Iacob", quid vobis áliud dixerim, quam quod ait idem Prophéta: "Laetetur cor quaeréntium Dóminum; quáerite Dóminum et confirmámini, quáerite fáciem eius semper?", et quod álius dicit: "Si quáeritis, quáerite". Quid est: "si quáeritis, quáerite?". "In simplicitate cordis quáerite illum". Non áliud tamquam illum, non áliud práeter illum, non áliud post illum. Simplex natúra simplicitátem cordis exquirit.

Véritas est Deus, et tales quaesitóres requirit, qui eum quaerant in spíitu et veritáte. Si nólumus frustra quárerere Dóminum, quaerámus veráciter, quaerámus frequénter, quaerámus perseveránter, ut nec pro illo quaerámus áliud, nec cum illo áliud, sed nec ab illo ad áliud convertámur. "Facílius enim est caelum et terram transire", quam ut sic quáerens non invéniat, sic petens non accípiat, sic pulsáti non ape-riátur.

Responsorium

R. Sexto namque die portári se in oratórium a discipulis suis fecit, ibique éxitum suum Dominicis sacraméntis munivit; * Atque inter discipulórum manus expirávit.

V. Eréctis in caelum mánibus stetit, et últimum spíritum inter verba oratiónis efflávit. * Atque inter.

Hymnus Te Deum laudámus.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinasHymnus

1. Auróra surgit áurea,
festa restáurans ánnua,
cum Benedíctus árduum
caeli scandit palátium.

4. Totius orbis ámbitum
per solis videt rádium:
mens in Auctóre pósita
subiécta cernit ómnia.

2. Quanta in summis áccipit
qui sic in imis cláruit!
cuius micant prodígia
per ámpla mundi clímatia.

5. Te, Pater alme, pétimus
pronae mentis viscéribus,
ut caelum des ascéndere
quos terram doces spérnere.

3. Eius caréntum grátia
tellus vomit cadávera:
devótis unda líquida
sicca lambit vestígia.

6. Deo Patri sit glória,
eiúsque soli Fílio,
cum Spíritu Paráclito,
et nunc et in perpétuum. Amen.

S. Petrus Damiani PL 145, 958

Psalmodia

Ant. 1 Fuit vir vitae venerábilis, grátia Benedíctus et nómine.

i T. AC1 242.

Psalmi et canticum pro diebus festivis.

Ant. 2 Ab ipso puerítiae suae témpore cor gerens senile, aetátem móribus tránsiens nulli ániam dedit voluptáti. i T. AC1 242

Ant. 3 Dum in hac terra esset, quo temporáliter libere uti potuisset, iam quasi áridum mundum cum flore despéxit. i T. AC1 242

Ant. 4 Relicta domo, rebúsque patris, soli Deo placére cúpiens, sanctae conversatiónis hábitum quaesivit. viii T. AC1 243

Ant. 5 Recéssit igitur sciénter néscius, et sapienter indóctus.
iv T. AC1 243

Lectio brevis

Gen 12, 1-2

Egrédere de terra tua et de cognatióne tua et de domo patris tui;
et veni in terram quam mostrábo tibi. Faciámque te in gentem magnam,
et benedicábo tibi; et magnificábo nomen tuum, erísque benedíctus.

Responsorium breve

Ps 36 (37), 31

R. Lex Dei eius * In corde ipsius. Lex.

V. Et non vacillábunt gressus eius. * In corde.

Ad Benedictus, ant. Stans in oratório diléctus Dómini Benedictus, córpore et sanguis Dómini communítus, inter discipulórum manus imbecillia membra susténtans; eréctis in caelum mánibus, inter verba oratiónis spíritum efflávit; qui per viam stratam pálliis et innúmeris corúscam lampádibus, caelum ascéndere visus est. vii T. ALC 37

Preces

Christo qui est via, véritas et vita, laudes grati exsolvámus et supplicémus dicéntes:

Dírige nos in viam iustítiae.

Christe, qui beátum Benedictum scholae divini servítii institutórem suscitásti,
-da ut ad culmen caritátis perveniámus.

Christe, Pater tuus quaerit tales adoratóres, qui eum adórant in spíritu et veritáte,
-fac, ut in ópere Dei persolvéndo mens nostra concórdet voci nostrae.

Christe, pro nostra salúte oboédiens factus usque ad mortem,
-da ut oboediéntia religiosa árctius divínae voluntáti salvíficæ uniámur.

Christe, qui pro nobis pauper factus es,
-da ut paupertátem tuam sequéntes rebus terréstribus modéste utámur et caeléstia bona desiderántes testes simus vitae aetérnae.

Pater noster.

Oratio

Deus, qui beátum Benedictum abbátem, Filii tui spíritu replétum,

insignem fecisti perfectiōnis evangēlicae p̄aeceptōrem, concéde nobis,
ut eius illūstrem ad caelos trānsitum recoléntes, ad caritatis gloriāe-
que cūlmina festinémus. Per Dóminum.

Ad Tertiam

Ant. Dum in hac terra esset, quo temporáliter libere uti potuisset,
iam quasi áridum mundum cum flore despéxit. i T. AC1 242

Lectio brevis

Sir 47, 9-10

Dedit confessiōnem Sancto et Excélsō in verbo glóriae. De omni cor-
de suo laudávit Dóminum, et diléxit Deum, qui fecit illum.

Y. Diriget Dóminus mansuétos in iudicio.
R. Docébit mites vias suas.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Sextam

Ant. Relicta domo, rebúsque patris, soli Deo placére cūpiens, sanctae
conversatiōnis hábitum quaesívit. viii T. AC1 243

Lectio brevis

Prov 2, 1-2. 5

Fili mi, si suscéperis sermónes meos, et mandáta mea abscónderis
penes te, inténdens ad sapiéntiam aurem tuam, inclínans cor tuum ad
cognoscéndam prudéntiam: tunc intélleges timórem Dómini et sciéntiam
Dei invénies.

Y. Beátus homo, quem tu erudieris, Dómine.
R. Et de lege tua docúeris eum.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Nonam

Ant. Recéssit ígitur sciénter néscius, et sapiénter indóctus. iv T.
AC1 243

Lectio brevis

Sap 10, 10

Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas et osténdit illi regnum Dei
et dedit illi sciéntiam sanctórum; honestávit illum in labóribus et
complévit labóres illius.

Y. Laeténtur omnes qui spérant in te.
R. In aetérnum exsultábunt, et habitábis in eis.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad VesperasHymnus

1. Láudibus cives résonent canóris,
templa sollémmnes moduléntur hymnos;
hac die intrat Benedictus caelum
glorificándus.

2. Ille floréntes peragébat annos,
cum puer dulcis pátriae penátes
liquit, et solus látuit silénti
cónditus antro.

3. Inter urticas, rigidósque sentes,
vicit altrícem scélerum iuvéntam:
inde conscrípsit documénta vitae
pulchra beátae.

4. Aeream turpis Clárii figúram,
et nemus strávit Véneri dicátum,
atque Baptistae pósuit sacráto
monte sacéllum.

5. Gáudiis caeli sine fine fruens,
inter ardéntes Chérubim catérvas
spectat, et dulci réficit cliéntum
corda liquóre.

6. Glória Patri, genitáeque Proli,
et tibi compar utriússque semper
Spíritus alme, Deus unus omni
témpore saecli. Amen.

Hymn. Cist. 93 (sed 5 str. correcta)

Psalmodia

Ant. 1 Fuit vir vitae venerábilis, grátia Benedictus et nómine, qui
ab ipso pueritiae suae témpore cor gerens senile, aetátem móribus
transiens, nulli ániam voluptáti dedit. viii T. ALC 65

Ps 109 (110).

Ant. 2 Beátus Benedictus plus appétiit mala mundi pérfeti quam laudes;
pro Deo labóribus fatigári quam vitae huius favóribus extólli. i T.
ALC 80

Ps 111 (112).

Ant. 3 Gloriósus Conféssor Dómini Benedictus vitam angélicam gerens in terris, spéculum bonórum óperum factus est mundo: et ídeo cum Chri-
sto iam sine fine gaudet in caelis. ii T. ALC 66

Ps 115 (116).

Ant. 4 Erat vir Dómini Benedictus vultu plácido, móribus decorátus angélicis, tantáque circa eum cláritas excréverat, ut in terris pósitus in caeléstibus habitáret. iv T. ALC 67

Ps 132 (133).

Ant. 5 Vir Dómini Benedictus ómnium iustórum spíritu plenus fuit: ipse intercédat pro cunctis monásticae professiónis. i T. ALC 68

Cant Eph 1, 310

Lectio brevis

Phil 3, 8. 10-11

Verúmtamen existimo ómnia detriméntum esse propter eminéntiam sciéntiae Christi Iesu Dómini mei, propter quem ómnia detriméntum feci et ábitrор ut stércora, ut Christum lucri fáciam, ad cognoscéndum illum et virtútem resurrectiōnis eius et communiónem passiónum illius, confórmans me morti eius, si quo modo occúrram ad resurrectiōnem, quae est ex mórtuis.

Responsorium breve

R. Sancte Pater Benedicte, * Intercéde pro nobis. Sancte.

V. Ut digni efficiámur promissiónis Christi. * Intercéde.

Ad Magnificat, ant. Hódie sanctus Benedictus per viam Oriéntis recto trámite vidéntibus discípulis caelum ascéndit: hódie eréctis mánibus inter verba oratiōnis exspirávit: hódie in glória ab ángelis suscéptus est. ii T. ALC 38

Preces

Orémus Deum, cui cura est de ómnibus, sincéra humilitáte dicéntes:

Pópuli tui miserére, Dómine.

Da ut praecéptis Filii tui oboediéntes in eius caritáte maneámus,
-et sic fidélibus exémplum praebeámus vitae verae christiánae.

Da ut solliciti simus de iis,
-qui monastéria nostra desidério in vita spiritáli proficiéndi
ádeunt.

Adiuva eos, quibus cura fidélium commissa est,
-ut istos ad piam et fructuósam celebratiōnem sacrae Eucharistiae
indúcant.

Voca multos ad vitam religiósam amplecténdam,
-et da eis, qui ei iam initiáti sunt, ut in suo propósito fir-
mémentur.

Da religiósis, propínquis et benefactóribus nostris defúnctis
-glória caeléstí pérfrui.

Pater noster.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Die 4 aprilis

S. ISIDORI, espiscopi et Ecclesiae doctoris

Memoria ad libitum

Natus circa annum 560 apud Hispalim (Sevilla) in Hispania; post mortem patris, a fratre Leandro educatus fuit. Episcopus suae civitatis creatus, multa scripsit eruditè, plura congregavit et rexit concilia in Hispania, in quibus multa sapienter ordinata sunt. Mortuus est anno 636.

De Communi doctorum Ecclesiae, vel de Communi pastorum: pro epi-
scopis.

Ad Vigilias

Lectio altera

E libris Sententiárum sancti Isidóri episcopi
(Lib. 3, 8-10: PL 83, 679-682)

Scriba doctus in regno caelorum

Oratiōnibus mundámur, lectiōnibus instrúimur; utrúmque bonum, si liceat; si non liceat, mélius est oráre quam légere.

Qui vult cum Deo semper esse, frequénter debet oráre, frequénter et légere. Nam cum orámus, cum Deo ipsi lóquimur; cum vero légimus, Deus nobíscum lóquitur.

Omnis proféctus ex lectiōne et meditatiōne procédit. Quae enim ne-
scimus, lectiōne discimus, quae autem didícimus, meditatiōnibus conser-
vámus.

Géminum confert donum léctio sanctárum Scripturárum: sive quia intellectum mentis érudit, seu quod a mundi vanitátibus abstráctum hómini ad amórem Dei perdúcit.

Géminum lectiónis stúdium: primum, quómodo Scriptúrae intellegán-
tur; secúndum, qua utilitáte vel dignitáte dicántur. Erit enim ántea
quisque promptus ad intellegéndum quae legit, sequénter idóneus ad pro-
feréndum quae dídicit.

Lector strénus pótius ad impléndum quae legit, quam ad sciéndum
erit promptissimus. Minor enim poena est nescire quid áppetas, quam
ea quae nóveris non implére. Sicut enim legéndo scire concupiscimus,
sic sciéndo recta quae didicimus implére debémus.

Nemo potest sensum Scriptúrae sanctae cognoscere, nisi legéndi fa-
miliaritáte, sicut est scriptum: "Ama illam, et exaltábit te; glorifi-
cáberis ea, cum eam fúeris amplexátus".

Quanto quisque magis in sacris elóquiis assíduus fúerit, tanto ex
eis uberiórem intellegéntiam capit; sicut terra, quae quanto amplius
excólitur, tanto ubérius fructificat.

Quidam habent intellegéntiae ingénium, sed nélegunt lectiónis stú-
dium; et quod legéndo scire potuérunt, neglegéndo contémnunt. Quidam
vero amórem sciéndi habent, sed tarditáte sensus praepediúntur; qui
tamen assídua lectíone sápiunt, quod ingeníosi per desídiam non nové-
runt.

Sicut qui tardus est ad capiéndum, pro intentióne tamen boni stúdii
práemium pércipit, ita qui práestitum sibi ex Deo ingénium intellegéntiae
nélegit, condemnatiónis reus exsistit, quia donum quod accépit
déspicit, et per desídiam delinquit.

Doctrína sine adiuvánte grátia, quamvis infundáatur áuribus, ad cor
numquam descéndit; foris quidem pérstrepit, sed intérius nil próficit.
Tunc autem Dei sermo infúsus áuribus ad cordis última pérvenit, quando
Dei grátia mentem intérius, ut intélegat, tangit.

Responsorium

Mt 13, 52; Prov 14, 33

R. Omnis scriba, doctus in regno caelórum * Similis est hómini
patrifamilias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera
(T.P. allelúa).

V. In corde prudéntis requiéscit sapiéntia, et indóctos quoque
erúdier. * Similis est.

vel

Ex "Régula Monachórum" sancti Isidóri episcopi
(PL 83, 869-894)

Monachi in praecceptis Christi fideliter permanendo proficiant

Imprimis, fratres carissimi, monastérium vestrum miram conclávis
diligéntiam hábeat, ut firmitátem custódiae muniménta claustrórum exhi-
beant; inimicus enim noster diábolus, sicut leo rúgiens, circuit ore
paténti, quaerens unumquémque nostrum quem dévoret.

Mónachis autem summópere studéndum est ut, apostólicam vitam tenén-
tes, sicut in unum constitúti esse noscúntur, ita cor hábeant unum,
nihil sibi próprium vindicáentes, nec quantulumcúmque amórem rei privá-
tae habéntes, sed, iuxta exémplum apostólicum, ómnia communia habéntes,
in praecéptis Christi fidéliter permanéndo proficiant.

Patri honórem débitum referéntes, erga seniores oboediéntiam, erga
aequáles incitaménta virtútum, erga minores boni exémpli magistérium
conservábunt. Nemo céteris se iúdicans meliorem, sed inferiorem se óm-
níbus députans, tanto humilitáte claréscat, quanto plus céteris cùlmi-
ne virtútum corúscat.

Mónachus semper operétur mánibus suis ita ut quibúslibet váriis
opíficium ártibus laboribúsque stúdium suum impéndat, sequens Apóstolum,
qui dicit: "Neque panem gratis manducávimus, sed in labóre et fatiga-
tíone nocte et die operántes".

Nequáquam debet móñachus deditári versári in ópere álico mona-
stérii úsibus necessário. Nam patriárchae greges pavérunt, et gentiles
philósophi sutóres et sartóres fuérunt, et Ioseph iustus, cui virgo
María despónsata exstitit, faber ferrárius fuit. Si quidem et Petrus
prínceps apostolórum piscatóris officium gessit, et omnes apóstoli cor-
porále opus faciébant, unde vitam cörperis sustentábant.

Si igitur tantae auctoritatis hómines labóribus et opéribus étiam
rusticánis inserviérunt, quanto magis móñachi, quos opórtet non solum
vitae suaे necessária proprieis mánibus exhibére, sed étiam indigéntiam
aliórum labóribus suis reficere!

Mónachi operántes meditári aut psállere debent, ut cárminis verbí-
que Dei delectatióne consoléntur ipsum labórem. Si enim saeculáres opí-
fices inter ipsos labóres amatória túrpia cantáre non désinunt, quanto
magis servi Christi, qui sic mánibus operári debent, ut semper laudem
Dei in ore hábeant, et línguis eius psalmis et hymnis insérvant! Labo-
rándum est enim cōpore ánni fixa in Deum intentione; sicque manus
in ópere implicánda est ut mens non avertátur a Deo. Própriis autem
tempóribus opórtet operári móñachum, et propriis oratióni lectionique
incúmbere.

Haec igitur, o servi Dei, et milites Christi, contemptóres mundi,
ita vobis custodiénda vólumus, ut maióra praecépta pótius servétis.
Suscípite igitur inter illa et hanc admonitióne nostram, húmili corde
custodiéntes quae dícimus, libénter suméntes quod dispenseámus; quátenus
et vobis de fructu óperis sit glória, et nobis pro ipsa admonitióne
postuláta provéniat vénia. Deus autem omnípotens custódiat vos in ómni-
bus bonis, et quómodo coepit, sic et confirmet grátiam suam in vobis.
Amen.

Responsorium

Sir 15, 5; Cf. Ier 1, 9

R. In médio Ecclésiae apéruit os eius, * Et implébit eum Dóminus
spiritu sapiéntiae et intelléctus (T.P. allelúa).

V. Misit Dóminus manum suam et tétigit os eius. * Et implévit.

Ad Laudes matutinasHymnus

1. Gaudie, fidélis cóncio,
et bénedic Altíssimo
in die hac laetítiae,
qua confert dona gráttiae.
3. Inténde, doctor, précibus
quas actu ad te fúndimus;
stantes ne cadant róbora,
lapsos ut surgant ádiuva.
2. Nam doctor hic sanctíssimus,
cuius nunc festum cólimus,
lumen fuit in pôpulo,
exemplar toti saéculo.
4. Erróris pelle núbilum
per lucis tuae rádium;
fac Deum semper cólere
et spem in ipsum pónere.
5. Laus Trinitáti débita,
honor, potéstas, glória,
quae sua ex cleméntia
praestat salútis praémia. Amen.

E Proprio Hispaniae

Ad Benedictus, ant. Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firma-
ménti, et qui ad iustítias erúdunt multos, quasi stellas in perpétuas
aeternitátes (T.P. allelúa). vii T. (Hauterive)

Oratio

Exáudi, quáesumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Isidóri
commemoratióne deférimus, ut Ecclésia tua eius intercessióibus adiuvé-
tur, cuius caeléstibus instrúitur disciplínis. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Hymnus ut ad Laudes matutinas.

Ad Magnificat, ant. O doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte
Isidóre, divínae legis amátor, deprecáre pro nobis Filium Dei (T.P.
allelúa). ii T. AC2 28*

Die 21 aprilis

S. ANSELMI, episcopi et Ecclesiae doctorisMemoria

Natus est anno 1033 Augustae (Aosta) in Pedemontana regione.
Ordinem S. Benedicti ingressus in monasterio Beccensi (Le Bec) in
Gallia, disciplinas theologicas confratres docuit, dum in via per-

fectionis alacriter currebat. In Angliam transgressus, episcopus
Cantuariensis electus, pro libertate Ecclesiae strenue pugnans,
exilio bis mulctatus est. Multa paeclare scripsit, mystica theo-
logia referta. Mortuus est anno 1109.

De Communi doctorum Ecclesiae, vel de Communi pastorum: pro epi-
scopis.

Ad VigiliasLectio altera

E libro "Proslógion" sancti Ansélmii episcopi
(Cap. 14. 16. 26: Opera omnia,
edit. Schmitt, Secovii, 1938, 1, 111-113. 121-122)

Cognoscam te, amem te, ut gaudeam de te

An invenisti, ánima mea, quod quaerébas? Quaerébas Deum, et inve-
nisti eum esse quiddam summum ómnium, quo nihil mélius cogitári potest;
et hoc esse ipsam vitam, lucem, sapiéntiam, bonitátem, aetérnam beatí-
tudinem et beátam aeternitátem; et hoc esse ubique et semper.

Dómine Deus meus, formátor et reformátor meus, dic desideránti án-
imae meae, quid áliud es quam quod vidit, ut pure videat quod desiderat.
Inténdit se, ut plus videat; et nihil videt ultra hoc quod vidit, nisi
ténebras. Immo non videt ténebras, quae nullae sunt in te; sed videt
se non plus vidére, propter ténebras suas.

Vere, Dómine, haec est lux inaccessible, in qua hábitas; vere
enim non est áliud, quod hanc lucem pénétrat, ut ibi te pervideat. Vere
ideo hanc non video, quia nímia mihi est; et tamen quidquid video per
illam video, sicut infirmus óculus, quod videt, per lucem solis videt,
quam in ipso sole nequit aspicere.

Non potest intelléctus meus ad illam; nimis fulget, non capit
illam, nec suffert óculus ánime meae diu inténdere ad illam. Reverbe-
rátur fulgóre, vincitur amplítudine, obrúitur immensitáte, confúnditur
capacitáte.

O summa et inaccessible lux! O tota et beáta véritas, quam longe
es a me, qui tam prope tibi sum! Quam remóta es a conspéctu meo, qui
sic praesens sum conspéctui tuo!

Ubique es tota praesens, et non te video. In te móveor et in te
sum, et ad te non possum accédere. Intra me et circa me es, et non te
séntio.

Oro, Deus, cognóscam te, amem te, ut gáudeam de te. Et si non pos-
sum in hac vita ad plenum, vel proficiam in dies, usque dum véniat il-
lud ad plenum; proficiat hic in me notitia tui, et ibi fiat plena; cre-
scat amor tuus, et ibi sit plenus, ut hic gáudium meum sit in spe mag-
num, et ibi sit in re plenum.

Dómine, per Filium tuum iubes, immo cónsulis, pétere, et promittis
accípere, ut gáudium nostrum sit plenum. Peto, Dómine, quod cónsulis
per admirábilem consiliárium nostrum; accipiam quod promittis veri-

tátem tuam, ut gáudium meum plenum sit. Deus verax, peto; accípiam, ut gáudium meum plenum sit.

Meditétur interim inde mens mea; loquátur inde lingua mea. Amet illud cor meum; sermocinétur os meum. Esúriat illud ánima mea, sítiat caro mea, desíderet tota substántia mea, donec intrem in gáudium Dómini, qui est trinus et unus Deus, benedictus in sáecula. Amen.

Responsorium

R. Hic est Ansélmus, doctor paeclárus, sub disciplína Lanfránci institútus; qui, cum esset monachórum pater amábilis, ad pontificáles infulas vocátus est, * Et pro libertáte sanctae Ecclésiae strénue decertávit, allelúia.

y. Non ancillam, sed líberam esse Christi sponsam, invicta voce asserébat. * Et pro libertáte.

vel

E Libro "Proslóbion" sancti Anselmi episcopi
(Cap. 1: Opera omnia, Edit. Schmitt, Seccovii, 1938, 1, 97-100)

Desiderium contemplandi Deum

Eia nunc, homúncio, fuge páululum occupatiónes tuas, abscónde te módicum a tumultuósis cogitatióibus tuis. Abice nunc onerósas curas, et postpóne laboriósas distentiónes tuas. Vaca aliquántulum Deo, et requiéisce aliquántulum in eo.


Intra in cubiculum mentis tuae; exclúde ómnia praeter Deum et quae te iuuent ad quaeréndum eum, et, clauso óstio, quaere eum. Dic nunc, totum cor meum, dic nunc Deo: Quaero vultum tuum; vultum tuum, Dómine, requiro.

Eia nunc ergo, tu, Dómine Deus meus, doce cor meum ubi et quómodo te quaerat, ubi et quómodo te invéniat.

Dómine, si non es hic, ubi te quaeram abséntem? Si autem ubique es, cur non vídeo te praeséntem? Sed certe hábitas lucem inaccessibilem. Et ubi est lux inaccessibilis, aut quómodo accédam ad lucem inaccessibilem? Aut quis me ducet, et indúcet in illam, ut vídeam te in illa? Deinde, quibus signis, qua fácie te quaeram? Numquam te vidi, Dómine Deus meus; non novi fáciem tuam.

Quid fáciet, altissime Dómine, quid fáciet iste tuus longínquus exsul? Quid fáciet servus tuus ánxius amóre tui, et longe projéctus a fácie tua? Anhélat vidére te, et nimis abest illi fácies tua. Accédere ad te desíderat, et inaccessibilis est habitatio tua. Invenire te cupit, et nescit locum tuum. Quáerere te afféctat, et ignórat vultum tuum.

Dómine, Deus meus es, et Dóminus meus es, et numquam te vidi. Tu me fecisti et refecisti, et ómnia mea bona tu mihi contulisti, et nondum novi te. Dénique ad te vidéndum factus sum; et nondum feci propter quod factus sum.



Et o tu, Dómine, úsquequo? Usquequo, Dómine, obliviscérás nos, úsquequo avértes fáciem tuam a nobis? Quando respicies et exáudies nos? Quando illuminábis óculos nostros, et osténdes nobis fáciem tuam? Quando restítues te nobis?

Réspice, Dómine, exáudi, illúmina nos, osténde nobis teípsum. Restítue te nobis, ut bene sit nobis; sine quo tam male est nobis. Miseráre labóres et conáttus nostros ad te, qui nihil valémus sine te.

Doce me quáerere te, et osténde te quaerénti; quia nec quáerere te possum, nisi tu dóceas, nec invenire, nisi te osténdas. Quaeram te desiderando, desiderem quaeréndo, invéniam amándo, amem inveniéndo.

Responsorium

Sap 7, 7-8; Iac 1, 5

R. Optávi, et datus est mihi sensus; * Invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiae, et praepósui illam regnis et sédibus, allelúia.

y. Si quis vestrum indiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter et non impróperat, et dábitur ei. * Invocávi.

Ad Laudes matutinas

Hymnus

1. Fortis en præsul, mónachus fidélis,
láurea Doctor redimitus adstat:
festus Ansélmō chorus aemulétur
dicere carmen.
2. Ante matúros sápiens hic annos,
sáeculi florem pereúntis horret;
atque Lanfránci documénta quaerens,
intrar erémum.
3. Intimum pulsans penetrále Verbi,
fertur immótae fidei volátu:
dógmatum puros lálices an ullus
áltius hausit?
4. Sis memor sancti gregis, et patrónus
sis ad aetérnam Triadem, precámur,
cuncta cui dignas résonent per orbem
sáecula laudes. Amen.

Le Bannier, o.s.b. (+ 1867)

Ad Benedictus, ant. Ansélmus, mansuetúdine agnus, fortitúdine leo, caelésti doctrina superéffluens, mente hóminum illustrávit, allelúia.
iii T. (Hauterive)

Oratio

Deus, qui beáto Anselmo epíscopo dedisti alta sapiéntiae tuae quáere-
rere et docére, fac ita fidem tuam intelléctui nostro subvenire, ut
cordi dulce sápiant quae nobis credénda mandásti. Per Dóminum.

Ad VesperasHymnus

1. Munus abbátis, Pater alme, sumens,
te voves carae sóboli: benignis
débiles portas húmeris, álacres
práevius hortans.
2. Práesulum defert tibi rex cathédram;
quid times luctam? próperant triúmphi:
éxteras gentes, generósus exul,
lúmine reples.
3. Sacra libértas óvibus redémptis
parta, cui Christus nihil antepónit,
urget Ansélmum, stúdio tenáci
víndicat ipsam.
4. Ipse sit nostri memor ad supérnam
semper et sollers Triadém patrónus,
cuncta quam toto venerántur orbe
laude perénni. Amen.

Le Bannier o.s.b. (+ 1867)

Ad Magnificat, ant. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte Ansélme, divínae legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, alle-
lúia. ii T. AC2 28*

Die 22 aprilis

B. MARIAE GABRIELAE SAGHEDDU, virginis O.N.

Memoria ad libitum

Nata est in loco vulgo dicto Dorgali, provinciae Norensis in
Sardinia, die 17 martii anno 1914. Vicesimum annum agens, in oppido
Cryptoferata ingressa est monasterium monialium Cisterciensium
Reformatarum, quod nunc Vitorchiani, Viterbiensis provinciae, in-
venitur. Vitam suam pro unitate Ecclesiae et pro fratribus a nobis
seiunctis generosa obtulit simplicitate. Quod pretiosum holocaustum
die 23 aprilis anno 1939, dominica Boni Pastoris, consummatum,

Dominus gratantes accepit. Vitorchiani requiescit inter moenia mo-
nasterii Trappensis. Ioannes Paulus II, die 25 ianuarii 1983, bea-
tam illam declaravit.

De Communi virginum, vel sanctorum mulierum: pro religiosis, vel
de Communi monialium.

Ad VigiliasLectio altera

Ex última epistola a beáta María Gabriela moniáli matri data
(E documentis causae beatificatiónis)

Persuasum habeas multo utiliore me in caelo futuram
quam hic in terra

Mater dilectissima: Haec scribo vobis ut in summo vitae discriminé
mentis meae in vos afféctum ac suprénum vale dicam. Caeléstis Sponsus
rursus ad se me invitávit diésque veheménter optátus propinquat: non
dico mortis diem sed illum quo miserae huius carnis vinculis solútis,
tandem aliquándo ex hac vita pótero ad caeléstem illam omnino beátam
migráre. Animae corporisque distráctio minime est mors sed tránsitus
ad veram vitam.

Laeto igitur ánimo esto, mater suavíssima, quod nulla iam clausúra
erit in caelo, et, etsi vos me non vidébitis, vos visitári et árctius
amplécti mihi licébit dum amórem erga vos créscere expériar. Bono ergo
ánimo, atque hoc persuásu hábeas multo utiliórem me in caelo futu-
ram quam hic in terra: lucidius enim ómnia quae vobis opus sint vidébo
Dominúmque efficácius pro vobis precábor.

Abstinéte autem vos a fletu atque ab illis clamóribus lamentántium
mulierculárum qui fieri solent apud Dorgáli, quia magno me dolóre affi-
cerétis. Veheménter vero desídero ut, ipso die quo núnctum mortis meae
accipiétis, omnes sacrosáncto Missae sacrificio intersítis atque Eucha-
ristiam sumátis: ita pro me orábitis magnásque Deo grátias agétis pro
beneficiis mihi concéssis et suis erga me favóribus.

Iterum vos hortor ut bono laetóque ánimo sitis in Dómino atque oré-
tis pro me meque commendétis précibus propinquórum amicorúmque nostró-
rum, quibus, quemámodum vobis suprénum vale dico. Postrémum a vobis
ómníbus peto ut offensiónes quibus fórsitan áliquem afféci, mihi igno-
scátis. Arctius te totámque familiam nostram ampléctor in Corde Iesu.

Responsorium

Phil 1, 20-21. 23

R. Secúndum exspectatiómem et spem meam magnificábitur Christus
in córpore meo, sive per vitam sive per mortem. * Mihi enim
vivere Christus est et mori lucrum, allelúia.

y. Coárctor ex his duóbus desidérium habens dissólvi et cum Chri-
sto esse. * Mihi enim.

vel

Ex Decrēto "Unitatis redintegratio" Concilii Vaticani II
de Oecumenismo
(Nn. 1-24)

Amplior in dies est motus
ad omnium Christianorum unitatem restaurandam

Dominus vero saeculorum, qui propositorum gratiae suae erga nos peccatores sapienter et patienter prosequitur, novissime in Christianos inter se disiunctos animi compunctionem et desiderium unionis abundantius effundere incipit. Quia gratia permulti ubique homines permoti sunt atque inter fratres quoque nostros seiunctos amplior in dies motus, Spiritus Sancti fovente gratia, exortus est ad omnium Christianorum unitatem restaurandam.

Hunc autem unitatis motum, oecumenicum nuncupatum, participant qui Deum Trinum invocant atque Iesum confitentur Dominum et Salvatorem, nec modo singuli seiunctim, sed etiam in coetibus congregati, in quibus Evangelium audierunt quosque singuli Ecclesiam dicunt esse suam et Dei. Fere omnes tamen, etsi diverso modo, ad Ecclesiam Dei unam et visibilem adspirant, quae sit vere universalis et ad universum mundum missa ut mundus ad Evangelium convertatur et sic salvis fiat ad gloriam Dei.

Fideles catholici in actione oecumenica sine dubio de fratribus seiunctis solliciti sint opertet, pro illis orando, de rebus Ecclesiae cum illis communicando, primos gressus ad illos movendo. In primis vero ipsimet sincero attentioque animo ea perpendere debent, quae in ipsa Familia catholica renovanda et efficienda sunt, ut eius vita fidelius et clarius testimonium reddat de doctrina institutisque a Christo per Apostolos traditis.

Meminerint omnes christifideles se Christianorum unionem eo melius promovere, immo exercere, quo puriorum secundum Evangelium vitam degere studeant. Quo enim arctiore communione cum Patre, Verbo et Spiritu uniuntur, eo intimius atque facilius mutuam fraternitatem augere valent.

Haec cordis conversio vitaeque sanctitas, una cum privatis et publicis supplicationibus pro Christianorum unitate, tamquam anima totius motus oecumenici existimanda sunt et merito oecumenismus spirituialis nuncupari possunt. Sollenne enim est Catholicis frequenter ad illam orationem convenire pro Ecclesiae unitate, quam Salvator Ipse in peregrinatio mortis a Patre flagranter precatus est: "ut omnes unus sint".

Haec sacrosancta Synodus se conscientiam esse declarat hoc sanctum propositorum reconciliandi Christianos omnes in unitate unius unicue Ecclesiae Christi humanas vires et dotes excedere. Quapropter spem suam in oratione Christi pro Ecclesia, in amore Patris erga nos, in virtute Spiritus Sancti penitus ponit. "Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis" (Rm 5, 5).

Responsorium

R. Pater sancte, rogo pro eis, qui credituri sunt in me, * Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te.
y. Ut cognoscat mundus quia tu me misisti et dilexisti eos. *
Ut omnes.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Maiorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis, alleluia. i T. AC2 1*

Oratio

Deus, Pastor aeternus, qui Beatam Mariam Gabrialam, virginem, ad vitam suam pro unitate Christianorum generose offerendam inspirasti, eius intercessione concede, ut dies properet quo circa mensam verbi tui et panis caeli omnes in Christo credentes uno corde et voce una laudes tibi dicent. Per dominum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas opertet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unus ovile, et unus pastor, alleluia. viii T. AC2 195

Die 24 aprilis

S. FRANCHAE, virginis et abbatissae O.N.Memoria ad libitum

Francia Placentiae ex nobili comitum Vitaldae stirpe anno circiter 1173 orta, antea abbatissa benedictina in asceterio Sancti Siri zelo reformandae disciplinae succensa, multis incommodis ac persecutionibus perpessa est. Postea a monialibus cisterciensibus de Plectoli in abbatissam expetita, hanc familiam monasticam materne rexit. Solebat in oratorio in oratione Dei pernoctare. Anno 1218 die 25 aprilis obiit.

De Communi virginum, vel sanctorum mulierum: pro religiosis, vel de Communi monialium.

Ad VigiliasLectio altera

Ex litteris Adami abbatis Persegniae
(Litt. 4: Sources Chretiennes 66, 106-108)

De laudibus virginitatis

Quantum Christum diligere tenémur, tantum ipsius templa venerári et honoráre debémus. Habitáculum quippe ipsius est sincéra cástitas, illa máxime quam Christi vera cáritas consecrávit. In hortis plane et liliis vernáre flos campi et lílum conválíum Christus Dóminus invenítur. O si lilio rosa non defúerit, ut castitátis candor caritátis colóre róseo suffundátur! Quam pulchrae sunt genae, cui ad plenum decórem amor honestáti se sóciat, cáritas castitáti!

Speciósum forma piae filiis hóminum speciéi huius állicit elegántia, et vere felix est áнима cuius pulchritúdo in óculis eius grátiam promerétur. Gratíssima fuit Assuéro Hester regínae elegántia quia vultus pulchritúdinem morum simplicitas commendábat. Morum simplicitas, púritas affectiónum, operatiónum iustitia, observántia disciplinæ laudabilis dignam fáciunt ánimam ósculis et ampléxibus Condítóris.

O contáctum venerábilem! O núptias honorábiles, a quibus omnis ex-clúditur fóeditas, in quibus nulla corrúptio locum habet! O felicem sóbolem, quae de tali contáctu procésserit, quae sicut de Spíritu Sancto concípitur, ita étiam sanctae matris Ecclésiae ubéribus enutritur! Ubea ista de caelo plena sunt, lac spiritális doctrínae distillántia, quo sensuum simplicitas et innocéntia morum ad virile robur divini amóris et perfectióris intellegéntiae provehúntur.

Arbitror quod per Dei grátiam in hanc aetátem pervéneris, quae non iam sicut collectánea Christo Christi collúdas cunábulis; sed Christo crucifígi idónea cibum possis mándere duriórem. Tu enim propter verba labiòrum eius custodire vias duras et cupis et praévales, te ad Crucifixi exéplum circa crucis titulos gloriánte. Verum si in lecto tali sponso tuo copulári non horrúeris, ad thálami gáudium quandóque per-vénies, qui crucis expers est pénitus et labóris.

Cum sólito profúsius tibi splendor ille festíus arríserit, dilectórem tuum dilécto tuo comménda atténtius, ut quem in te adóro et dílico, te satagénte et oránte, tecum váleam obtinére. Amen.

Responsorium

R. Haec est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit: quae accéptis lampádibus súmpsit secum óleum; * Et veniénte Dómino introívit cum eo ad núptias, allelúia.

V. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum.
* Et veniénte.

vel

Ex oratióne Guliélmi abbátis sancti Theodoríci
(Sources chrétiennes 61, 122-128)

De vera oratione

Dómine Iesu Christe, véritas et vita, qui veros adoratóres Patris tui futúros denunciásti, qui eum adorábunt in spíritu et veritáte; lí-

bera óbsecro ánimam meam ne quaerens te, incidat in sodáles tuos, et erráre incípiat post greges eórum, in sacrificio oratiónis suae; sed tecum cubet, de te pascátur in meridiáno fervóre amóris tui.

Sed intentiónis suae áciem collúctans dirigere in eam, nec videns eam, nonnúmquam perveníri étiam ab ea sentit intentiónis ipsius coná-tum; saepe vero non nisi in gravi sudóre vultus sui comédere potest panem suum in poenam antiquae maledictiónis; saepe vero nec sic, nec sic, sed in domum paupertátis suae redire cágitur páuper et famélica.

Si enim orans quaero te in caelo isto, pulchro quidem sed corpóreo, quod sursum vídeo, pari modo erro, quam si quaeram te in terra quam calco, si in áliquo quólibet loco vel extra locum, loco quem creásti inclúdo te, vel exclúdo. Si formam áliquam vel formátum áliquid imáginer mihi pro te Deo meo: idólatra fio. O véritas respónde óbsecro. Rabbi ubi hábitas? Veni, inquit, et vide. Non credis quia ego in Pater et Pater in me est? Grátias tibi Dómine non nihil profécimus; locum tuum invénimus. Locus tuus Pater tuus; locus quoque Patris tu es. Ab hoc ergo loco locális es. Sed ista tua locálitas longe áltior, et se-crétior, quam áliqua illocálitas. Ista locálitas, únitas est Patris et Filii: consubstantiálitas Trinitátis.

Quid igitur? Num solúmmodo invénimus locum Dómino? Immo o áнима enítere quantum potes, non tam ratíonis efféctu, quam amóris afféctu, et si locus Dei Deus est, si ista locálitas Trinitátis est consubstan-tiálitas, remótis ómnibus usitátis locórum vel locálium imaginatióñibus intéllege te Deum in se ipso invenísse, ipso ostendénte qui tanto vé-rius et cértius est, quanto ex se ipso, in se ipso, per se ipsum est quod est.

Sed et si in oratióne nostra aliquándo pedes Iesu tenémus et ad humanitátis formam eius, sicut unam cum Filio Dei persónam quasi corpó-reum quendam afféctum formámus, non errámus, sed tamen spirituálem tardámus et impedimus oratióñem, et dicit ipse nobis: "Expedit vobis ut ego vadam. Nisi ego abiero Paráclitus non véniet ad vos".

Responsorium

Io 16, 23. 24. 27

R. Amen, amen dico vobis: Si quid petíeritis Patrem in nómíne meo, dabit vobis. * Pétite et accipiétis, ut gáudium vestrum sit plenum, allelúia.

V. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amástis et credidístis quia ego a Deo exívi. * Pétite et accipiétis.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Ex domo oratiónis transívit in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei, cuius nímio amóre flagrábat, allelúia.
vi T. AM 779

Oratio

Tua nos, omnípotens Deus, protectione custódi, et castimóniae pacem

méntibus nostris atque corpóribus, intercedénte beáta Francha vírgine tua, propitiátus indúlge, ut veniénte sponso Filio tuo Unigénito, ac cénsis lampádibus, eius digne praestolémur occúrsum. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Ad Magnificat, ant. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades: ecce sponsus venit, exíte óbviam ei, allelúa. vii T. AC2 38*

Die 11 maii

SS. ODONIS, MAIOLI, ODILONIS, HUGONIS
ET B. PETRI VENERABILIS, Abbatum Cluniacensium

Memoria

Quatuor hi sancti patres Cluniaci abbates deinceps fuerunt. S. Odo ab anno 927 usque ad annum 942; S. Maiolus ab anno 943 usque ad annum 994; S. Odilo ab anno 994 usque ad annum 1094; S. Hugo, qui dictus est Magnus, ab anno 1049 usque ad annum 1109, cui aliquanto post B. Petrus Venerabilis ab anno 1122 usque ad annum 1157 successit. A saeculo decimo usque ad decimum secundum hi magni abbates cluniacenses gravi auctoritate ac moribus integris ad serviendum monachatui benedictino et Ecclesiae Romanae pacique inter populos fovendae totis viribus incubuerunt; magna haec emolumenta adepti propter eorum honestatem et regiminis stabilitatem, propter fidelitatem erga vocationem Regulæ qua dicitur: "Nihil Operi Dei preeponatur", ab omni tandem immixtione in saecularibus rebus abstinentes.

De Communi sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad Invitatorium

Ant. Exsúltent in Dómino sancti, allelúa.

Ad VigiliasHymnus

1. Quae tanta, Patres, glória
vos nimbo adórnat caélico,
in nos redúndat lúcida
quos foedus idem cóngregat.
2. Quos patris ac legiferi
dent iussa fructus úberes,
per vos patet miríficis
gestis, loquélis, móribus.
3. Hortus venústus flóribus
agérque laete frígifer,
virtútibus Cluniacus
per vos amoénus splénduit.
4. Pii, sagáces, próvidi,
prodésse avéntes frátribus,
quot comparásti incolas
caeli beatitúdinis.

5. Adéste nobis, Régulæ,
quam vos amástis, ásseclis,
ut hanc tenéntes séduli
Christum sequámur principem.

6. In pátria cum gaúdio
vestrae cohórtis párticeps,
et nostra turma cóncinat
in Trinitátis glóriam. Amen.

A. Lentini

Lectio altera

De Epistula beáti Petri Venerabilis
ad sanctum Bernárdum, abbátem Claraevállis
(Epist. lib. VI, n. 3: PL 189, 401-404)

Amicum et caríssimum tuum me corde agnosco

Loqui sóleo, sed nunc mutus factus sum. Unde hoc? Quia litterae vestrae, quae me eloquéntem fáceré debúerant, mutum fecérunt. Quare? Tanta in illis licet brévibus legi, ut si ad respondéndum me effúndere conárer, magis tacitúrnus quam loquax vidérer. Sed gravi hómini, sed religioso lóquor. Agéndum est ergo, prout grávitas póstulat, prout religio, etsi non mea, tamen vestra efflágitat. Quid enim? Nonne verum est quod dico? Brevis epistola; sed multa respondéndi matéria. Fer, rogo, insúlsum, si quid secus dixero quam opórteat.

Verae enim amicitiae est, non solum falsa amici suspídere, sed et insúlsa aut condire, aut toleráre. Accépi, ut dixi, ex parte tua litteras, litteras singuláres, litteras amórem dulcissimum et honórem, plus quam mihi débitum, praetendéntes. Reverendissimum me dicis, Patrem nómias, amicum caríssimum appéllas. Gáudeo ad ista, sed salva veritáte, quae ex Christo in te deflúxit, duo praecedéntia néscio, tértia agnósco. Nam reverendissimum me esse ignóro, Patrem quantum ad te me esse nego, amicum et caríssimum tuum me non solum ore profiteor, sed et corde agnósco. Súfficit, et multum súfficit, si fratris, si amici, si cari vel caríssimi nómine de te, vel apud te glórifier, vel si quid tale aut te docet mitttere, aut me decet suspídere. Hoc de praemissa salutatióne. Sed quid de sequéntibus? Utinam, inquis, sicut prae-séntem epistolam, ita vobis mentem meam mitttere possem. Et statim: Sine dúbio tunc clarissime legerétis, quid in corde meo de amore vestro digitus Dei scripserit, quid meis imprésserit médullis. Vere haec verba salvo maióris mystérii sacraménto, "sicut unguéntum in cápite". Nec miréris quia tam sollicite atténdo et téneo verba tua. Non enim a qualicúnque ore proláta scio, sed ab illius, qui loqui non novit, nisi de corde puro et consciéntia bona, et amóre non ficto. Novi hoc, inquam, ego, novi et mecum orbis non esse te de illórum número, qui iuxta psalmum: "Vana locúti ad próximum suum". Non esse te de illis, quórum lábia dolósa in corde et corde locúti sunt.

Idcirco quotiescúmque placet sanctitáti vestrae scribere mihi, non negligénter, non transitórie, sed studióse, affectuóse scripta tua suscipio, lego, ampléctor. Qui enim non sollicite légeret, non multo cum afféctu amplecterétur et ea quae praemisi, et illa quae sequúntur?

In fine rogo, quantum possum, et súpplico, ut in hoc tanto sanctórum virórum, qui Cistércii convenérunt, convéntu, mei, útique vestri,

memóriam faciátis, meque totúmque Cluniacénsis congregatiónis corpus eórum inténte oratióibus commendetis.

Responsorium

- R. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas sancti Dei perstérunt in amore fraternitatis: * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides.
 V. Memória eórum non derelinquéatur, et nomen eórum in aetérnum manet. * Quia unus.

vel

Ex Epistula sancti Petri Damiáni ad Hugónem abbátem
et monastérii Cluniacénsis mónachos
(Epist. 3: PL 144, 374-378)

Cluniacense monasterium agrum Domini plenum dicitur

Postquam feram semel venátor illáqueat, si nexum eius pédibus inicit, iam sine perdéndi formidine lóngius eam evagári sub quadam libertáte permittit. Is qui aucúprio delectátur, dum iniécto funiculo pédibus tenet vólucrem, secúrus avolándi datam simulat facultátem; et illa quidem fugam tentat, alárum librat ex more remigium: sed dum exsiliare conáatur, ácupe funiculum stringénte retráhitur. Vos étiam me tuto ad própria remisistis, quem vidélicet glútino vestrae caritátis astríctum insolubiliter retinétis. Nam recédere quidem corpore pótui, sed mente de vestris mánibus non exivi. Ita nempe mirándezae conversatiónis vestrae me viscus obstrinxit, angélicae vitae coágulus agglutinávit, sincérae caritatis láqueus irretivit, ut facilius suimet oblívisci, quam a vestra memória mens mea possit avélli.

Vidi siquidem paradísum quatuor Evangeliorum fluéntis irriguum, imo tótidem spirituálium rivis exuberáre virtútum: vidi hortum deliciárum divérsas rosárum ac liliórum grátias germinántem, et mellifluas arómatum ac pigmentórum fragrántias suáviter redoléntem, ut de illo vere váleat Deus omnipotens dicere: "Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dóminus". Et quid áliud Cluniacénsis monastérium, nisi agrum Domini plenum dixerim, ubi velut acérvus est caeléstium ségetum, chorus tot in caritáte degéntium monachórum? Ager ille quotidiano sanctae praedicationis ligóne praescinditur, et in eo caeléstis éloquii sémina consperguntur. Illic spirituálium frugum provéntus aggéritur, ut hórreis póstmodum caeléstibus inferátur.

Cluniacus praetérea ager spirituális quidem campus est, ubi caelum et terra congréditur, ac velut aréna certáminis, ubi spirituális more palæstræ caro frágilis advérsus potestátes aéreas colluctátur. "Non enim est nobis colluctatió advérsus carnem et sanguinem, sed advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequitiae in caeléstibus". Illic Iosue, non ille filius Nun, sed ipse caeléstis ductor exércitus, Iesus nempe, et qui spirituálium instrúctor est bellatórum,

suo édocet milites, supérbas quinque regum calcáre cervices: super quos nimírum triumphálem noscúntur obtinére victóriam, qui tótidem sensus cónsiderant districtae custódiae cónhibent disciplinam.

Omnipoténtis Dei custódia super hoc monastérium semper invigilet, quae et vos ab invisibilium hóstium défendat insidiis, et bona vestra ab exterióribus tueáter adverásis. Omnipotens Spíritus corda vestra pos sideat, et fervóre continuo suae dilectionis accéndat: templum sibi nunc in vestris pectóribus cónstruat, et póstmodum vos supérnæ Ierúsalem moénibus introdúcat. Amen.

Responsorium

Is 62, 6; 61, 9b

- R. Super muros tuos, Ierúsalem, constitui custódes; * Tota die et tota nocte, in perpétuo non tacébunt.
 V. Omnes, qui viderint eos, cognóscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dóminus. * Tota die.

Ad Laudes matutinas

Hymnus

1. Sacrata nobis gáudia dies redúxit ánnua,
qua Patres nostri óptimi colúntur laude álaci.
2. Qui pura mentis ácie,
mundi devicto principe,
amára dantes sémina,
iam messis tenent gáudia.
3. Scútum suméntes fidei,
iuxta dictum Apóstoli,
mucróne sancti Spíritus hostes prostérnunt invidos.
4. Ut vera Christi lilia fulgéntes in Ecclésia,
comissa sibi ágmina pascébant dape gémina.
5. Glória tibi Dómine,
qui surrexisti a mórtuis,
cum Patre et sancto Spíitu in sempitérna saécula. Amen.

Psalmodia

Ant. 1 Super nivem dealbabuntur Sancti tui, Dómine, allelúa. i T.
AM 877

Ant. 2 Iusti confitebuntur nómini tuo, et habitábunt recti cum vultu tuo, allelúa. viii T. AM 878

Ant. 3 Sancti mei, qui in isto saéculo certámen habuistis, mercédem labórum ego reddo vobis, allelúa. vii T. AM 878

Ant. 4 Sancti spíritus et ánime iustórum, hymnum dicite Deo, allelúa. i T. AM 878

Ant. 5 Sancti estis, dicit Dóminus, et multiplicábo númerum vestrum, ut orétes pro populo meo in loco isto, alleluia. viii T. AM 878

Lectio brevis

Sir 17, 6-8

Creávit illis scíentiam spiritus, sensu implévit cor illórum, et mala et bona osténdit illis. Pósuit timórem suum super corda illórum osténdens illis magnália óperum suórum, et dedit illis gloriári in mirabilibus illius, ut nomen sanctificatiónis colláudent, et magnália enárrent óperum eius.

Responsorium breve

Ps 67 (68) 4

R. Exsúltent iusti in conspéctu Dei, * Alleluia, alleluia.

Exsúltent.

V. Et delecténtur in laetitia. * Alleluia.

Ad Benedictus, ant. Fulgébunt iusti: et tamquam scintillae in arundíne discúrrent. Iudicábunt natiónes, et regnábunt in aetérnum, alleluia. i T. AC2 20*

Oratio

Deus, qui perfécte ambulántium coram te praesidium es et merces magna nimis, pérfice, quaésumus, in nobis sanctae religiónis efféctum, ut, beatórum abbátum Cluniacénsum exémplo et intercessióne, viam cari-tatis dilatató corde currámus. Per Dóminum.

Ad VesperasHymnus

1. Iucúnda Patrum rédiit festivitas illústrium, confessióne córdium, qui respuerunt saéculum.

3. Oratióne sédula, votisque nostris subditis, det nobis indulgentiam eórum intercéssio.

2. Quórum coléntes ánnuam sollemnitátem cándidam, ipsos precámur húmiles, ut nostraras mundent máculas.

4. Glória tibi Dómine, qui surrexisti a mórtuis, cum Patre et sancto Spiritu, in sempitérna saécula. Amen.

Psalmodia

Antiphonae ut ad Laudes matutinas.

Lectio brevis

1 Pet 5, 1-4

Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consénior et testis

Christi passiónum, qui et eius, quae in futúro revelánda est, glóriae communicátor: Páscite, qui est in vobis, gregem Dei, providéntes non coácte sed spontánee secúndum Deum, neque turpis lucri grátia sed voluntárie, neque ut dominantes in clérís sed formae facti gregis. Et cum apparuerit Princeps pastórum, percipiétis immarcescibilem glóriae corónam.

Responsorium breve

Is 62, 6

R. Super muros tuos, Ierúsalem, constitui custódes, * Alleluia, alleluia. Super muros.

V. Tota die et tota nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini. * Alleluia.

Ad Magnificat, ant. Beáti estis, sancti Dei, qui meruistis consórtes fieri caeléstium virtútum, et pérfrui claritátis glóriae, alleluia. i T. AM 877

S. PACHOMII, abbatis

Memoria

Pachomius natus est anno circiter 287. Adhuc miles christianaे caritatis erga captivos testimonium clarum dedit, sed, ad religiosam vitam conversus, anno circiter 308, ab anachoreta Palamone monasticum habitum accepit. Peractis postea annis septem, divina revelatione admonitus est ut Tabennae monasterium ad suscipiendo frates aedificaret. Propter quod institutor quoque coenobitismi in Orientis partibus habetur. Cuius praecepta etiam in coenobiis Europae Occidentalís plurimum potuerunt, praesertim ad Regulam S.P.N. Benedicti pertinendo. S. Pachomius die 14 maii anni 347 in Thebaide e vita migravit.

De Communi sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad VigiliasLectio altera

Ex litteris sancti Pachomii abbatis
(Epist. IV: PL 23, 96-97)

Scripti vobis ut nunc laborantes
requiem in futurum habere possitis

Transivimus per te, et non potuimus pree nimia festinatióne divinum tecum conférre sermonem; ideo nunc per epistolam lóquimur. Omni virtú-

te conténde; ut impleas consuetudinem monasterii, et fáciás quae präcepta sunt; ne correptioni futuri temporis präpareris, fuerisque in peccatorum vinculis condemnandus et offerendus Deo propter negligéntiam, non solum tuam, sed et fratrū qui tecum sunt, et cooperantur ibi, sciētū, quod ea quae nobis dedit, illis fidelissime tradidérimus.

Memineris et ministérii laborisque sanctórum, et amici tui, qui cognovérunt voluntátem Dei; ut et ipsi fiant coherédes eiúsdem repromissionis, et hábeant immortálem fidem a Deo, quae creáta est per spíritum prophetarum et ab apóstolis roborata. Qui sustinuerunt pro ea omnes angústias et persecutíones. Credidérunt enim repromissioni eius, et idcirco fragrantiam boni odoris sibi paravérunt. Considerémus ergo eos, quos Deus dominatióne donávit, si forte eis servire mereámur, et eórum adhaerére doctrinae, relicta omni supérbia et peccáto.

Docet igitur ut quae dicuntur nobis, aliquando intellegámus; sciéntes quia mundus p̄aetereat et desidéria eius. Vigiláte et vidéte quómodo ambulétis. Ideo vigilare debémus, et omni sollicitudine futuri lapidibus providére; ut non confundámur in tempore, quando vénérint tempora refrigérii, et ne inveniámur súbditi servitúti, sed ut simus nova conspersio, sciéntes quod pulchritudo nobiscum sit.

Acceptabilis regis minister intéllegens. Mel invenisti, cómede quod súfficit, ne forte satiátus évomas id. Meménto iudicii, et misericordiae, ac fidei. Iudicii, per quod regíones habitábiles fiunt; misericordiae, per quam glorificátur Deus; fidei, quae fundaméntum est mortuorum atque vivórum; ut per hoc spem possidére valeámus. Pugna atque conténde, et qui tecum sunt fratres, quia scripsi vobis in figúris et in parábolis, ut quaeráatis ea sapiénter, sequéntes sanctórum vestigia; nec incurráatis in iudicium Dei docti sermóibus eius.

Hiems praeséntis saéculi nos ambuláre non prohibeat; sed incessabiliiter iustitiam Dei semper operémur recordántes illius testimónii: "Donec pertránseat hiems, et pluvia ábeat ac recédat sibi". Deus adiútor nostri sit in pace, quae mensúram non habet largítatís, quae sit in dómib⁹ nostris, donec vespertinum tempus pertránseat. Haec ómnia scripsi vobis, ut nunc laborantes réquiem in futúrum habére possitis.

Responsorium

Ier 32, 37-40; Ps 131 (132), 1

R. Ecce congregábo eos et dabo eis cor unum et viam unam, ut tímeant me, et fériam eis pactum sempitérnum. * Et non désinam eis benefacere, allelúia.

V. Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.
* Et non.

vel

E vita sancti Pachomii a quodam coaévo mónacho scripta
(Acta Sanctorum, Maii tomus I, 297-298; 301-303)

Omnia et singula ex Evangelio in seipso exhibere contendit

Pachomius, vehementiore erga Deum caritáte motus, qua ratione inter

monachos vitam ágere posset circumspéxit. Posteaquam igitur de anachoréta quodam, qui Palaémon vocabáratur, fama accépit, mox, ut solitáriam cum eo vitam viveret, ad hóminis cellam proféctus est. Palaémon, aperto tunc cellulæ suae óstio, adolescentem admisit, ac monachórum hábitu induit. Páriter deinde monásticis sese exercitatióibus et oratiónis stúdio addixérunt.

At Pachomius ad maióres in virtúte progrésus faciéndos áriter incitátus, omni custódia cor suum custodire státuit, quemámodum scriptum lègimus: ita, ut óptimus senex veheménter admiraréetur, quod non extérrnam solum, eámque ámodum sevérā, vivéndi rationem alacríter sustinéret, sed consciéntiam quoque suam omnem ad perfectissimam pietatis ac religiónis régulam exigeret, spes suas omnes ac meliores in caelis habens repósitas. Cumque divinórum sermónum lectióni meditatio nique sério incepisset vacáre, non rúditer, quemámodum solent plúrimi, aut unum solúmmodo, sed ómnia et singula ex iis in seipso exhibére contendit; in humilitáte, in mansuetudine, in veritáte, illum Dómini sermómen accuráte obsérvans: "Discite a me, quia mitis sum et húmilis corde".

In solitúdinem igitur lóngius aliquanto progrésus, ad vicum quemdam desértum, Tabennésin nōmine, forte pervénit; ubi cum pro ea quae in Deum ferebátur caritáte oratióni vacáret, eámque protráheret lóngius; vox ad eum defértur ita dicens: Susbsiste hic, et monastérium extrue: plúrimi namque monásticae vitae amplecténdae ávidi huc ad te accédent.

Atténtius secum ac vocem illam cōgitans, nihilque amplius de veritáte eius Deique beneplácito dób̄us, excipere coepit omnes quicúmque monásticae vitae stúdio accénsi ad eum accedébant. Perácta vero débita eorúdem probatióne, hábitum eis monachórum conférre non differébat, singillátim quae observánda erant diligénter p̄aescribens. Ac primum quidem ut mundi huius rebus ómnibus remitterent, itaque Salvatórem, idipsum inculcántem, studiōse sequeréntur; hoc enim demum esse quod dicitur: "Tóllere crucem suam".

Ita factum est, ut vocánte Deo, et númerum monachórum augére volénte, non pauci ad idem cum Pachomio vitae genus ducéndum conflúixerint. Númerus porro discipulórum ad centenárium iam excréverat. Videns porro hómines aetáte provéctos, corpórib⁹ débiles, atque álios adhuc púeros; magna motus commiseratióne ánimis ómnium consúlere solébat. Non minóri perfundebátur laetitia si quos vidéret notábilem in virtúte progréssum facere, et fide fiduciáque in Deum excéllere; erant quippe omnes proficiéndi stúdio et aemulatióne insignes.

Ad haec ómnia magnus pater noster Pachomius illud étiam insigniter adiécit, ut ecclésia erigeréetur in pago quodam desérto, ad quam sábbato et dominico quovis die páuperes e vicinia pastóres verbum Dei audiéndi causa convenirent. Dum autem ad pópulum verba habéret, ita suam omnem promébat sapiéntiam, ita ostendébat pietátem, sic óculos, sic mentem, sic os atque vultum habébat compósitum, ut rudes atque mundo addicti hómines, cum hunc fámulum intueréntur, maióres conciperent áimos ad christianórum fidem pietatémque amplecténdam. Ferebátur quippe vir egrégius incredibili quadam in ómnium salútem cupiditáte; id unum desiderans, ut omnes, si fieri posset, ad salútem aetérnam perdúceret.

Responsorium

Sir 2, 20. 19. 18

R. Qui timent Dóminum, preeparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt áimas suas, * Et inquirent quae beneplácita sunt ei, alleluia.

V. Qui timent Dóminum non erunt incredibiles verbo illius et conservabunt viam illius. * Et inquirent.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Beatus vir, qui métuit Dóminum, alleluia, in mandatis eius cupit nimis, alleluia. i T. AC2 32*

Oratio

Deus, qui beatum Pachómium abbátem ad doctrinae virtutisque culmina pervenire fecisti, concéde, quaesumus, ut, eius exemplo, panem verbi tui primum quaerámus, a quo mentes lumen accipiunt et corda quietem. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Hic vir despiciens mundum et terréna triúphans, divitias caelo condidit ore, manu, alleluia, alleluia. viii T. AC2 35*

Die 25 maii

S. BEDA VENERABILIS, presbyteri et Ecclesiae doctorisMemoria

Natus est in territorio monasterii Viremuthensis (Wearmouth) anno 673; a sancto Benedicto Biscop educatus, monasterio nomen dedit et, sacerdotio iniciatus, docens et scribens ministerium implevit. Opera theologica et historica composuit, traditionem patrum secutus et sanctam Scripturam explicans. Mortuus est anno 735.

De Communi doctorum Ecclesiae; vel sanctorum virorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad VigiliasLectio altera

Ex Epistola Cuthberti de óbitu sancti Bedae Venerabilis
(Nn. 4-6: PL 90, 64-66)

Desidero Christum videre

Cum venisset tértia féria ante Ascensionem Dómini, Beda coepit ve-

heméntius aegrotare in anhélitu, et módicus tumor in pédibus appáruit. Totum autem illum diem docébat et hiláriter dictábat; et nonnúmquam inter ália dixit: "Discite cum festinatióne, néscio quándiu subsistam, et si post módicum tollat me Factor meus". Nobis autem videbátur quod suum éxitum bene sciret; et sic noctem in gratiárum actione pérvigil duxit.

Mane illucescénte, id est, féria quarta, praecépit diligénter scribi quae cooperámus; et hoc fécimus usque ad tértiam horam. A tértia autem hora ambulávimus cum reliquiis sanctórum, ut consuetúdo diéi illius poscébat; unus vero erat ex nobis cum illo, qui dixit illi: "Adhuc, magister dilectissime, capitulum unum de libro, quem dictásti, deest; videturne tibi difficile plus te interrogári?". At ille: "Fácil est, inquit, accipe tuum cálamum et témpora, et festinánte scribe". Quod ille fecit.

Nona autem hora dixit mihi: "Quaedam pretiosa in mea capsella hábeo, id est, piper, orária et incénsa; curre velóciter, et presbýteros nostri monastérii adduc ad me, ut et ego munúscula, quália Deus donávit, illis distribuam". Et praeséntibus illis locútus est ad eos, unumquémque monens et obsecrans pro ipso Missas celebráre, et oratiónes diligénter facere, quod illi libénter spoondérunt.

Lugébant autem et flébant omnes, máxime quod dixerat quia aestimáret quod fáciem eius amplius non multum in hoc saéculo essent visúri. Gaudébant autem de eo quod dixit: "Tempus est (si sic Factóri meo vidéatur) ut revertar ad eum qui me fecit, qui me creávit, qui me, quando non eram, ex nihilo formávit. Multum tempus vixi, bene mihi pius iudex vitam meam praevidit: 'tempus resolutiónis meae instat', quia 'cúpio dissólvi et esse cum Christo'; étenim áima mea desiderat regem meum Christum in decóre suo vidére". Sed et ália multa ad aedificationem nostram locútus, in laetitia diem usque ad vésperam duxit.

Et praefátus puer Viberth adhuc dixit: "Magister dilécte, adhuc una senténtia non est rescripta". At ille: "Scribe, inquit, cito". Post módicum dixit puer: "Modo senténtia descripta est". Ille autem: "Bene, ait, veritátem dixisti: 'consummátum est'. Accipe caput meum in manus tuas, quia multum me deléctat sedére ex adverso loci sancti mei, in quo oráre solébam, ut et ego sedens Patrem meum invocáre possim".

Et sic in pavimento suae cásulae decántans: "Glória Patri et Filio et Spiritui Sancto", cum Spiritum Sanctum nomináasset, spiritum e córpo re exhalávit últimum; atque (ut sine dúbio credéndum est) pro eo quod hic semper devotissimus in Dei láudibus laboráverat, ad gáudia desiderórum caeléstium migrávit.

Responsorium

R. Cunctum tempus vitae meae in monastérii habitatióne péragens, omnem meditándis Scriptúris óperam dedi; atque inter observatióne disciplinae reguláris et cotidiánam cantándi in ecclésia curam: * Semper aut discere aut docére aut scribere dulce hábui, alleluia.

V. Qui fécerit et docuerit, magnus vocábitur in regno caelórum.
* Semper aut discere.

vel

Ex Expositio[n]e sancti Bedae Venerabilis presb[iter]i in Lucam
(Lib. III, l. 5-13: CCL 120, 226-230)

Perfectio vitarum nostris non viribus est obtinenda sed precibus

Post historiam sororum, quae duas eccl[esi]as vidas signavérunt, non frustra Dóminus et ipse orásse et discípulos oráre docuisse describitur, quia et oratio, quam dócuit, utriusque in se vitae cóntinet mystérium, et ipsarum perféctio vitarum nostris non viribus est obtinénda sed precibus. Et quia crebro Lucas Salvatórem descripserat orántem, quid orando égerit, qui útique non pro se sed pro nobis súpplicat insinuat, cum finita oratione discípulos refert quáliter oráre débeant sciscitari.

Rogátus a discípulis, Salvátor non modo formam orationis sed et instántiam frequentiámque tradit orándi. Amicus, ergo, ad quem média nocte venitur ipse Deus intellégitur, cui in media tribulatióne supplicare, et tres panes, id est intellegéntiam Trinitatis, qua praeſentis vitae consoléntur labores efflagitáre debémus. Amicus qui venit de via ipse noster est ánimus, qui tóties a nobis recédit quóties ad appeténda terrena et temporalia foris vagátur. Redit vero caelestique alimónia réfici desiderat, cum in se revérsus, supérna coéperit ac spiritalia meditári. De quo pulchre qui petierat adiungit non se habére quod ponat ante illum, quóniam ánimae, post saéculi ténebras Deum suspiránti, nihil praeter eum cogitáre, nil loqui, nilque libet intuéri solum quod recognóvit summae Trinitatis gáudium contemplári atque ad hoc plénius intuéndum pervenire sátagit.

Ostium amici divini est intellegéntia sermónis quod sibi Apóstolus orat aperiri ad loquendūm mystérium Christi, clausúmque est tempore famis verbi cum intellégentia non datur. Et illi qui evangélicam sapiéntiam, tamquam panem erogántes per orbem terrae praedicavérunt, pueri patrisfamilias iam sunt in secréta quiete cum Dómino. Et tamen orando efficitur ut accipiat desiderans intelléctum ab ipso Deo, étiam si homo desit per quem sapiéntia praedicétur.

Si enim amicus homo surgit de lecto, et dat non amicitia sed taédio compúlsus, quanto magis dat Deus, qui sine taédio largissime donat quod pétitur?

"Omnis enim, inquit, qui petit, áccipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti, aperiétur". Ergo iuxta praemissam postulantis amici parabolam perseverántia opus est ut accipiámus quod pétimus, et inveniámus quod quaerimus, et quod pulsámus aperiátur. Nam si petenti datur, et quaerenti invenit, et pulsanti aperiétur, ergo cui non datur, et qui non invenit, et cui non aperitur, appáret quod non bene petierit, quaesierit, pulsáverit.

Quantum ergo sperandum est datúrum Deus nobis bona peténtibus, nec nos posse décipi ut accipiámus áliud pro álio, cum ab ipso pétimus, quando nos étiam, cum simus mali, nówimus id dare quod pétimus. Non enim decipimus filios nostros, et qualiacumque bona damus non de nostro sed de ipsius damus.

vel

Ex Expositio[n]e sancti Bedae Venerabilis presb[iter]i in Lucam
(Lib. III, l. 5-13: CCL 120, 226-230)

Perfectio vitarum nostris non viribus est obtinenda sed precibus

Post historiam sororum, quae duas eccl[esi]as vidas signavérunt, non frustra Dóminus et ipse orásse et discípulos oráre docuisse describitur, quia et oratio, quam dócuit, utriusque in se vitae cóntinet mystérium, et ipsarum perféctio vitarum nostris non viribus est obtinénda sed precibus. Et quia crebro Lucas Salvatórem descripserat orántem, quid orando égerit, qui útique non pro se sed pro nobis súpplicat insinuat, cum finita oratione discípulos refert quáliter oráre débeant sciscitari.

Rogátus a discípulis, Salvátor non modo formam orationis sed et instántiam frequentiámque tradit orándi. Amicus, ergo, ad quem média nocte venitur ipse Deus intellégitur, cui in media tribulatióne supplicare, et tres panes, id est intellegéntiam Trinitatis, qua praeſentis vitae consoléntur labores efflagitáre debémus. Amicus qui venit de via ipse noster est ánimus, qui tóties a nobis recédit quóties ad appeténda terrena et temporalia foris vagátur. Redit vero caelestique alimónia réfici desiderat, cum in se revérsus, supérna coéperit ac spiritalia meditári. De quo pulchre qui petierat adiungit non se habére quod ponat ante illum, quóniam ánimae, post saéculi ténebras Deum suspiránti, nihil praeter eum cogitáre, nil loqui, nilque libet intuéri solum quod recognóvit summae Trinitatis gáudium contemplári atque ad hoc plénius intuéndum pervenire sátagit.

Ostium amici divini est intellegéntia sermónis quod sibi Apóstolus orat aperiri ad loquendūm mystérium Christi, clausúmque est tempore famis verbi cum intellégentia non datur. Et illi qui evangélicam sapiéntiam, tamquam panem erogántes per orbem terrae praedicavérunt, pueri patrisfamilias iam sunt in secréta quiete cum Dómino. Et tamen orando efficitur ut accipiat desiderans intelléctum ab ipso Deo, étiam si homo desit per quem sapiéntia praedicétur.

Si enim amicus homo surgit de lecto, et dat non amicitia sed taédio compúlsus, quanto magis dat Deus, qui sine taédio largissime donat quod pétitur?

"Omnis enim, inquit, qui petit, áccipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti, aperiétur". Ergo iuxta praemissam postulantis amici parabolam perseverántia opus est ut accipiámus quod pétimus, et inveniámus quod quaerimus, et quod pulsámus aperiátur. Nam si petenti datur, et quaerenti invenit, et pulsanti aperiétur, ergo cui non datur, et qui non invenit, et cui non aperitur, appáret quod non bene petierit, quaesierit, pulsáverit.

Quantum ergo sperandum est datúrum Deus nobis bona peténtibus, nec nos posse décipi ut accipiámus áliud pro álio, cum ab ipso pétimus, quando nos étiam, cum simus mali, nówimus id dare quod pétimus. Non enim decipimus filios nostros, et qualiacumque bona damus non de nostro sed de ipsius damus.

Responsorium

Mt 13, 52; Prov 14, 13

R. Omnis scriba doctus in regno caelórum, * Similis est hómini patrifamilias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera, alleluia.

y. In corde prudéntis requiéscit sapiéntia, et indóctos quosque erúdiet. * Similis est.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Qui docti fúerint, fulgébunt quasi spléndor firma-menti, et qui ad iustitiam erúdint multos, quasi stellae in perpétuas aeternitatis, alleluia. vii T. OCO (Hauterive)

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Bedae presb[iter]i eruditio[n]e clari-ficas, fámulis tuis concéde propitius, et eius semper illustrári sa-pientia, et méritis adiuvári. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Ad Magnificat, Ant. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte Beda divinae legis amátor, deprecáre pro nobis Filium Dei, alleluia. ii T. AC2 28*

Die 26 maii

S. GREGORII VII, papae

Memoria ad libitum

Hildebrandus natus est in Tuscia circa annum 1028; Romae educa-tus, vitam monasticam duxit; multis legationibus Pontifices sui temporis adiuvit pro Ecclesiae reformatione, quam ipse strenue pro-secutus est, postquam Petri cathedram ascendit anno 1073 sub nomine Gregorii VII. A rege Henrico IV praeſertim oppugnatus, profugus Salerni obiit anno 1085.

De Communi pastorum.

Ad Vigilias

Lectio altera

Ex Epistolis sancti Gregorii papae Séptimi
(Ep. 64 extra Registrum: PL 148, 709-710)

Ecclesia libera, casta, catholica

Rogámus et obsecrámus in Dómino Iesu, qui nos sua morte redémit,

ut tribulatiōnes et angūstias, quas pátimur ab inimicis christiānae religiōnis, cur et quáliter patiámur, diligénter investigándo intellegatis.

Ex quo enim dispositiōne divina mater Ecclésia in throno apostólico me valde indignum et, Deo teste, invitum collocávit, summópere procurávi ut sancta Ecclésia, sponsa Dei, dómīna et mater nostra, ad próprium rédiens decus, libera et casta et cathólica permanéret. Sed, quia hosti antiquo haec omnino displicent, armávit contra nos membra sua, ut ómnia in contrárium vérteret.

Ideo in nos, immo in Apostólicam Sedem, tanta fecit, quanta facere a témpore Constantini Magni imperatóris nequivit. Nec valde mirum, quia quanto plus tempus appropinquat, tanto ámplius christiánam religiōnem extingue decértat.

Nunc autem, fratres mei carissimi, diligénter quae vobis dico audite. Omnes qui in toto orbe christiánō censéntur nōmine et christiánam fidem vere cognoscunt, sciunt et credunt beátum Petrum, Apostolórum principem, esse ómnium christianórum patrem, et primum post Christum pastórem, sanctámque Románam Ecclésiam ómnium Ecclesiárum matrem et magistram. Si ergo hoc créditis et indubitánte tenétis, rogo vos et praecipio ego, qualiscumque frater et indignus magister vester, per omnipoténtem Deum adiuváte et succúrrite praedicto patri vestro et matri, si per eos absoluciónem ómnium peccatórum et benedictiōnem atque grátiā in hoc saéculo et in futúro habére desiderátis.

Omnipotens Deus, a quo bona cuncta procédunt, mentem vestram semper illúminet eámque sua dilectione ac próximi fecundet, ut mereámini prae-fatum patrem vestrum et matrem certa devotione debitóres vobis fáceret, et ad eórum societátem sine verecúndia pervenire. Amen.

Responsorium

Sir 45, 3; Ps 77 (78) 70. 71

R. Dóminus glorificávit illum in conspéctu regum, et iussit illi coram pópulo suo, * Et osténdit illi glóriam suam. (T.P. Alle-lúia).

y. Elégit Dóminus servum suum páscre Israel hereditátem suam.
* Et osténdit.

vel

Ex Epistola sancti Grégorii papae Séptimi ad Hugónem abbátem Cluniacénsem
(MGH, Epistulae, II, 189-190)

Nulla remanet spes salutis nisi de sola misericordia Christi

Si posset fieri, optárem te pléniter scire quanta tribulatio me angústet, quantusve labor cotidie innovátus fatigat et accrescens valde pertúbat, ut secúndum tribulatiōnes cordis mei fratérna compássio mihi te flécteret et in profusione lacrimárum coram Deo cor tuum effundéret, ut páuper Iesus per quem ómnia facta sunt et qui ómnia regit, manum porrigeret et sólita pietáte miserum liberáret.



Ego enim saepe illum rogávi, prout ipse dedit, ut aut me de praesenti vita tolleret, aut matri communi per me prodésset. Et tamen de magna tribulatiōne adhuc non eripuit neque vita mea praedictae matri, cuius me caténis alligávit, ut sperábam prófuit. Circumvállat enim me dolor immánis et tristitia universális; ad meipsum cum rédeo, ita me gravátum propriae actionis pondere invénio, ut nulla remaneat spes salútis, nisi de sola misericordia Christi.

Nam si non sperárem ad meliórem vitam et utilitátem sanctae Ecclésiae venire, nullo modo Romae, quam coáctus, Deo teste, iam a viginti annis inhabitávi, remanérem. Unde fit ut inter dolórem qui cotidie in me renovátur et spem quae nimis heu proténditur, mille quassátus tempestáribus, quoquo modo móriens vivo, et eum qui me suis alligávit vinculis et Romam invitum redúxit, illicque mille angústiis praecinxit, expécto. Cui frequénter dico: Festina, ne tardáveris; accélara, ne moréris, meque libera amore beatae Mariae ac sancti Petri.

Sed quia non est pretiosa laus neque sancta oratiō cito impetrans in ore peccatóris, cuius est vita laudabilis et actio saeculáris, precor, exóro et rogo ut eos qui meréntur audiri pro vitae méritis, vigilanti cura rógitas, ut pro me Deum exórent ea caritáte eaque dilectione qua debent universálem diligere matrem.

Et quia utráque manu debémus uti pro déxtera et compriméndo impiorum saevitiam opórtet nos, quandóquidem non est princeps qui tália cu-ret, religiosórum tuéri vitam, fratérna te monémus caritáte, ut in quantum potes vigilanti stúdio manum praébeas, eos monéndo, rogando, exhortando qui beátum Petrum diligunt, ut si vere illius volunt esse filii et milites, non hábeant illo cariores saeculáres principes. Quia illi misera et transitória vix tribuunt, iste vero beata et aeterna a cunctis peccátis solvendo promittit, in caeléstem pátriam, potestáte sibi trádita, perdúcit.

Responsorium

Mt 16, 18; Ps 47 (48), 9

R. Dixit Iesus Simóni: Dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam, * Et portae inferi non prævalébunt adversus eam (T.P. allelúia).

y. Deus fundávit eam in aetérnum. * Et portae.

Ad Laudes matutinas

Hymnus

1. Pónifex magnus celebráris hymnis,
voce qui motus supera, loquéntis
Spíritus Sancti documénta sentis,
áctibus imples.
2. Triticum cernens lóliis scatére
praesul et messem mánibus profanis
óbici, zelo rapiénte, saevis
alter Elias.

Die 26 maii

3. Ut viam currant pátriae supérnae
libero gressu pópuli fidéles,
ántes pastor, própriam parátus
trádere vitam.

4. Israel murus dómui stetisti,
crimínum vindex columénque Romae;
inter aerúmnas plácida, Gregóri,
morte beáris.

5. Sis memor sancti gregis et patrónus,
sis ad aetérnam Triadem, precámur,
cuncta cui dignas résonent per orbem
sáecula laudes. Amen.

(E proprio Basilicae Vaticanae)

Ad Benedictus, ant. Surréxit Gregórius quasi ignis, et verbum eius
quasi fácula ardébat, allelúa. vii T. SAM 947

Oratio

Da Ecclésiae tuae, quaésumus, Dómine, spiritum fortitúdinis zelúmque iustitiae, quibus beátum Gregórium papam claréscere voluisti, ut, iniquitaté tem réprobans, quaecumque recta sunt libera exérceat caritáte.
Per Dóminum.

Ad VesperasHymnus ut ad Laudes matutinas.

Ad Magnificat, ant. Diléxi iustitiam, et odivi iniquitaté: proptérea mórior in exsilio, allelúa. ii T. SAM 951

Die 27 maii

S. AUGUSTINI CANTUARIENSIS, episcopi

Memoria ad libitum

E monasterio S. Andreae in Urbe anno 597 in Angliam missus est a sancto Gregorio Magno ad Evangelium paredicandum. A rege Ethelberto adiutus et episcopus Cantuariensis factus, multos ad fidem convertit et nonnullas constituit Ecclesias, praesertim in regno Cantiae. Mortuus est die 26 maii circa annum 605.

De Communi pastorum.

Ad VigiliasLectio altera

Ex Epistolis sancti Gregórii Magni papae
(Lib. 9, 36: MGH, Epistolae, 2, 305-306)

Gens Anglorum sanctae fidei luce perfusa est

"Glória in excélsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis", quia granum frumenti mortuum est cadens in terram, ne solum regnaret in caelo, cuius morte vivimus, cuius infirmitate roborámur, cuius passióne a passióne eripimur, cuius amore in Británnia fratres quaériamus quos ignorabámus, cuius munere, quos nesciéntes querebámus, invénimus.

Quis autem narráre sufficiat quanta hinc laetitia in ómnium corde fidélium fúerit exócta, quod gens Anglórum, operante omnipoténtis Dei grácia et tua fraternité laborante, expúlsis errórum tenebris, sanctae fidei luce perfusa est, quod mente integerrima iam calcat idóla, quibus prius vesano timore subiacébat, quod omnipoténti Deo puro corde substérnitur, quod a pravi óperis lápsibus sanctae praedicationis régulis ligátur, quod praecéptis divinis ánimo subiacet et intellectu sublevátur, quod usque ad terram se in oratione humiliat, ne mente iáceat in terra. Cuius hoc opus est, nisi eius qui ait: "Pater meus usque nunc operátur, et ego óperor?".

Qui ut mundum osténderet non sapiéntia hóminum, sed sua se virtute convértere, praedicatóres suos, quos in mundum misit, sine litteris élégit, haec étiam modo fáciens, quia in Anglórum gentem fórtia dignatus est per infirmos operári. Sed est in isto dono caelésti, frater carissime, quod cum magno gáudio vehementissime débeat formidári.

Scio enim quia omnipotens Deus, per dilectionem tuam in gente quam éligi voluit, magna mirácula osténdit. Unde necesse est, ut, de eódem dono caelésti, et timendo gáudeas, et gaudéndo pertiméscas: gáudeas vidélicet, quia Anglórum ánime per exterióra mirácula ad interiórem grátiam pertrahúntur; pertiméscas vero, ne, inter signa quae fiunt, infirmus ánimus in sui prae sumptione se élevet, et, unde foras in honore attollitur, inde per inánem glóriam intus cadat.

Meminisse étenim debémus quod discipuli cum gáudio a praedicatione redeúntes, dum caelésti magistro dicerent: "Dómine, in nómine tuo étiam daemónia nobis subiecta sunt", prótinus audiérunt: "Nolite gaudére super hoc, sed pótius gaudéte quia nómina vestra scripta sunt in caelo".

Responsorium

Phil 3, 17; 4, 9; 1 Cor 1, 10

R. Imitatóres mei estóte, fratres, et observáte eos, qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram: * Quae et didicistis et accepistis et audistis et vidistis in me, haec agite, et Deus pacis erit vobiscum (T.P. allelúa).

y. Obsecro vos, per nomen Dómini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicátis omnes. * Quae et didicistis.

vel

Ex História Ecclesiastica Gentis Anglorum

Venerabilis Bedae presbýteri
(Cap. 23; 25; 26: PL 95, 52-53, 55-57)

Augustinus ad praedicandum genti Anglorum missus

Gregórius, vir doctrina et actione praecipuus, pontificatum Romanae et apostolicae sedis sortitus, divino admónitus instinctu, misit servum Dei Augustinum, et álios plures cum eo mōnachos timéntes Dóminum, praedicare verbum Dei genti Anglorum. Qui cum iussis pontificálibus obtémperantes, memorátum opus ádgredi coepissent, iamque aliquántulum itineris confecissent, percúlsi timore inerti, redire domum pótius quam bárbaram, feram, incredulámque gentem, cuius ne línguam quidem nossent, adire cogitabant, et hoc esse tútius communi consilio decernébant. Nec mora, Augustinum, quem eis episcopum ordinándum si ab Anglis suscipientur disposuerat, domum remittunt, qui a beáto Gregório humili supplicátu obtinéret ne tam periculósam, tam laboriósam, tam incértam peregrinationem adire débérant. Quibus Gregórius exhortatórias mittens litteras, in opus eos verbi, divino confisos auxilio, proficiisci suádet.

Roborátus ergo confirmatione beati Patris Gregórii Augustinus cum fámulis Christi, qui erant cum eo, rédiit in opus verbi, pervenitque Británniam. Mittens intérpretes ad Aedilbértum, regem Cantiae, mandávit se venisse de Roma, ac núnctium ferre óptimum, qui sibi obtemperántibus, aeterna in caelis gáudia, et regnum sine fine cum Deo vivo et vero futúrum, sine ulla dubitacióne promitteret. Qui, haec áudiens, manére illos in ea quam adierant ínsula, et eis necessária ministrári donec vidéret quid eis fáceret, iússit. Nam et ántea fama ad eum Christiánæ religiónis pervénérat, útpote qui et uxórem habébat christiánam de gente Francórum régia, nómene Berta.

Post dies ergo aliquot venit rex et iússit Augustinum cum sóciis ad suum ibidem advenire collóquium. Cumque ad iüssionem regis verbum ei vitae, una cum ómnibus qui áderant eius comitibus praedicárent, dedit eis rex mansiónem in civitáte Doruvenénsi, eisque licéntiam quoque praedicándi non abstulit.

At ubi datam sibi mansiónem intravérunt, coepérunt apostolícam primitivae Ecclésiae vitam imitari; orationibus, videlicet, assiduis, vigiliis ac ieíuniis serviéndo, verbum vitae quibus pótentiam praedicándo, secúndum ea quae docébant ipsi per ómnia vivéndo, et parátum ad patiéndum advérsa quaeque, vel étiam ad moriéndum pro ea quam praedicábant veritáte, ánimum habéndo. Credidérunt nonnúlli, et baptizabántrur, mirántes simplicitátem innocéntis vitae, ac dulcédimen doctrinae eórum caeléstis.

At ubi rex étiam inter álios delectátus vita mundissima sanctórum, et promissis eórum suavissimis, quae vera esse miraculórum quoque multórum ostensione firmáverant, credens baptizátus est, coepére plures ad audiéndum verbum conflúere, ac relicto gentilitatis ritu, unitati se sanctae Christi Ecclésiae credéndo sociáre. Quórum fidei et conver-sióni ita congratulátus esse rex perhibétur, ut nullum tamen cogeret ad Christianismum; sed tantúmodo credéntes arctiori dilectione, quasi concives sibi regni caeléstis, amplectaréatur.

Responsorium

1 Th 1, 8; Gal 4, 19

R. Cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei sed étiam áimas nostras: * Quóniam caríssimi nobis facti estis (T.P. allelúa).

y. Filioli mei, quos iterum partúrio, donec formétur Christus in vobis. * Quóniam caríssimi.

Ad Laudes matutinasHymnus

1. Fecúnda sanctis insula
tuum canas apóstolum,
et filium Gregórii
laudes piis concéntibus.

4. Crucis tropaéum prómicat,
verbum salútis spárgitur
fidem quin ipse bárbarus
rex corde prompto súscipit.

2. Eius labóre fétilis,
messem dedisti plúrimam,
quae sánctitas flóribus
diu refúlges inclita.

5. Pastor fidéles próvidus
a sede pascat siderum;
in matris ulnas ánxiae
omnes redúcatur dévios.

3. Turma quadragenária
stipátus intrat Angliam,
vexilla Christi próferens,
dux pacis affert pignora.

6. Praestet beáta Trinitas,
quae rore iugi grátiae
vitam rigat, ut vivida
fides ubique flóreat. Amen.

Ad Benedictus, ant. Dux pácifer Augustinus cum beáto sanctórum choro, eláto crucis Dómini triumphali vexillo, ingrediebátur civitátem (T.P. allelúa). vi T. SAM 954

Oratio

Deus, qui beátum Augustini episcopi praedicatione Anglorum gentes ad Evangélium perduxisti, tribue, quaésumus, ut eius labórum fructus in Ecclésia tua perénni fecundítate persistant. Per Dóminum.

Ad VesperasHymnus ut ad Laudes matutinas.

Ad Magnificat, ant. Praeco verbi salutáris, Augustine, fidei doctor et nuntius: résponce de caelo, et visita vineam quam plantávit déxtera tua (T.P. allelúa). i T. SAM 956

Die 5 iuniiS. BONIFATII, episcopi et martyrisMemoria

In Anglia natus est circa annum 673; monasticam vitam professus in monasterio Exeterensi, anno 719 in Germaniam profectus est ad fidem praedicandam, in quo ministerio magnos collegit fructus. Episcopus consecratus, Ecclesiam Moguntinam (Mainz) rexerit, socios sibi adscivit, quorum opera plures fundavit vel instauravit Ecclesiastas in Bavaria, Thuringia et Franconia, concilia etiam celebrans et leges promulgans. Dum Frisones evangelizabant, ab ethnicis occisis est anno 754, eiusque corpus in monasterio Fuldensi depositum est.

De Communi unius martyris vel pastorum.

Ad Vigilias

Lectio altera

Ex Epistolis sancti Bonifatii episcopi et martyris
(Ep. 78: MGH, Epistolae, 3, 352. 354)

Pastor sollicitus, vigilans super gregem Christi

Ecclésia, quae velut navis magna per mare mundi huius enávigate, quae diuersis tentatiónum flúctibus in hac vita tunditur, non est relinquenda, sed regénda.

Cuius rei in exemplo priores patres habémus Cleméntem et Cornélium et céteros complures in urbe Roma, Cypriánum in Carthágine, Athanásium in Alexandria, qui sub pagánis imperatóribus navem Christi, immo carissimam sponsam eius, Ecclésiam scilicet, docéndo, defendéndo, laborando et patiendo usque ad sanguinis effusiónem, gubernábant.

Horum et his similius consideratióne pertérritus sum, et "timor et tremor venérunt super me, et paene contexérunt me" peccatórum meórum "ténebrae", et semel suscéptum gubernáculum Ecclésiae libuisset et placuisset mihi omnino dimittere, si valérem vel exémpla Patrum vel Scriptúras sacras consentáneas invenire.

Idcirco, quia haec ómnia ita se habent et véritas fatigári potest, vinci autem et falli non potest, fatigáta mens nostra confúgiat ad illum qui per Salomónem dicit: "Habe fiduciam in Dómino ex toto corde tuo et ne innitáris prudéntiae tuae. In ómnibus viis tuis cōgita illum, et ipse diriget gressus tuos". Et álibi: "Turris fortissima nomen Dómini. Ad ipsam cōfugit iustus et salvabitur".

Stemus in iustitia et praeparémus ánimas nostras ad tentatiómem, ut sustineámus sustentatiómem Dei, et dicámus ei: "Dómine, refúgium factus es nobis a generatióne et progénie".

Confidámus in eum, qui nobis onus impósuit. Quod per nos portáre non póssumus, portémus per illum qui est omnipotens, qui dicit: "Iugum enim meum suáve est, et onus meum leve".

Stemus in proélío in die Dómini, quia "dies angústiae et tribulatiónis" venérunt super nos. "Moriámur", si Deus voluerit, "pro sanctis légitibus patrum nostrórum", ut hereditátem cum illis aeternam cónsequi mereámur.

Non simus canes muti, non simus taciti speculátóres, non simus mercenárii lupum fugiéntes, sed pastóres solliciti, vigilantes super gregem Christi, praedicantes maióri et minóri, díviti et páuperi, omne consilium Dei, ómnibus grádibus vel aetátibus, in quantum Deus donáverit posse, opportúne, importúne, eo modo quo sanctus Gregórius in libro Pastoráli conscripsit.

Responsorium

1 Th 1, 8; Gal 4, 19

R. Cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, * Quóniam caríssimi nobis facti estis (T.P. allelúa).

y. Filioli mei, quos iterum partúrio, donec formétetur Christus in vobis. * Quóniam caríssimi.

vel

E Vita sancti Bonifatii episcopi et mártiris
(Acta Sanctorum, Iun. tomus I, 473-475)

Beatus Bonifatius didicit per Spiritus Sancti gratiam felicis martyri se subire debere victoriam

Postquam gens Anglórum inclita, per sancti Gregórii Románi Pontificis dógmatá, Christiání nómínis percéperat fidem, eiúdem gentis quamplúrimi, divini amóris in tantum accénsi sunt igne salúbri, ut non solum huius mundi divitias contémnerent, verum étiam paréntes patriámque relinquerent. De quórum númeró fuit quidam vir, nómíne Vinfrid, ab ipsis cunábulis Deo devótus, nobilique prosápia Anglórum oriündus, qui, iuxta vocem Dominicam, pro Dei amóre postpásitis ómnibus, aetérnae vitae praémia largíturum, non minus ópere quam fide, secútus est Christum.

Peragrátis autem illius regni finibus, procellósi maris pervénit ad litus. Illic quoque navem concéndens, undósa vada transmeávit; et exinde proféctus, óstia Rheni subiit. Sanctus Willibrordus episcopus huius regiónis, salutáribus étenim móntis eum exhortári coéperat, ut sibi fautor ad opus Evangélíi existeret, et ut collátis ambórum stúdiis gentem Fresónicam ab antiqui hostis emancipárent obséquio, et Christi subiugárent império. Cuius salúbri consilio ac patérnae iam admonitiónis praecépto sanctus vir conféstim devótus obtémperat.

Deinde perréxit ad Thuringas et Hessos: Evangélici sermónis dógma te, sanctóque Spiritu suffragánte, mores illórum mutávit, et sic strénué opus Dómini quod coéperat implévit. Domnus Gregórius papa secúndus illum archiepiscopum ordinávit, noménque illi propter sua bona ópera Bonifatius impósuit. Sanctus vero Bonifatius martyre futurus, verbum Dei per Thuringiam et Hessórum regiónem fiduciáliter praedicávit.

Metropolitáne civitátis Moguntinae archiepiscopus factus, circa se cernens paucos esse divini verbi propagatóres, velut prudens médicus cópiam collégit herbárum ut vúlnera sanet aegrotántium. Alios étenim ex gente sua, álios ex parte Fránciae, nonnúllos étiam de finibus Hi-

bérniae, quátenus adéssent sibi cooperatóres in víneam Dómini, elégit. Post haec autem non multis transáctis annórum curriculis, cónsigit beáto Bonifátio relátu didicisse, sanctum Willibródi ex hac peregrinátióne ad caeléstem pátriam óbitu felici migrásse; et adhibitis sibi aliquántis frátribus navim concéndens, Traiéctum usque pervénit. Man-sit autem longum tempus in eódem episcopátu, divini verbi pábula crudéli Fresónum affátim subministrans pópulo, ac rudiménta fidei, quae ini-tiáta fúerant a sancto Willibrórdo, sanctae praedicationis confirmans munitione.

Cum autem beáto pontifice Bonifátio martyrique futúro, suae pere-grinatiónis imminéret prae-míum, didicit per Spiritus sancti grátiam felícis martyri se subire débere victóriam. Beátus Bonifátius coépit pópulo tumultuánti Christum praedicáre, viámque salútis osténdere. At carnífices cum gládiis et lánceis armáti saevíentes, irruunt in fámulos Dei, eos crúenta morte trucidáentes, et ad terram sine contradiccióne prosternéntes.

Responsorium

2 Tim 4, 7-8; Phil 3, 8-10

R. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi: *
In réliquo repósita est mihi coróna iustitiae (T.P. allelúia).
V. Omnia detriméntum feci ad cognoscéndum Christum, et societátem passiónum illius, configurátus morti eius. * In réliquo.

Ad Laudes matutinasHymnus

1. Sint tibi laudis, Bonifáti, honóres,
qui doces gentes fideique claros
primus osténdis rádios profunda
nocte sepúltis.
2. Omne curárum genus et labórum
sárcinam portas, ad ovile Christi
ut deerrántes revocáre possis
ócius agnos.
3. Dum pius saevo Frisio salútis
trámitem pandis, licet enecátus
tu triumphásti próprio decórus
sanguine martyr.
4. Nulla prostérrnat séries malórum,
nulla nos mergat scéleris procélla;
da tuo, martyr, potiámur astris
róbore fulti.
5. Laus Deo summo sit in ore nostro,
cuius ardénter famulásti honóri,
cuius in caelis simul et canémus
nomen ovéntes. Amen.

Ad Benedictus, ant. Martyr et póntifex Bonifátius, Románae Sedis legá-tus, Germános evangélica luce perfúdit, et Francórum succúrrit Ecclé-siis (T.P. allelúia). viii T. (Hauterive)

Oratio

Sanctus martyr, Dómine, Bonifátius pro nobis intervéntor exsistat, ut fidem, quam ore dócuit et sanguine consignávit, firmiter teneámus, et opéribus profiteámur confidénter. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Hymnus ut ad Laudes matutinas

Ad Magnificat, ant. Sancti Evangélii códicem barbarórum furor gládio penetrávit, ut ad pectus perveniret mártiris, qui occidi pótuit, at non vinci (T.P. allelúia). i T. (Hauterive)

S. NORBERTI, episcopiMemoria ad libitum

Natus est circa annum 1080 in regione Rhenana. Canonicus Eccle-siae Xantensis, a vita mundana conversus, ampléctitur vitam regula-rem et sacerdotio iniciatur anno 1115. Vitam apostolicam aggressus, praedicationis munus suscepit, prae-sertim in Gallia et in Germania. Sociis sibi adscitis, fundamenta iecit Ordinis Praemonstratensis ac nonnulla fundavit monasteria. Archiepiscopus Magdeburgensis electus anno 1126, vitam christianam reformativit et fidem ad gentes ethnicas viciniores extendit. Mortuus est anno 1134.

De Communi pastorum.

Ad VigiliasLectio altera

E vita sancti Norberti episcopi

(Verba virgulís inclusa, deprompta sunt e vita S. Norberti, ab auctore canonico regulari Praemonstratensi aequali conscripta: PL 170, 1262, 1269, 1294, 1295; Litterae Apostolicae ab Innocentio II ad S. Norbertum II non. iun. 1133 sub plumbó datae: Acta Sancto-rum, 21, in Appendix, p. 50)

Magnus inter magnos, et inter parvos exiguis

Norbértus, inter eos mérito computátus qui reformatiōni Grego-

rianae efficácius sese impendérunt, útpote qui primum voluerit clerum institúere, germánae vitae evangélicae simul et apostólicae dicátum, castum et páuperem, qui susciperet "simul novi hóminis induméntum páriter et ornaméntum: illud quidem in hábitu religiónis, istud vero in dignitáte sacerdótii", et intenderet "sanctas Scriptúras sequi et Christum ducem habére". Cui tria commendáre solebat: "circa altáre et divina officia munditiam, excéssum et neglegentiárum in capitulo emendatióne, páuperum curam et hospitalitátem".

Sacerdótibus vero, qui in coenóbio Apostolórum vices gerébant, tam adiúnxit, ad instar Ecclésiae primitivae, credéntium laicórum et feminárum multitudinem, ut plúrimi assérent a tempóribus Apostolórum nullum tam brevi témporis spátio sua institutióne tot perféctae vitae imitatóres Christo acquivisse.

Archiepiscopus factus, confratres suos advocávit ut regiónem Vendórum ad fidem addúcerent; clerum autem suae dioecésis, non obstante tumultu et commotióne pópuli, ad reformationem addúcere est conátus.

Praecipuum dénius eius stúdium fuit ut bonam concordiam inter Sedem Apostólica et Impérium, serváta tamen libertáte electiōnum ecclesiasticarum ita muniret et augéret, ut Innocéntius papa Secundus ei scripsit: "Sedes Apostólica de te, tam dévoto filio, plenis viscéribus gratulántur", imperatórque eum fécerit archicancellárium impérii.

Quae ómnia praéstítit fide omnino intrépida: "In Norbérto éminet fides, aiébant, ut in Bernárdi Claravallensi cáritas"; deinde lepiditáte conversatióne, "quippe qui magnus inter magnos et inter parvos exiguus, ómnibus se amábilem praebéret"; summa demum eloquéntia: "verbum Dei ignitum, urens vitia, ácuens virtutes, benévolas áimas ditans sapientia", contémplans divina assidue meditabáatur et impávide diffúdit.

Responsorium

2 Tim 4, 2 et 5; Act 20, 28

R. Praédica verbum, insta opportúne et importúne; árgue, óbsecra, increpa in omni patientia et doctrina; * In ómnibus labóra, opus fac evangelistae (T.P. allelúia).

V. Atténde univérso gregi, in quo te Spiritus Sanctus pósuit episcopum régere Ecclésiam Dei. * In ómnibus.

vel

E Vita sancti Norbérti fere coaeva
(MGH, Scriptores, XII, 683-684 et 694)

Studuit faciem Ecclesiae suae reformare

Cum singuli singulas super régulam expositiones et interpretatiónes, divérsas opiniónes autumnárent, "Quid mirámini, inquit homo Dei, vel haesitatis, cum univérsae viae Dómini misericórdia sint et véritas? Etsi divérsae, numquid advérsae? Si usus mutátur et institúto, numquid mutári debet caritatis vínculum, quod est diléctio? Régula quidem dicit: Primo diligátur Deus, deinde próximus. Regnum Dei non operátur sola institúto sed véritas et mandatórum Dei observátio".

Erat ergo mens eórum qui ab initio collécti sunt, sic effécta ut de corporálibus cura et sollicitúdo vix áliqua esset, univérsum vero stúdium ad spirituália contúlerant, Scriptúras divinas sequi et Chri-stum ducem habére. Nam et pater Norbértus exhortabátur eos, ásserens eos numquam exorbitáre posse qui secum vellent remanére, si professi-rem suam secúndum evangélia et dicta Apostolórum et propósitum sancti Augustini, quod proféssi fúerant, ópere complérent.

Vóluit quidem praefátus pater, ut fratres sui corpus ieíuniis mace-rárent, mentem omnimoda humilitáte reprimerent. In sanctuário vero et ubicúmque divina sacraménta tractánda fúerant vel celebránda, propter mundiciam et multimodam honestátem, lineis uti vóluit, id quod omni témpore fieri decrevit. Commendábat étiam saepius tria observánda, scilicet: in altári namque exhibet quisque fidem et dilectionem Dei; in conscientiae purificationem curam sui; in hóspitum et páuperum suscep-tiōne, dilectionem próximi.

Constánter equidem asserébat nullam umquam domum posse égere supra id quod possit sustinére quae haec tria sollicite studérit observáre. Consecrátus episcopus domus suae fidélis dispensátor esse coepit; pro nómine Dómini non dubitávit contumélias pati. Unde opportúne et importúne arguéndo, increpándo, obsecrando stúduit faciem Ecclésiae suae reformáre tam spirituálibus quam corporálibus increméntis.

Responsorium

1 Cor 4, 1-2; Prov 20, 6

R. Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatóres mysteriów Dei: * Hic iam quaéritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniáatur (T.P. allelúia).

V. Multi hómines misericórdes vocántur, virum autem fidélem quis invéniet? * Hic iam.

Ad Laudes matutinas

Hymnus

- | | |
|--|--|
| <p>1. Clare præsul, o Norbérte,
vota nostra súscipe,
et in sédibus beatís
tuos fac quiéscere:
caeli gáudiis potitus
nos terrénis éripe.</p> | <p>3. Die cándidus illúxit,
quo Redémptor ómnium,
tibi iustas redi vices
tot labórum vóluit,
atque demum inter cives
te locávit caélitum.</p> |
| <p>2. O fidélis cultor Dei,
testis Christi sédulus,
solers vindex veritatis,
albi splendor Agminis,
victor es cupiditatum,
bino clarus stemmate.</p> | <p>4. Ter beatús iste dies,
cunctis et optábilis,
quo Norbértus, præsul sanctus,
redimitus láurea,
ante thronum summi Regis
gloriósus assidet.</p> |

5. Est adiunctus patriarcha
choris apostolicis:
semper nituit, ut lampas
in obscuris tenebris:
fraudes hostis atque technas,
suis vincit meritis.

6. Christe, virtus, splendor Patris,
nos gementes aspice;
et Norberti tui gregem,
alme Pastor dirige,
ut ducatur ad amoena
caeli tandem pascua. Amen.

Ex Hymnario Ordinis Praemonstratensis

Ad Benedictus, ant. Norbertus lucerna ardens super candelabrum positus, omnibus, qui in domo erant, lucebat (T.P. alleluia). Prop. Ord. Praem.

Oratio

Deus, qui beatum Norbertum episcopum Ecclesiae tuae oratione ac pastorali zelo ministrum eximium effecisti, praesta, quae sumus, ut, eius interveniente suffragio, fidelium grex pastores iuxta cor tuum et salutaria pascua semper inveneriat. Per Dominum.

Ad Vesperas

Hymnus ut ad Laudes matutinas.

Ad Magnificat, ant. Vir Dei, suae paupertatis Praemonstrata domo religiose aedificata, et canonicu suo ordine constituto, archiepiscopus factus, maiorem tribulationem invenerit; et patrocinio suo sanctae Romanae Ecclesiae afflictae praestito, benedicens fratribus, feliciter in Christo obdormivit (T.P. alleluia). Prop. Ord. Praem.

Die 12 iunii

S. ALEYDIS DE SCHARBEKE, virginis O. N.

Memoria ad libitum

Aleydis de Scharbeke septennis asceterium Cisterciense Cameræ B. M. V. apud Bruxellas intravit. Viginti duos annos nata lepra affecta in cella ad ecclesiam aedificata vitam reclusae gerere coacta est. Lumine etiam orbata ultimis vitae annis ne mumbrum quidem sanum ei remanserat nisi lingua ad canendas Dei laudes. In asceterio Cameræ die 11 iunii anni 1249 mortua est.

De Communi virginum, vel sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monialium.

Ad Vigilias

Lectio altera

E Vita sanctae Aléydis auctore aevi eiusdem cisterciensi
(Acta Sanctorum, Iun. tomus II, 472-477)

In omni tribulatione ad pectus Christi convolavit

Expléto cursus vitae sue septennio, in quo sub parentum custódia servabatur, relicta pompa saeculári, Aléydis monastérium quod dicitur Cámara S. Mariae feliciter ingrésa est; ibique trádita litterálibus stúdiis, non solum coaetáneis, sed etiam annis maturioribus, lumine verae sapiéntiae désuper infuso, in brevi praepollébat. Volens igitur aedificio suo stábile ac firmum fundaméntum collocáre, próvida circumspectiōne humilitatē pro fundamēnto sibi vindicávit. Pósito itaque fundamēnto, non mediocria aedificia superaedificare studébat, sed intellegens ex Scriptura, timórem Domini fore initium sapiéntiae, recta rationis indagatiōne ipsum humilitati applicáre nitebáatur.

Volens autem Deus electiōnis suae vas futūrum, ab omni strépitu temporali et inquinamēto huius saeculi penitus purgari, non tamen ob alicuius criminis culpam vel vindictam, sed causa visitatiōnis et more sponsi, sponsae suae arrham tribuētis in signum perfectae dilectionis, ut soli Deo libérius posset vacare, et intra cubiculum mentis suae, quasi in thálamo secum morari, et suavitate odoris sui sponsam suam cùpiens inebriari, morbo incurabili, paucis desiderabili, lepra, videlicet, ipsam gráviter percussit. Prima siquidem nocte sequestratiōnis suae a convéntu, tanto dolore animi est afflictā, tam gravi cordis vulnere est collissa, quod mentis consternatiōne compulsa est subiacere pro spiritu defectiōne. Cum autem multis iam didicisset experimētis refugere ad divinum portum securissimum, in omni tribulatiōne atque angustia, depressione atque inédia, more párvuli causa sugéndi matris ubera, ad pectus Christi convolavit, et ad eius vulnera.

Cum autem domus, quae propter singularem ipsius infirmitatē illi spacialiter fuerat deputata, esset consummata, prima die ingressiōnis ipsius in eadē domo appáruit ei Dominus, stans expánsis brachiis in medio domus; suscepitque eam in ulnas suas cum ampléxu, et dixit: Bene venisti, carissima filia; bene vénaris, diu desiderata, in isto foederis mei tabernáculo; quādiu degueris in hoc corpore, tecum manébo.

Témpore finis exilii sui iam appropinquante, horrénda infirmitas totum corpus eius occupavit, nam a planta pedis usque ad vérticem, non erat in ea sánitas. Lumine privata oculorum, erat anima eius quasi amicta Deitatem, et in divinis ampléxibus semper comprehensa. Nullum membrum quietum, nullum ab infirmitate imposséssum retinébat, nisi sola lingua, qua sine intermissione, quādiu poterat, Deo laudes decantabat.

Circa tandem aurora, in festo sancti Barnabae apóstoli, quasi dormiens et requiéscens, in lectulo suo recumbébat; et in ortu solis leni flatu emisit spiritum.

Responsorium

R. Cóncupit Rex spéciem tuam, quam ipse fecit; Deu tuus est, Rex tuus est; * Rex tuus et ipse est sponsus tuus (T.P. alleluia).

V. Regi nubis Deo, ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redémpta, ab illo sancta. * Rex tuus.

5. Est adiunctus r
choris apostolus
semper natus
in obscurum lavavit
fraude suis
Ex lumen generalibus dicitur
lumine custodia
127

árum sancti Aelrédi abbatis Rievallensis
nia, CC CM, vol. 1, 650-651)

laude virginitatis

bonum propósum tuum ipsi, qui inspirávit,
comménda, intentissima oratióne depóscens,
per natúram, fácile sentiátur per grátiam.
íosum thesáurum in quam frágili portes vá-
iam glóriam, quam corónam, virginitas ser-
insuper poenam, quam confusióne, quam damnatio-
nem importet amissa, in desinénter ánimo revólve.

Quid hoc pretiósius thesáuro, quo caelum émitur, ángelus delectá-
tur, cuius Christus ipse cúpidus est, quo illicitur ad amándum et pro-
vocátur ad praestándum. Quid? Audeo dicere: seipsum, et ómnia sua.
Itaque nardus virginitatis tuae étiam in caeléstibus dans odórem suum,
facit ut concupiscat rex decórem tuum et ipse est Dóminus Deus tuus.
Vide qualem tibi sponsum élégeris, qualem ad te amicum asciveris. Ipse
est "speciosus forma pree filiis hóminum", speciosior étiam sole, et
super omnem stellárum pulchritúdinem. "Spiritus eius super mel dulcis,
et heréditas eius super mel et favum". Longitúdo diérum in déxtera
eius, in sinistra eius, divitiae et glória.

Ipse te iam elegit in sponsam, sed non coronábit nisi probátam.
Et dicit Scriptúra: "Qui non est tentátus, non est probátus". Virginis-
tas aurum est, cella fornax, conflátor diábolas, ignis tentatio. Caro
virginis, vas lúteum est, in quo aurum recónditur, ut probétur. Quod
si igne vehementiōri crepúerit, aurum effundit, nec vas ultérius a
quólibet artifice reparártur.

Cógitet sine intermissione ad cuius ornátur thálamum, ad cuius
praeparátur ampléxum. Propónat sibi agnum, quem sequi habet quocúmque
ierit. Contemplétur beatissimam Mariam cum virginitatis týmpano choros
virginum paececentem et paececentem dulce illud canticum, quod nemo
potest cárere nisi utriúsque sexus vírgines.

Cógitet semper virgo ómnia sua membra sanctificáta Deo, incorporáta
Christo, Spiritui Sancto dedicáta. Ita proinde in virginitatis suae
custódiam totum ánimum tendat, cogitationes expéndat, ut virtútis huius
perfectionem esúriens, famem delicias putet, divítias paupertátem. In
cibo, in potu, in somno, in sermóne, semper timeat dispéndium castitá-
tis, ne si plus débito carni reddiderit, vires paebeat adversário,
et occultum nūtriat hostem.

Responsorium

R. O quam pulchra es, virgo Christi, * Quae corónam Dómini digna
fuisti accipere, corónam perpétuae virginitatis (T.P. alle-
lúia).

V. Non pótteris a virginitatis palma seduci, nec ab amore Filii
Dei separári. * Quae corónam.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Libénter gloriábor in infirmitáibus meis, ut in-
hábitet in me virtus Christi (T.P. allelúia). viii T. AC2 314

Oratio

Deus, qui beátae Aléydi vírgini morbos gravíssimos pro Christi amó-
re patiénter perférre tribuisti, eius intercessióne concéde, ut qui
dolóribus premúntur, et inter eos qui beáti praedicántur se séntiant
electos, et Christo pro mundi salúte patiénti se sciant unitos. Per
Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum
multum, allelúia. vii T. AC2 33*

Die 14 iunii

S. GERARDI, monachi O. N.

Memoria ad libitum

Gerardus frater S. P. N. Bernardi, eum Cistercium postea Clá-
ramvallem secutus, eius cellarius providus et devotus fuit. In
laetitia cordis ad Patrem transiit psalmum 148 canendo. Abbas Clá-
raevallis in Capitulo sermonem in Cantica Canticorum (ser. 26) ha-
bens, vehementer lacrimatus miris laudibus eum praedicavit. Gerar-
dus die 13 iunii anni 1138 in Claravalle obiit.

De Communi sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad Vigilias

Lectio altera

Ex Sermónibus sancti Bernárdi abbatis Claraevallensis
super Cántica Canticórum
(Sermo 26, Opera omnia, Edit. Cist. I, 172-177)

Fidus comes deseruit me in via hac

Scitis, o filii, quam intus sit dolor meus, quam dolénda plaga mea.
Cérritis nempe quam fidus comes deseruit me in via hac quam ambulábam,
quam vigil ad curam, quam non segnis ad opus, quam suávis ad mores.
Quis ita mihi pernecessárius? Cui ego aeque diléctus? Frater erat géne-

vel

Ex Institutione Inclusarum sancti Aelredi abbatis Rievallensis
(Opera omnia, CC CM, vol. 1, 650-651)

De laude virginitatis

Primum igitur, o virgo, bonum propositorum tuum ipsi, qui inspiravit, cum summa cordis devotione commendata, intentissima oratione deposcens, ut quod tibi impossibile est per naturam, facile sentiat per gratiam.

Cogita semper quam pretiosum thesaurum in quam fragili portes masculo, et quam mercudem, quam gloriam, quam coronam, virginitas servata ministret; quam insuper poenam, quam confusionem, quam damnationem importet amissa, indesinenter animo revolve.

Quid hoc pretiosius thesauro, quo caelum emitur, angelus delectatur, cuius Christus ipse cupido est, quo illicitur ad amandum et provocatur ad praestandum. Quid? Audeo dicere: seipsum, et omnia sua. Itaque nardus virginitatis tuae etiam in caelostibus dans odorem suum, facit ut concupiscat rex decorem tuum et ipse est Dominus Deus tuus. Vide qualem tibi sponsum elegeris, qualem ad te amicum asciveris. Ipse est "speciosus forma pae filiis hominum", speciosior etiam sole, et super omnem stellarum pulchritudinem. "Spiritus eius super mel dulcis, et hereditas eius super mel et favum". Longitudo diorum in dextera eius, in sinistra eius, divitiae et gloria.

Ipse te iam elegit in sponsam, sed non coronabit nisi probatum. Et dicit Scriptura: "Qui non est tentatus, non est probatus". Virginitas aurum est, cella fornax, conflator diabolus, ignis tentatio. Caro virginis, vas luteum est, in quo aurum recunditur, ut probetur. Quod si igne vehementiori crepuerit, aurum effunditur, nec vas ultius a quolibet artifice reparatur.

Cogitet sine intermissione ad cuius ornatur thalamum, ad cuius preparatur amplenum. Proponat sibi agnum, quem sequi habet quocumque ierit. Contempletur beatissimam Mariam cum virginitatis tympano choros virginum praecedentem et praecinentem dulce illud canticum, quod nemo potest canere nisi utriusque sexus virgines.

Cogitet semper virgo omnia sua membra sanctificata Deo, incorporata Christo, Spiritui Sancto dedicata. Ita proinde in virginitatis suae custodiad totum animum tendat, cogitationes expendat, ut virtutis huius perfectionem esuriens, famem delicias putet, divitias paupertatem. In cibo, in potu, in somno, in sermone, semper timeat dispendum castitatis, ne si plus debito carni reddiderit, vires prebeat adversario, et occultum nutriat hostem.

Responsorium

R. O quam pulchra es, virgo Christi, * Quae coronam Domini digna fuisti accipere, coronam perpetuae virginitatis (T.P. alleluia).

V. Non poteris a virginitatis palma seduci, nec ab amore Filii Dei separari. * Quae coronam.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabet in me virtus Christi (T.P. alleluia). viii T. AC2 314

Oratio

Deus, qui beatae Aledyi virginis gravissimos pro Christi amore patenter perferre tribuisti, eius intercessione concede, ut qui doloribus premuntur, et inter eos qui beatam praedicant se sentiant electos, et Christo pro mundi salute patienti se sciant unitos. Per Dominum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia. vii T. AC2 33*

Die 14 iuniiS. GERARDI, monachi O. N.Memoria ad libitum

Gerardus frater S. P. N. Bernardi, eum Cistercium postea Claramvallem secutus, eius cellararius providus et devotus fuit. In laetitia cordis ad Patrem transiit psalmum 148 canendo. Abbas Claraevallis in Capitulo sermonem in Cantica Canticorum (ser. 26) habens, vehementer lacrimatus miris laudibus eum praedicavit. Gerardus die 13 iunii anni 1138 in Claravalle obiit.

De Communi sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad VigiliasLectio altera

Ex Sermibus sancti Bernardi abbatis Claraevallensis
super Cantica Canticorum
(Sermo 26, Opera omnia, Edit. Cist. I, 172-177)

Fidus comes deseruit me in via hac

Scitis, o filii, quam intus sit dolor meus, quam dolenda plaga mea. Cernitis nempe quam fidus comes deseruit me in via hac quam ambulabam, quam vigil ad curam, quam non segnis ad opus, quam suavis ad mores. Quis ita mihi pernecessarius? Cui ego aequa dilectus? Frater erat gene-

re, sed religione germanior. Doléte, quaeso, vicem meam vos, quibus haec nota sunt. Infirmitus corpore eram, et ille portabat me; pusillus corde eram, et confortabat me; piger et negligens, et excitabat me; impróvidus et obliviósus, et commonébat me.

Quo mihi avúlsus est? Quo mihi raptus e mánibus, homo unánimis, homo secúndum cor meum? Amávimus nos in vita: quómodo in morte sumus separati? Amaríssima separatio, et quam non posset omnino efficere, nisi mors! Quando enim me vivus vivum deséreres? Nonne tuum, Girárde, pectus curae meae nótius quam meum ipsius habébant, familiárius incurvabant, ácrius urgébant? Nonne in lingua illa tua placábili et poténti, meam a sermónibus saéculi frequentissime vindicábas, amico reddébas siléntio? Dóminus déderat illi linguam eruditam, ut sciret quando debéret proférre sermónem.

Ita déniue in prudéntia responsórum suórum et in grátia data sibi désuper, et domésticis satisfaciébat et exteris, ut paene me nemo re quireret, cui prior forte Girárdus occurrisset. Occurrébat autem adven tántibus, oppónens se, ne súbito meum óstium incursárent. Si quibus sane satisfácere per se non quibat, hos perducébat ad me, céteros emit tébat. O virum indústrium! O amicum fidélem! Et amico gerébat morem, et officiis caritatis non déerat. Quis vacua recéssit ab eo manu? Si dives consilium, si pauper subsídium reportábat. Nec quaerébat quae sua sunt, qui se médiis ingerébat curis, ut ego vacárem. Sperábat enim, sicut erat humillimus, maiórem de nostra quiete fructum, quam si vacáret ipse.


Sed quid dixi foris agéntem illum, quasi intérna Girárdus nesciret ac spirituálum expers esset donórum? Norunt, qui illum norunt spirituáles, quam verba eius spiritum redolérent. Quis illo rigidior in custódia disciplinae? Quis in castigando corpus suum districtior, suspén sior in contemplando, subtilior in disserendo? Quótiens cum eo disse renс ea dí dici quae nesciébam, et qui doctúrus advéneram, doctus magis abscéssi! Non cognovit litteratúram, sed hábuit litterárum inventórem sensum, hábuit et illuminántem Spíritum. Nec in máximis tantum, sed et in minimis máximus erat.

Utinam non te amiserim, sed praemiserim! Utinam vel tarde aliquando sequar te quocúmque ieris! Non enim dúbium, quin ad illos ieris, quos circa médium extrémæ noctis tuae invitábas ad laudem, cum in vultu et voce exsultationis súbito erupisti in illud Davidicum, stupéntibus qui astabant: "Laudáte Dóminum de caelis, laudáte eum in excélsis". Accitus sum ego ad id miráculi: vidére hóminem in morte exsultántem et insultántem morti. "Ubi est, mors, victória tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?". Iam non stimulus, sed iúbilus. Iam cantando móritur homo, et moriendo cantat.

Mt 25, 21. 20

Responsorium

R. Euge, serve bone et fidélis. Super pauca fuisti fidélis; supra multa te constituam: * Intra in gáudium Dómini tui.
y. Dómine, quinque talénta tradidisti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum. * Intra in gáudium.

vel

Ex Exordio Magno Ordinis Cisterciensis

(Dist. III, Edit. Cist. 1961, 1153-154)

De prestiosa morte venerabilis viri Gerardi

Gerárdus coépit viribus cóporis repénte destitui paulatimque ad exitum appropinquare, qui occupatióne quidem Marthae pro officio sibi iniúncto patiénter sustinuerat, sed vacatióne Mariae toto mentis conámine ampléxus fúerat. Sétiens itaque se certissime migratúrum et de laboriósis huius saéculi curis ad aetérnae beatitúdinis réquiem transi tūrum, ubi vacáre incipiens gustáret et vidéret, quóniam suávis est Dóminus, ut comprobáret nequáquam se carnáli seu saeculári álico desiderio in officio suo deténtum fuisse, elevatis in caelum oculis: Deus, inquit, tu scis, quod, quantum in me fuit, semper optávi quietem, intendere mihi, vacáre tibi. Sed implicitum tenuit me amor tuus et voluntas fratrum et stúdium oboediéndi, super ómnia vero abbátis páriter et fratris mei germána diléctio.

Circa médium vero noctis, quam últimam cum miseris mortálibus egit, mirum in modum exhilaráto vultu in voce exsultationis súbito erúpit in illum Davidicum stupéntibus, qui assistébant: Laudáte Dóminum de caelis, laudáte eum in excélsis. Iam enim huic beáto viro nocte adhuc média diescébat et última nox ipsius sicut dies illuminábitur, prorsus illa nox illuminatio ipsius in deliciis aeterni lúminis, quod est Christus Dóminus. Quómodo enim tenebrae non vertuntur in lucem, ubi cantando móritur homo et moriendo cantat?

Fratres itaque, qui áderant, tanti novitáte miráculi attóniti cùcurrere citius dilécto fratri ipsius sancto Bernárdō hóminem in morte exsultántem et insultántem morti nuntiántes. Qui cum débilis et infirmus accélerans venisset, extréma iam psalmi, quem cantábat, ipso audiénte clara voce complévit. Et suscipiens in caelum ait: Pater, in manus tuas comméndo spíritum meum.

Sic sancta illa ánima in iúbilo et exsultatione spiritális gáudii carne solúta et hymnidicis angelórum choris admixta tanto liberióri volátu sidéreas petit mansiónes, quanto suum nil in ea malignórum catérra spirituum invenire pótterat. Fúneri eius sanctus abbas et frater ipsius débitum commendationis et exequiarum officium dulcissima mentis affectione devóte impéndit, cum tamen áliis fléntibus ipse non fleret, sed erúmpere gestientes lácrimas magna fidei constántia castigáret, ne quasi mórtuum plángere et flere viderétur illum, quem de morte sua in aeterna vita et glória sempitérna natum esse non dubitábat.

Responsorium

Ps 54 (55) 7-8; 1 Io 2, 17

R. Quis dabit mihi pennas sicut colúmbae, et volábo, et requiéscam? * Ecce elongábo fúgiens, et manébo in solitúdine.
y. Mundus transit et concupiscéntia eius; qui autem facit voluntátem Dei, manet in aeternum. * Ecce elongábo.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Circa médium extrémiae noctis sua, laetabundus et laudans, beatus Gerárdus in vultu et voce exultationis cantavit Laudáte Dóminum de caelis, laudáte eum in excélsis. i T. Haute- rive p. 5

Oratio

Deus, qui beatum Gerárdum sancto Bernardo in religione et sanctitá- te ita conglutinasti, ut cor unum in Christo esse viderentur, quaesu- mus, utriusque intervénitu, mentes nostras tibi in caritáte coniúnge, ut omnes simul in spiritus unitáte tibi inservientes in terris, te uno pérfrui mereámur in caelis. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. O virum admirabilem insultantem morti et in morte exultantem, qui cantando móritur et moriendo cantat. viii T. Haute- rive p. 8

Die 16 iunii

S. LUTGARDIS DE AYWIERES, virginis O. N.

Memoria

Lutgardis anno 1182 in civitate Tungrensi prope Limburgum nata est. Anno 1205 electa priorissa asceterii benedictini S. Catharinae apud Turdonopolim, ubi educata fúerat, huius muneri abdicare stan- tuit, ut ad asceterium Acquiriae in Brabantia transiret et monialis cisterciensis fieret. Cum linguam gallicam ediscere non valuisse, solitudinem experta et insuper undecim annos orbata lumine est. Grassante haeresi Albigensium maxime doluit de detimento quod Ecclesiae contingere. Lutgardis prima documenta revelationum SS. Cordis Iesu edidit. Acquiriae in Brabantia anno 1246 e vita mi- gravit.


De Communi virginum, vel sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monialium.

Ad VigiliasLectio altera

E Vita sanctae Lutgárdis a Thoma Cantipráno scripta
(Acta Sanctórum: Iun. IV, 193; 203-204)

Pia Lutgardiis Diléctum perfecte quaesivit

Lutgárdis Sponso suo perféctius adhaérens, sequebatur Agnum quocum-



que iret. Si viam Christi húmilem praedicámus, sequéntem Lutgárdem ita húmilem videas, quam numquam supérbia lacéssit. Si viam paupertatis intúor, ádeo páuperem Lutgárdem intélligas, quod nec quotidiáni panis, quotidie tamen láborans mánibus, alimóniam cogitáret. Si viam Christi in misericórdia et pietate respiciam, misericórdius áliquid Lutgárde in hac vita non vidi. Si viam Christi in tribulatióne denúntiem, fati- gatióne Lutgárdis in ieíuniis et afflictiónibus cágites, quam super omnes nostrae aetátis viros ac mulieres per totam vitam suam duxisse probábitur. Si viam Christi ad glóriam venerámur, Lutgárdem conversatióne in caelis pósitam, ut in praesentiárum vidére est, incomparabili- ter extollámus.

Afficitur pia Lutgárdis cum sponsa in Cánticis, cuius ánima liquefácta est; vulnerátur, lánguet, anhélat, surgit, quaerit per vicos no- vae grátiae Sanctos, et per pláteas testaménti véteris Patriárchas. Páululum istos pertránsiit, quia non longe est ab unoquóque nostrum: invénit quem diligit ánima eius. sublimius ácie mentis dirécta. Ténuit, inquam, eum; ténuit útique et ita ténuit, quod non dimittet eum. Quanto enim quisivit ardéntius, tanto strictius tenet: felix quaerens, sed felicior tenens. Ténuit eum fide, nec dimisit cum mutatione; nunc atem quaesitiónis eius modum triplicem videámus.

Tres léctuli in Cántica Canticorum secúndum statum triplicem in ánima distingúuntur. Primus léctulus comparátur státui paenitentiae, qui est status inchoántium; secúndus, státui pugnae, qui est status proficiéntium; tértius, status vitae contemplativae, qui est status perfectórum.

In primo igitur, hoc est in léctulo paenitentiae, etsi numquam alicuius peccati mortális plaga vulneráta sit, pia tamen Lutgárdis Diléctum perfécte quaesivit; quando secúndum Psalmistam singulis noctibus peccata ignorántiae suae singuláriter planxit, et léctulum conscientiae suae diligentissime lavit, et stratum suum lacrimárum suárum mira ubertáte rigávit.

In secúndo quoque léctulo, qui est pugnae, pia Lutgárdis diléctum quaesivit, quando contra carnem pugnans, mira abstinentia et labore eam subégit; mundum extrémam paupertatē et humilitatē devicit; diábolum remediabilibus lácrimis et oratióne deiécit.

In tértio autem léctulo, qui est quietis, pia Lutgárdis diléctum perfécte quaesivit, quando nec ipsis Angelis innitebatur aut Sanctis, sed in accubitu solius Sponsi per contemplatióne dulciter requiévit. Hic léctulus flóridus dicitur, verna multiplicitatē virtútum, et redolentissima opiniónis suavitatē respersus; et "noster", hoc est Sponsa tantum et sponsae communis; in eo quod dicere potuit: "Diléctus meus mihi et ego illi, qui pásctitur inter lilia".

Responsorium

Ct 5, 2, 4, 9

- R. Ego dórmio, et cor meum vigilat; vox Dilécti mei pulsantis:
* Aperi mihi, soror mea, amica mea, colúmba mea, immaculáta mea.
- V. Vulnerásti Cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti Cor meum.
* Aperi mihi.

vel

E "Meditativis Orationibus" Guliélmi abbatis S. Theodorici
(Meditatio VIII: PL 180, 229-230)

Beati, quos ad cor tuus trahit amplexus

Fúlgurans ómnibus, o sol iustitiae, lumen vultus tui, et veritatis tuae splendórem, sponsam tuam, quaecumque illa est, invitás, dicens: "Osténde mihi fáciem tuam, soror mea". Statimque ánima bonae voluntatis, cui de caelo pax annuntiáatur, qui frater est Christi, cuius ánima soror eius appellátur, sicut est, sic in sancto tuo desiderat apparére tibi, et in lúmine tuo vidére lumen.

Sic, o summa iustitia, misericórdia in te et véritas óbviant sibi, cum véritas humánae iustitiae in ánima iusta humíliter confitétur, et tuae iustitiae véritas in veritáte confiténdi quasi iuste miserétur. Et dum pórrigit illa ósculum iustae confessiónis, tu eam éxcepis in ósculo pacis. Hoc est ósculum sponsi et sponsae, cuius fácies ut digna ósculo pacis. Hoc est ósculum sponsi et sponsae, cuius fácies conspúta est; ut illius invenirétur ósculo tuo, o Dómine, tua fácies conspúta est; ut illius appáreat decóra et speciosa, tua fácies álapis palmárum et arúndinum appáreat decóra et speciosa, tua fácies álapis palmárum et arúndinum oppróictibus facta est lívida; tua in óculis hóminum saturáta est oppróictibus, ut illius pulchra et speciosa appáreat óculis tuis.

Pro meis enim mánibus, Dómine, quae fecérunt quae non debuérunt, tuae manus clavis transfixae sunt; pedes tui pro meis pédibus, óculi tui pro illicito visu meo, aures pro auditu, in mortem obdormiérunt. Láncea militis apértum est latus tuum, ut de impúro corde meo per vulnus tuum aliquando afflueret, quidquid in eo longa labe fúerat incénum igni et suffóssum. Ad últimum mórtuus es, ut ego viverem: sepultus ut ego resúrgerem. Hoc est ósculum dulcédinis tuae ad sponsam tuam: iste est ampléxus dilectionis ad amicam tuam.

Quo autem, Dómine, trahis eos, quos amplécteris et astringis, nisi ad cor tuum? Cor tuum dulce est illud manna divinitatis tuae, quod intus habes, o Iesu, in urna áurea supersapiéntis ánime tuae. Beáti, quos ad eam tuus trahit ampléxus; beáti, quos in abscondito absconditi illius abscondisti, in médio cordis tui, et scápulis tuis obumbrántur a conturbatióne hóminum, nec habent spem, nisi sub pennis tuis protégéntibus et fovéntibus.

Scápulis enim virtutis tuae obumbrántur, qui in abscondito cordis tui absconduntur; suáviter dormiéntes, et dulci exspectatione laetantes inter médios cleros mériti sanctae conscientiae, et exspectationis praeempii promissiónis tuae; non propter pusillanimitátem deficiéntes, vel propter impatiéntiam murmurántes. Sed et qui se dulcius osculántur, mútuo sibi suos spiritus infúndunt: quórum quibúsdam odóribus dulce habent perfundi.

Responsorium

Mt 11, 29-30

R. Tóllite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et húmilius corde; * Et inveniétis réquiem animábus vestris.
y. Iugum meum suáve est, et onus meum leve. * Et inveniétis.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Beáta Christi sponsa Lutgárdis dilecto suo iúgiter adhaerébat, et unus cum illo spiritus erat. v. T. (Propr. Augien.)

Oratio

Deus, qui beátam Lutgárdem virginem ad tuum regnum in hoc saéculo perquiréndum per caritatis perfectae prosecutióne vocásti, concéde, ut, eius intercessióne roboráti, in dilectionis via spiritu gaudéntes progrediámur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Sanctae Lutgárdis verba divini amoris erant iácula: lámpades eius lámpades ignis atque flammárum. ii T. (Propr. Augien.)

Die 19 iunii

S. ROMUALDI, abbatis

Memoria ad libitum

Natus est Ravennae circa medium saeculum X. Vitam eremiticam aggressus, per plures annos terras peragravit, solitudinem quaerens et parvula monasteria aedificans. Contra pravos mores monachorum illius temporis strenue est renisus, dum exercitio virtutum ad perfectionis vitam contendit. Mortuus est circa annum 1027.

De Communi sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad Vigilias

Lectio altera

E Vita sancti Romuálidi a sancto Petro Damiáno conscripta (Cap. 31 et 69: PL 144, 982-983. 1005-1006)

Semetipsum abnegans et Christum sequens

Romuáldus tribus annis in Parentinae civitatis finibus hábitans, in uno monastérium constrúxit et abbátem in eo cum frátribus ordinávit; in duóbus vero inclúsus mansit. Ibi nempe ad magnae perfectionis cùmulum pietas illum divina provéxit, ita ut Sancto afflátus Spiritu et nonnulla ventura prospiceret et multa véteris ac novi Testaménti occulta mystéria rádiis intellegéntiae penetráret.

Frequénter enim tanta illum divinitatis contemplatio rapiébat, ut quasi totus in lácrimas resolutus, aestuante inenarrabili divini amoris ardore, clamaret: Care Iesu, care, mel meum dulce, desiderium ineffabile, dulcedo sanctorum, suavitas angelorum, et cétera huiusmodi. Quae ille Sancto Spiritu dictante in iubilum proferébat, nos humano sensu exprimere non valémus.

Ubicumque autem vir sanctus habitare dispóneret, oratórium cum altari primitus in cellula fáciens, deinde se reclúdens, aditum damnabat.

Post cuncta igitur habitacionum suarum loca, cum iam finem suum imminere conspiceret, tandem ad monastérium quod in Valle de Castro constrúxerat, rediit, ibique propinquantem obitum indubitáner exspectans, cellam sibi cum oratório aedificari, in qua recluderetur, et silentium usque ad mortem servaret, instituit.

Facto itaque reclusorio, cum mens eius in eo esset, ut mox includi debéret, coepit corpus eius magis magisque moléstias ingravescere, et deorsum iam velut non tam languore quam decrepiti longaevitatem sénni declinare. Quadam igitur die coepit paulatim corporis virtute destitui et ingruente moléstia gravius fatigari. Sole itaque iam ad occasum vergente praecipit duobus fratribus qui astabant, ut foras exirent, cellulae post se ianuam clauderent; celebratúri vero sibi matutinos hymnos ad eum dilúculo remearent. Cumque illi de eius fine solliciti velut inviti exirent, non statim ad quiescendum properant, sed ne magistrum obire contingeret anxii, pretiosi thesáuri talentum prope cellulam latentes obsérvant. Aliquádiu igitur commorantes, cum deinceps curiosis auribus atténtius auscultarent, et neque motum corporis, neque sonum vocis audirent, iam quod evénerat veráciter opinantes, impulsa ianua, velociter irrunt, lumen accéndunt, et beata anima in caelum rapta, supinum iacere sanctum cadáver invéniunt. Iacébat itaque velut nectécta tunc caeléstis margarita, in summi póstmodum regis aerarium honorifice reponenda.

Responsorium

Deut 2, 7; 8, 5

R. Benedixit tibi in omni opere manuum tuarum; novit iter tuum, quomodo transieris solitudinem magnam, * Hábitan tecum Dóminus Deus tuus.


V. Sicut erudit filium suum homo, sic erudivit te. * Hábitan tecum.

vel

Ex Sermónibus sancti Bernárdi abbatis Claraevallensis
(In sollemnitate Apostolorum Petri et Pauli 1:
Opera omnia, Edit. Cist. V, 190-191)

Solitarius respicit ad illum qui est super se

Bonam vitam ego puto et mala pati, et bona facere, et sic persevere usque ad mortem. Arbitror autem quod tu, qui in congregatiōne es,



bene vivis, si vivis ordinabiliter, sociabiliter et humiliiter: ordinabiliter tibi, sociabiliter próximo, humiliiter Deo. Ordinabiliter, ut in omni conversatiōne tua sollicitus sis observare vias tuas, et in conspectu Dómini, et in conspectu próximi, cavens et tibi a peccato, et illi a scándalo. Sociabiliter, ut studeas amari et amare, blandente et affabilem exhibere, supportare non solum patiēter, sed et libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum quam cóporum. Humiliter, ut cum haec ómnia feceris, spiritum vanitatis studeas exsufflare, qui ex huiusmodi nasci solet, et quantumcumque illum sénseris, negare omnino consénum.

Sic et in patiendo malum, quóniam triplex est, triplicem providentiam adhibere te opórtet. Est enim quod a te páteris, quod a próximo, quod a Deo. Primum est austéritas paenitentiae, secundum vexatio alienae malitia, tertium flagellum correctionis divinae. In eo quod a te páteris, debes voluntarie sacrificare; quod a próximo, patiēter ferre; quod a Deo, sine murmure et cum gratiarum actione sustinere.

Non sic multi filiorum Adam, qui "erraverunt in solitudine, in inquoso". Erraverunt plane, et errant a via veritatis, qui in solitudinem supérbiae recedentes, socialem vitam habere non volunt, quorum singularitas associari non potest. Non ita errat solitarius ille. de quo sanctus Ieremias ait: "Bonum est viro, cum portáverit iugum ab adolescencia sua. Sedébit solitarius et tacébit, quia levavit se super se".

Illi erraverunt, sed iste sedébit. Semper enim illi errant corde; iste autem non sedet, sed sedébit solitarius, cum habuerit honorem singularitatis, illius videlicet iudicíiae potestatis insigne, quod sancti in terra possidébunt, cum laetitia sempiterna erit eis. Quare? "Quia levavit se super se", id est, cum adolescens esset, et aetatis lúbricae sentiret ardóres, senem induit, relinquens quod erat, assúmens quod non erat. "Levavit", inquit, "se supra se": quia non respicit ad se, sed ad illum qui est super se. "Sedébit" enim, "et tacébit" modo etiam a strépitu diabolicarum suggestiōnum, a strépitu carnalium desideriorum, a strépitu mundi. Felix anima, quae linguas istas non exaudit, áudiatur licet; illa multum felicior, si tamen aliqua est, cui penitus non loquuntur. Haec est sapiētia, quam Apóstolus lóquitur inter perféctos, abscondita in mystério, quam nemo principum saeculi huius cognovit.

Responsorium

Lam 3, 27-28. 26

R. Bonum est viro, cum portáverit iugum ab adulescentia sua. * Sedébit solitarius et sedébit.

V. Bonum est praestolari cum silencio salutare Dómini. * Sedébit solitarius.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Iste cognovit iustitiam, et vidit mirabilia magna, et exoravit Altissimum, et inventus est in numero Sanctorum. iv T. AC2 31*

Oratio

Deus, qui per beátum Romuáldum in Ecclésia tua eremíticam vitam renovásti, concéde, ut nosmetipsos abnegántes et Christum sequéntes, feliciter ad caeléstia regna mereámur ascéndere. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Iste sanctus digne in memóriam véritutur hóminum, qui ad gáudium trássiit angelórum, quia in hac peregrinatióne solo córpore constitútus, cogitatióne et aviditáte, in illa aetérrna pátria, conversátus est. i T. AC2 34*

Die 20 iunii

IN COMMEMORATIONE PARENTUM ET FRATRUM NOSTRORUM DEFUNCTORUM

Omnia ut in Officio Defuctorum, praeter sequentia:

Ad VigiliasLectio prior

1 Cor 15, 35-57

De Epistola prima beáti Pauli Apóstoli ad corinthios

Resurrectio mortuorum et adventus Domini

Fratres: Dicet áliquis: "Quómodo resurgunt mórtui? Quali autem córpore veniunt?". Insipiens! Tu, quod séminas, non vivificátur, nisi prius moriátur; et quod séminas, non corpus, quod futúrum est, séminas, sed nudum granum, ut puta trítici aut alicuíus ceterórum. Deus autem dat illi corpus sicut vóluit, et unicuique séminum próprium corpus.

Non omnis caro eádem caro, sed ália hóminum, ália caro pecórum, ália caro vólucrum, ália autem píscium. Et córpora caeléstia et córpora terréstria, sed ália quidem caeléstium glória, ália autem terréstrium. Alia cláritas solis, ália cláritas lunae et ália cláritas stellárum; stella enim a stella differt in claritaté. Sic et resurréctio mortuórum: semináatur in corruptione, resúrgit in incorruptione; semináatur in ignobilitate, resúrgit in glória; semináatur in infirmitate, resúrgit in virtute; semináatur corpus animále, resúrgit corpus spiritále.

Si est corpus animále, est et spiritále. Sic et scriptum est: "Fíctus est primus homo Adam in ániam vivéntem"; novissimus Adam in Spíritum vivificántem. Sed non prius, quod spiritále est, sed quod animále est; deinde quod spiritále. Primus homo de terra terrénus, secundus homo de caelo. Qualis terrénus, tales et terréni, et qualis caeléstis, tales et caeléstes; et sicut portávimus imáginem terréni, portábimus et imáginem caeléstis. Hoc autem dico, fratres, quóniam caro et sanguis

regnum Dei possidére non possunt, neque corrúptio incorruptélam possidébit.

Ecce mystérium vobis dico: Non omnes quidem dormiémus, sed omnes immutábimur, in moménto, in ictu óculi, in novissima tuba; canet enim, et mórtui suscitabúntur incorrúpti, et nos immutábimur. Opórtet enim corruptibile hoc indúere incorruptélam, et mortálē indúere immortalitatē. Cum autem corruptibile hoc indúerit incorruptélam, et mortálē hoc indúerit immortalitatē, tunc fiet sermo, qui scriptus est: "Absócta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?". Stimulus autem mortis peccátum est, virtus vero peccáti lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Iesum Christum.

Responsorium

Cf. Iob 19, 25. 26. 27

R. Credo quod Redémptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, * Et in carne mea videbo Deum, Salvatórem meum.

V. Quem visúrus sum ego ipse, et non álius; et óculi mei conspectúri sunt. * Et in.

Lectio altera

Ex Sermónibus sancti Aelrédi abbátis Rievallénsis

(In festo S. Benedicti, Sermones inediti, Edit. Cist., 62, 70)

Qui vult coronari, studeat probari

Notum est ómnibus quod nemo sit, qui non velit esse beá tus. Itaque in beatitúdinis appetitu omnes conséntiunt. Diffidunt autem in via, qua ad ipsam beatitúdinem perveniunt. Fructus quidem beatitúdinis dulcis est, quem omnes áppetunt, sed arcta et angústa est via, quae dicit ad vitam, id est, beatitúdinem. Ideo, pauci sunt, qui ingrediúntur per eam. Itaque multi vocáti sed pauci élécti. Cur hoc? "Quia, ut ait Apóstolus, per multas tribulatiónes opórtet nos intráre in regnum Dei", et: "Omnès, qui pie volunt vivere in Christo, persecutióne patiúntur".

Igitur, regnum Dei est beatitúdo, via per quam perveniunt ad regnum, temptationes, tribulatiónes, persecutiónes. Ideo pauci incédunt per eam. Beáti proinde páuperes, beáti lugéntes, beáti esuriéntes et sitiéntes, beáti persecutiónes sustinéntes. Beá tus étiam vir, qui suffert temptationem, non quod horum malórum experiéntia beatitúdo sit, sed quod horum malórum pro nómíne Christi perpessio ad beatitúdinem via sit. "Beá tus enim qui suffert temptationem, quóniam cum probátus fúerit, accipiet corónam vitae". Temptatió ignis est, homo aurum, quod nisi fúerit incéndii excoctione probátum, régio diadémati minus aptum aestimábitur. Qui autem probátus fúerit, accipiet corónam vitae, ipse imperatóris summi insértus corónae.

Haec est itaque certa via, qua ad ipsam, de qua lóquimur, ascendamus virtútem, in qua est mentis tranquillitas, ut sollicitudine cáreat

et corporalia cuncta contemnunt, in carne vivens carnem transcendet, tanto Deo angelisque vicinior quanto ab omni carnis cura liberior. Haec igitur pugna, fratres, ultima omnium est perfectis, quibus insidians et instar colubri tortuosi in ipsum virtutum paradisum irrumpens, accepta beatitudine hominem despoliat et iterum ad vitiorum aerumnas carnalium vitiorum passionum spinas et tribulos redire compellans. Quod si eduxerit Dominus quasi lumen iustitiam tuam et iudicium tuum tamquam meridiem, duplicans tibi gratiae suae diem, et temptationis temperans noctem, et sic de manu omnium inimicorum tuorum eruptus et de manu Sauli cum sancto David, psalmum qui ita inscribitur gratulabunda voce cantabis: "Diligam te, Domine, fortitudo mea," et cetera; tunc experieris quod scriptum est: "Beatus vir qui suffert temptationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitae, quam repromisit Dominus hiis qui diligunt eum".

Responsorium

Iac 1, 12; 2 Tim 4, 7-8

R. Beatus vir, qui suffert temptationem, quia, cum probatus fuerit accipiet coronam vitae. * Quam repromisit diligentibus se.

V. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi iustitiae corona. * Quam repromisit.

Oratio

Omnipotens semperne Deus, vita mortaliuum et exultatio Sanctorum, te supplices exoramus pro famulis et famulabus tuis, ut mortalitatis nexibus expediti, regnum tuum in gloria possideant semperne. Per Dominum.

Die 8 iulii

B. EUGENII III, papae O. N.

Memoria

Bernardus e familia Paganelli Pisis natus, anno 1115 monasterium camaldulense S. Zenonis ingressus, anno 1128 Prior ibi electus est. Ab anno 1135 ad annum 1137 Vicedominus Pisanae civitatis extitit. Monitis S.P.N. Bernardi apprime incitatus anno 1138 Claramvallem ingressus est. Anno 1141 S.P.N. Bernardus eum Abbatem monasterii SS. Vincentii et Anastasii (Trium Fontium) Romae destinavit. Die 15 februarii anno 1145 Pontifex Maximus sub nomine Eugenii III electus temporibus difficillimis Ecclesiae gubernacula suscepit. Sub crucis signo sacrum bellum secundum promovit et a S.P.N. Bernardo librum illum praeclarum "De Consideratione" expedit. Eugenius III primus papa Ordinis nostri Tibure die 8 iulii 1153 obiit.

De Communi pastorum: pro papa.

Ad VigiliasLectio altera

Ex Epistola beati Eugenii papae III ad Capitulum Cisterciense
(Anno 1151: PL 182, 476)

Ad mentis oculum patrum vestrorum instituta reducite

Respicite, filii dilectissimi, ad veteres patres, qui nostrum sacram Ordinem statuerunt; et considerate, qualiter relicto mundo et contemptis omnibus, mortuis mortuos sepelire dimisis, ad solitudinem voluntavissent, unde aliis circa frequens ministerium satagentibus, ipsi ad pedes Iesu cum Maria sederunt, ut tanto uberioris caeleste manna perciperent, quanto longius ab Aegypto descenderent.

Ipsi quidem egressi sunt de terra et de cognatione sua; oblii sunt populum suum et domum patris sui; et quoniam Rex eorum speciem concupivit, crescere fecit eos in gentem magnam, et usque ad extremum terrae propagines eorum extendit, ita quod splendor claritatis eorum universum corpus Ecclesiae illustravit; et Sareptana mulier ad eorum vocem innumerata vada de modo oleo, quod habuerat in lecytho, replievit. Sane illi primitias Spiritus accepérunt, et oleum suavitatis eorum apud nos usque defluit.

Unde cogitandum vobis est attentius et agendum, ut non degeneretis de eorum virtutibus, sed quales fuistis in germe, sitis etiam in virginitate: et qui ex eis vitae semina suscepistis, idem cum eis germe affteratis et fructum. Intuēmini qualiter illi quorum lampades extinguntur, de oleo vestro exoptant accipere, et orationibus desiderant commendari. Et quoniam filii saeculi huius vos retinentes etiam ad regimen sui trahere moliuntur, et de quiete contemplationis et deserti silentio volent vos aliquoties ad occupationes et negotia revocare; ad mentis oculum patrum vestrorum instituta reducite, et propheticum habentes exemplum, eligit magis abiecti esse in domo Dei quam habitare in tentoriis peccatorum.

Et quia nihil habetis quod non accepistis, de Domino in bonitate, de vobis in humilitate sentite, unde illius videamini vestigia sequi, qui ait: "Cum omnia bene feceritis, dicite quia servi inutiles sumus". Si enim genera linguarum, si gratiam sanitatum, si prophetandi scientiam accepistis; si verba vestra meliora sunt, imo fragrantiora unguentis optimis; si mundus reveretur vos, et in odore unguentorum vestrorum currere delectatur; eius opus certum est esse qui ait: "Pater meus usque modo operatur".

Responsorium

Cf. Lc 12, 42

- R. Fidelis namque ac prudens dispensator in magni patris familias domo constitutus erat. * Ut conservis suis in tempore mensuram tritici erogaret.
V. Pro salute et augemento gregis sibi commissi cura per vigili sollicitus erat. * Ut conservis.

vel

Ex Epistola sancti Bernárdi ad Eugénium papam III
(Epist. 238: Opera ómnia, Edit. Cist., VIII, 115-119)

Filius in patrem, pater est mutatus in filium

Auditum est in terra nostra, et célebri sermóne vulgátum verbum hoc, quod factum est de vobis a Dómino. Présseram stilum háctenus, rem tacitus considerábam. Exspectábam enim litteras vestras, et praeveniri a vovis in benedictiónibus dulcédinis. Exspectábam virum fidélem, qui veniret a látere tuo, qui diceret cuncta per órdinem: quid, quómodo, vel quáliter actum esset. Exspectábam si quis forte de filiis meis reverterétur, qui leniret dolórem patris, qui diceret: "Ioseph filius tuus vivit, et ipse domináatur in tota terra Aegýpti".

Hinc est quod litterae istae non sunt voluntátis, sed necessitatis, et amicórum extórtæ précibus, quibus negáre non possum módicum illud quidquid est residuum vitae meae. "Quia tamen semel coepi, lóquar ad Dóminum meum". Iam enim filium dicere non áudeo, quia filius in patrem, pater est mutátus in filium. Qui post me venit, ante me factus est; sed non invideo, quia quod mihi déerat, in eo me habére confido, qui non solum post me, sed étiam per me venit. Nam, si dignáris, quodámmodo per Evangélium ego te génui. "Quae est ergo spes nostra, et gáudium nostrum, et coróna glória? Nonne vos ante Deum?". Dénique "filius sápiens glória est patris". A modo tamen non vocáberis filius, sed "vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominávit". "Haec est mutatio déxterae Excélsi", et multi in mutatione ista gaudébunt.

Nam quemámodum olim Abram in Abraham, Iacob in Israel et, ut de tuis magis praedecessóribus tibi propónam, sicut Simon in Cepham, Saulus in Paulum, sic filius meus Bernárdus in patrem meum Eugénium, laetus prorsus et útili, ut sperámus, translatione promótus est. Dígitus Dei est iste, súscitans "de púlvore egénū et de stércore érigens páuperem, ut sédeat cum principib⁹ et sólum glória téneat".

Súperest ut facta hac mutatione tui, ipsa quoque quae tibi commissa est, Dómini tui sponsa mutétur in mélius, et iam nequáquam Sárai, sed Sara de cétero nominétur. "Intéllege quae dico: dabit enim tibi Dóminus intelléctum". Si amicus sponsi es, ne dixeris diléctam eius principem meam, sed principem, nil tuum in ea vindicans, nisi quod pro ea, si opportúerit, étiam ániam dare debes. Si Christus te misit, aestimábis te non ministrári, sed ministrare venisse, et ministrare non solum substántiam, sed ipsam quoque ániam, sicut praefátus sum.

Responsorium

Mt 16, 18; Ps 47 (48), 9

- R. Dixit Iesus Simóni: Dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam. * Et portas inferi non prævalébunt adversus eam.
y. Deus fundávit eam in aetérnum. * Et portae.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Tu es Petrus, et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam. 7 T. AC2 401

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui beátum Eugénium cuncto pópulo tuo praeesse, ac verbo et exémplo prodésse voluisti, eódem intercedénte, pastóres Ecclésiae tuae cum grégibus sibi commissis custódi et dirige in viam salútis aetérnae. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Dum esset summus Póntifex, terréna non métuit, sed ad caeléstia regna gloriósus migrávit. i T. AC2 27*

Die 11 iuliiSANCTI PATRIS NOSTRI BENEDICTI ABBATIS
Patronis EuropæSollemnitas

Iam inde a saeculo octavo die 11 iulii ut Festum Translationis Reliquiarum S. Benedicti in monasterium Floriniaci celebrata est, (quod anno 673 evenit), ac postea ut secunda Sollemnitas S. Benedicti in monachatu benedictino invaluit. Post Concilium Vaticanum secundum in calendarii liturgici reformatione dies ad totam Ecclesiā ut festivitas praecipua S. Benedicti estensa extensa est. Post evictionem Sancti Patriarchae monachorum ad Patroni Europæ dignitatem, a Paulo papa sexto facta anno 1964, peculiaris momenti habetur.

Ad I VesperasHymnus

1. Gemma caeléstis prætiósa Regis,
norma iustórum, via monachórum,
nos ab immundi, Benedicte, mundi
súbtrahe caeno.

2. Tu solum spernens, cor in astra figens,
cogis herédes fieri paréntes,
vas Deo plenum, reparare fractum
promeruisti.

3. Magnus in parvis eremita membris
vincis aetatem, superas laborem,
arcta districtae rudimenta vitae
fervidus imples.
4. Iure sub blanda spacie columbae
nesciam fellis animam sororis
summa stellati penetrare caeli
culmina cernis.
5. Ipse post clarum referens triumphum,
celsa devicto petis astra mundo:
luce flammantem radiante callem
pallia sternunt.
6. Inde, quos miris regis usque normis,
dulcis et firmes pater et patronus,
lucis ut currant alacres ad aulam
regnaque pacis.
7. Claritas Patri genitaque Proli,
Flamini Sancto decus atque cultus,
gratia quorum tibi tanta laudis
gloria lucet. Amen.

Psalmodia

Ant. 1 Fuit vir vitae venerabilis, gratia Benedictus et nomine, qui ab ipso pueritiae suae tempore cor gerens senile, aetatem moribus transiens, nulli animam voluptati dedit. viii T. ALC 65

Ps 109 (110)

Ant. 2 Beatus vir Benedictus plus appetiit mala mundi perpeti quam laudes; pro Deo laboribus fatigari quam vitae huius favoribus extolli. i T. ALC 80

Ps 112 (113)

Ant. 3 Gloriosus Confessor Domini Benedictus vitam angelicam gerens in terris, speculum bonorum operum factus est mundo: et ideo cum Christo iam sine fine gaudet in caelis. ii T. ALC 66

Ps 146 (147)

Ant. 4 Erat vir Domini Benedictus vultu placido, moribus decoratus angelicis, tantaque circa eum claritas excreverat, ut in terris positus in caelostibus habitaret. iv T. ALC 67

Ps 147 (147)

Ant. 5 Vir Domini Benedictus omnium iustorum spiritu plenus fuit: ipse intercedat pro cunctis monasticae professionis. i T. ALC 68

Cant Ap 11, 17-18; 12, 10b-12a

Lectio brevis

1 Petr 4, 10-11

Unusquisque, sicut accipit donationem, in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratia Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam largitur Deus, ut in omnibus glorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

Responsorium

R. Sanctus Benedictus plus appetiit mala mundi perpeti quam laudes, * Malens pro Deo laboribus fatigari, quam vitae huius favoribus extolli.

V. Divina namque praeventus gratia, magis ac magis ad superna animo spirabat. * Malens pro.

Ad Magnificat, ant. Exsultet omnium turba fidelium pro gloria almi Patris Benedicti: laetentur praecipue caterva monachorum, celebrantes eius sollemnitatem in terris, de cuius societate sancti gaudent in caelis. i T. ALC 71

Preces

Oramus Deum, cui cura est de omnibus, sincera humilitate dicentes:

Populi tui miserere, Domine.

Da ut praecipitis Filii tui oboedientes in eius caritate maneamus,
- et sic fidelibus exemplum praebeamus vitae verae christianae.

Da ut solliciti simus de iis,
- qui monasteria nostra desiderio in vita spirituali proficiendi adeunt.

Adua eos, quibus cura fidelium commissa est,
- ut istos ad piam et fructuosam celebrationem sacrae Eucharistiae inducant.

Voca multos ad vitam religiosam amplectendam
- et da eis, qui iam iniciati sunt, ut in suo proposito firmentur.

Da religiosis, propinquis et benefactoribus nostris defunctis
- gloria caelesti perfici.

Pater noster.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Invitatorium

Ant. Iustus florébit in domo Dómini plantátus; * Exsultémus Dómino nostro in hac praeclara sollemnitate. AC1 241

Ad Vigilias

Hymnus

1. Inter aetérnas súperum corónas,
quas sacro partas cólimus triúmpho,
émicas celsis méritis corúscus,
o Benedicte.
2. Sancta te compsit púerum senéctus,
nil sibi de te ráput volúptas,
áruit mundi tibi flos, ad alta
mente leváto.
3. Hinc fuga lapsus pátriam, paréntes
déseris, férvens némorum colónus;
inde conscribis documénta vitae
pulchra béatae.
4. Ne diu tutus látebras fovéres,
signa te produnt óperum piórum:
spárgitur felix céleri per orbem
fama volátu.
5. Iam docens omnes pópulos subésse
légibus tandem placitisque Christi,
fac tuis cuncti précibus petámus
caélica semper.
6. Cláritas Patri genitaéque Proli,
Flámini Sancto decus atque cultus,
grátia quorum tibi tanta laudis
glória lucet. Amen.

Psalmodia I Nocturni

Ant. 1 Núrsiae provincia exórtus, Romae liberálibus litterárum stúdiis
tráditus a paréntibus fúerat. 8 T. AC1 242

Ps 1.

Ant. 2 Relicta domo, rebúsque patris, soli Deo placére cúpiens,

sanctae conversatiónis hábitum quaesivit. 8 T. AC1 243

Ps 2.

Ant. 3 Huic, dum erénum péteret, Románus mónachus obviávit, qui cum eius desidérium cognovisset, et secrétum tenuit, et adiutorium impén- dit. i T. AC1 248

Ps 5.

Ant. 4 Cumque in specu pósito sumitti panem diábolus conspiceret, iac- távit lápidem, et tintinnábulum fregit. viii T. AC1 249

Ps 8.

Ant. 5 Eléctus a frátribus invitus obtinuit, quod sciénter scivit se illórum móribus convenire non posse. 7 T. AC2 347

Ps 14 (15).

Ant. 6 Cumque sibi conspicerent illicita non licére, assuéta relinque- re, conáti sunt de eius morte tractáre. 7 T. AC2 348.

Ps 15 (16).

y. Apértis óculis nostris ad deificum lumen.

R. Attónitis áuribus audiámus divinam admonéntem.

Lectio prima

Eph 4, 1-7. 11-24

De Epistula beáti Pauli apóstoli ad Ephésios

Obsecro ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis

Obsecro vos ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatione, qua vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum longanimitáte, supportátes invicem in caritáte, solliciti serváre unitátem spiri- tús in vinculo pacis; unum corpus et unus Spiritus, sicut et vocáti estis in una spe vocationis vestrae; unus Dóminus, una fides, unum bap- tisma; unus Deus et Pater ómnium, qui super omnes et per ómnia et in ómnibus.

Unicuique autem nostrum data est grátia secúndum mensúram donatió- nis Christi.

Et ipse dedit quosam quidem apóstolos, quosdam autem prophétas, álios vero evangelistas, álios autem pastóres et doctóres ad instruc- tionem sanctórum in opus ministérii, in aedificationem córporis Chri- sti, donec occurrámus omnes in unitátem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perféctum, in mensúram aetátis plenitúdinis Christi, ut iam non simus párvuli fluctuántes et circumácti omni vento doctrinae in fallácia hóminum, in astútia ad circumventionem erróris; veritátem

autem facientes in caritate crescamus in illum per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et conatum per omnem iuncturam subministratiois secundum operationem in mensura uniuscuiusque partis augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.

Hoc igitur dico et testificor in Domino, ut iam non ambuletis sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, propter ignorantiam, quae est in illos, propter caecitatem cordis ipsorum, qui, indolentes, semetipsos tradidérunt impudicitiae in operationem immunditiae omnis in avaritia.

Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis et in ipso edociti estis, sicut est veritas in Iesu, depónere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, renovari autem spiritu mentis vestrae et induere novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.

Responsorium

- R. Fuit vir vitae venerabilis, gratia Benedictus et nomine, ab ipso pueritiae suae tempore cor gerens senile: * Aetatem quippe moribus transiens, nulli animum voluptati dedit.
V. Recessit igitur scienter nescius, et sapienter indoctus. * Aetate quippe.

Psalmodia II Nocturni

Ant. 1 Initio consilio, venenum vino miscuere, quo oblati, signavit vas, sicque confractum est, ac si pro signo lapidem dedisset. ii T. AC2 348

Ps 23 (24).

Ant. 2 Tunc ad locum dilectae solitudinis rediit; et solus in superni inspectoris oculis habitavit secum. vii T. ALC 74

Ps 32 (33).

Ant. 3 Sanctimoniialis autem femina, cum negantis verba audisset, orationem fudit et innundatio pluviae erupit. vi T. AC1 253

Ps 33 (34).

Ant. 4 Cum sanctus Benedictus in cella consisteret, elevatis oculis, vidit sororis animam, de corpore egressam, in columbae specie caeli secreta penetrare. vii T. ALC 75

Ps 64 (65).

Ant. 5 Pater sanctus dum intentam oculorum aciem in splendore coruscæ

lucis habere videretur, vidit Germani animam Capuani episcopi, in sphaera ignea, ab angelis in caelum deferriri. iv T. AC2 347

Ps 83 (84).

Ant. 6 Tantam gratiam ei virtus divina contulerat, ut sub uno solis radio omnem mundum collectum consiperet. i T. AC2 349

Ps 91 (92).

y. Ausculta, fili, praecpta magistri.

r. Inclina aurem cordis tui ad monitionem pii patris.

Lectio secunda

E Regula sancti Benedicti abbatis

(Prologus, 4-22; cap. 72, 1-12: CSEL 75, 2-5. 162-163)

Christo omnino nihil praepont

In primis, ut quicquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas, ut, qui nos iam in filiorum dignatus est numero computare, non debet aliquando de malis actibus nostris contrastari; ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est, ut non solum iratus pater suos non aliquando filios exheredet, sed nec ut metuendus dominus, irritatus a malis nostris, ut nequissimos servos perpetuam tradat ad poenam, qui eum sequi noluerint ad gloriam.

Exsurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos Scriptura ac dicente: "Hora est iam nos de somno surgere". Et apertos oculis nostris ad deificum lumen, attonitis auribus audiamus divina cotidie clamans quid nos admonet voc dicens: "Hodie si vocem eius audiueritis, nolite obdurare corda vestra"; et iterum: "Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis".

Et quid dicit? "Venite, filii, audite me; timorem Domini docebos. Currete, dum lumen vitae habetis, ne tenebrae mortis vos comprehendant".

Et quaerens dominus in multitudo populi, cui haec clamat, operarium suum, iterum dicit: Quis est homo qui vult vitam et cupit videre dies bonos?. Quod si tu audiens respondeas: "Ego", dicit tibi Deus: "Si vis habere veram et perpetuam vitam, prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquuntur dolum; diverte a malo et fac bonum; inquire pacem et sequere eam". Et cum haec feceritis, oculi mei super vos et aures meae ad preces vestras; et antequam me invocetis, dicam vobis: "Ecce adsum".

Quid dulcius nobis ab hac voce domini invitantis nos, fratres carissimi? Ecce pietate sua demonstrat nobis dominus viam vitae.

Succinctis ergo fide vel observantia bonorum actuum lumbis nostris, per ducatum Evangelii pergamamus itinera eius, ut mereamur eum "qui nos vocavit in regnum suum" videre. In cuius regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus curritur, minime pervenitur.

Sicut est zelus amaritúdinis malus, qui séparat a Deo et ducit ad inférnum, ita est zelus bonus, qui séparat a vitiis et ducit ad Deum et ad vitam aetérnam. Hunc ergo zelum ferventissimo amore exérceant mónachi, id est, "ut honore se invicem praeveniant"; infirmitátes suas sive cörperum sive morum patientissime tolérant; oboediéntiam sibi certatim impéndant; nullus quod sibi útile iudicat sequátur, sed quod magis álio; caritátem fraternitatis caste impéndant; amore Deum timeant; abbátem suum sincéra et húmili caritáte diligent; Christo omnino nihil praepónant, qui nos páriter ad vitam aetérnam perdúcat.

Responsorium

- R. Vir Dei Benedictus doctrinae quoque verbo fulsit, * Nam scripsit monachórum régulam discretióne praecipuam, sermóne luculentam.
- y. In eádem institutióne régulae omnes magistérii illius actus invenire potest, quia sanctus vir nullo modo pótuit áliter docére quam vixit. * Nam scripsit.

vel

E Sermónibus sancti Bernárdi abbáti Cláraevallénsis
(In festo S. Benedicti: Opera omnia, Edit. Cist. V, 3-7)

Arbor grandis atque fructifera fuit beatus Benedictus

Arbor fuit beatus Benedictus, grandis atque fructifera, "tamquam lignum quod plantatum est secus decúrsus aquárum". Ubi sunt decúrsus aquárum? Profecto in vállibus, quia "inter médium móntium pertransibunt aquae. Quis enim non videat étiam hos torréntes móntium árdua declinare, et médiam ad humilitátem semper divértere vallis? Sic profecto, sic "Deus supérbis resistit, humilibus autem dat grátiam". Securus hic fige pedem, quicúmque es iuméntum Christi, super hunc ramum innitere, sémitam vallis incéde.

Neque enim vel in seréndis arbóribus montána solémus eligere, quod frequénter árida sint et petrósa. In vállibus pinguedo est: ibi proficiunt plantae, ibi plena spica, ibi centésimus óritur fructus, iuxta illud: "Et valles abundábunt frumento". Audis quia ubique vallis laudatur, ubique humilitas praedicátur. Ibi plantáre, ubi "decúrsus aquárum", quia ibi cópia grátiae spirituális, et aquae quae super caelos sunt laudant nomen Dómini, id est caeléstes benedictiōnes fáciunt ut laudétur. Stemus in hac, caríssimi, et plantati stemus, ut nos arescamus. Sic, plantátus "secus decúrsus aquárum", sanctus iste Confessor Dómini fructum suum dedit in témpore suo.

Non credébat beatus Benedictus tunc esse fructificándi tempus, quando adhuc tantis tentatióibus urgebáatur; sed venit tempus, et "in témpore suo" fructum fecit. De fructu eius sunt tria illa: sánctitas eius, iustitia eius, pietas eius. Sanctitatem mirácula probant, doctrina pietatē, vita iustitiam. Vides, o iuméntum Christi, ramos fóliis

viréntes, vernantes flóribus, onústos fructu. Super istos innitere, ut gressus rectos fáciás pédibus tuis.

Sed quómodo tibi appóno eius mirácula? Numquid ut mirácula facere velis? Nequáquam, sed ut miráculis eius innitáris, vidélicet ut confidas et gáudeas, quod sub tali pastóre pósitus es, quod tantum meruisti habére patrónum. Sic ergo, licet non habeámus nostra, consolatió magna nobis esse debent patróni nostri mirácula.

Doctrina vero instruit nos, et dirigit gressus nostros in viam pacis. Porro vitae iustitia omnino róborat et ánimat nos, ut tanto magis accendámur ad agénda quae dócuit, quanto certi sumus eum non ália docuisse quam fécerit. Sermo quidem vivus et éfficax, exémplum óperis est, plúrimum fáciens suadibile quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadétur.

In hunc igitur modum sánctitas confórtat, pietas infórmat, iustitia confirmat. Quantae enim pietas fuit, quod non solum praeſentibus prófuit, sed étiam pro futúris sollicitus fuit? Non solum his qui tunc erant, fructum tulit haec arbor, sed usque hódie fructus eius et crescit et manet. Diléctus plane a Deo et hominibus, cuius non sola praeſentia in benedictiōne fúerit, sicut sunt multi soli Deo dilécti, quia soli Deo iam cogniti, sed et memória eius étiam nunc in benedictiōne est. Nam et usque hódie in triplicem amóris Dómini confessiōnem, tríplici hoc fructum pascit Dómini gregem: pascit vita, pascit doctrina, pascit et intercessiōne. Per quam incessánter adiúti, fructificáte et vos, caríssimi, quando in hoc pósiti estis, ut eádis et fructum affératis.

Responsorium

- R. Beatus Benedictus, relicta domo rebúsque patris, soli Deo placere cùpiens, sanctae conversatiónis hábitum quaesivit. * Et solus in supérni Inspectóris óculis habitávit secum.
- y. Ante óculos Condítoris se semper aspiciens, extra se mentis suaे óculum non divulgávit. * Et solus.

vel

Ex Litteris Apostólicis Pauli Papae VI
(AAS 56 /1964/ 965-966)

Sanctus Benedictus Europae Patronus

Pacis núnctius, unitatis effector, civilis cultus magister, máxime vero religiónis christiánæ praeaco et monásticae vitae in Occidente auctor meritissimus Sanctus Benedictus Abbas praedicátur.

Is, cum áliae Európae regiōnes, quo témpore Romanórum impérium vetustate corrúptum dilabebátur, in ténebras videbántur incidere, áliae adhuc politioris humanitatis et spirituálium bonórum erunt expértes, árduo molimine virtutis constantissimae suae éfficit, ut nova veluti auróra eidem terrae continéti affúlgeret. Cruce enim, libro, áratro, praecipue ipse per se et per filios suos géntibus, quae a Mari Mediter-

ráneo usque ad Scandináviam, ab Hibérnis usque ad Polonórum loca paténtia incolunt, christiánam áttulit cultum civilem.

Cruce, id est lege Iesu Christi, privátae et pùblicae vitae instítuta firmávit et auxit. Iuvat quoque memoráre "ópere Dei", seu certa assiduáque precándi ratíone, eum docuisse cultum divinum in humána consortíone summi esse moménti. Sic igitur spirituálem illam unitátem Európae coagmentávit, qua quidem natiónes, sermóne, génere, ingénio di-vérsae, unum pòpulum Dei se esse sentiébant. Quae úntas, fidéliter annítentibus mònachis, disciplínae tanti paréntis alumnis, peculiáris nota facta est médiae, quam vocant, aetátis.

Libro, seu ingénii cultu, idem venerábilis patriárcha, a quo tot monastéria nomen vigorémque traxérunt, vétera litterárum monuménta, cum liberáles disciplínae artésque obruebántur caligine, diligénti cura servávit et ad pósteros transmisit, atque doctrínas studióse excóluit.

Aratro demum, seu re rústica, aliisque subsidiis loca vasta et hór-rida in agros frugum feráces et hortos amoénos mutávit; et precatíoni-bus fabrilia iungens, secúndum verba illa "ora et labóra", humáno óperi excelléntiam áddidit.

Haud immérito ergo Pius papa XII Sanctum Benedictum "Európae pa-trem" appellávit; cuius quidem terrae continéntis pòpulis ille amórem et stúdium recti órdinis inspirávit, in quo sociális vita eórum innite-rétur. Hic Decéssor Noster deinde exoptávit, ut tam incliti viri depre-catione Deus incéptis favéret eórum, qui gentes easdem verae fraterni-tatis vinculis copuláre nitúntur. Idem ut feliciter eveniret, étiam Ioánnes papa XXIII amánti, qua enitébat, sollicitudine, ex ánimo concu-pivit. Atque Nos ipsi consilia huiúsmodi, eo pertinéntia, ut úntas inter Európae natiónes foveátur, valde probámus. Qua de causa libénter concéssimus précibus, quibus plúrimi ex váriis Európae pártibus Patres Purpuráti, Archiepiscopi, Episcopi, Suprémi Moderatóres Ordinum et Congregatiónum religiosárum aliisque insignes ex laicórum órdine viri Nos rogavérunt, ut Sanctum Benedictum Európae renuntiarémus Patrónum.

Responsorium

R. Obsculta, o fili, praecépta magistri, et inclina aurem cordis tui, * Et admonitionem pii patris libénter excipe et efficáci-ter comple.

V. Ad te sermo dirigitur, quisquis Dómino Christo vero Regi mili-tatúrus, oboediéntiae fortíssima arma sumis. * Et.

Psalmodia III Nocturni

Ant. Eléctus est a Dómino, ut esset monachórum pater, et praecipuus sanctae Régulae exemplar. i T. AM 779

Cant Sap 3, 1-6

Cant Sap 3, 7-9

Cant Sap 10, 17-21

y. Quid dulcius nobis ab hac voce Dómini invitántis nos.
R. Ecce in pietáte sua démonstrat nobis Dóminus viam vitæ.

Evangelium

17, 20-26

Volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum

+ Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem.

In illo témpore: Sublevátis Iesus óculis in caelum, orávit dicens: "Pater sancte, non pro his rogo tantum, sed et pro eis qui creditúri sunt per verbum eórum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut mundus credat quia tu me misisti.

Et ego claritátem, quam dedisti mihi, dedi illis, ut sint unum sicut nos unum sumus, ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum, ut cognóscat mundus quia tu me misisti et dilexisti eos, sicut me dilexisti.

Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritátem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutióñem mundi.

Pater iuste, et mundus te non cognóvit; ego autem te cognóvi, et hi cognovérunt quia tu me misisti, et notum feci eis nomen tuum, et notum fáciam, ut diléctio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis".

Verbum Dómini.

Lectio tertia

Ex Sermónibus beáti Guerrici abbátis Ignaciensis
(In Ascensione Domini: PL 185, 153-156)

Voluntate labiorum eius non fraudabit eum Pater

Magnus párvulos magna dilectione diligébat, quippe quos ab more mundi abstráxerat, et relicta omni spe saéculi, de se solo pèndere vi-débat. Quámdiu tamen cum eis corporáliter cíversári vóluit, non fácile aut multum hunc suum eis afféctum pródidit; maturiorem se eis, quam teneriorem exhibens, sicut magistrum decébat et patrem. Cum autem tempus quo ab eis recessúrus erat instáret, tunc veluti vinci ténero eórum afféctu visus est, ut magnam multitudinem dulcédinis suae, quam eis absconderat, dissimuláre non posset.

Summa oratióñis, sicut indicat textus lectiōnis, est in his tribus, in quibus est et summa salútis, imo et perfectionis, ut nihil possit addi, scilicet ut a malo servéntur, ut in veritatē sanctificéntur, ut cum ipso glorificéntur.

O felices, quórum advocátus ipse iudex est; pro quibus orat qui pari honóre cum eo quem orat adorándus est! Voluntate labiorum eius non fraudabit eum Pater, cum quo est ei una volúntas et una potéstas, quia unus Deus est. Omnino quod Christus orat, impléri necéssus est: cuius sermo virtus est, et volúntas efféctus; qui de ómnibus quae sunt,

dixit, et facta sunt, mandávit, et créata sunt. O quanta secúritas fidélium! quanta fidúcia credéntium! tantum non abiificant grátiam quam accepérunt. Non enim solis Apóstolis propósita est haec secúritas, vel condiscipulis eórum, sed ómnibus qui per eórum verbum creditúri sunt in Dei verbum.

"Vobis" autem fratres, "donátum est", ut ait Apóstolus, "non solum ut in eum credátis, sed étiam ut patiámini pro eo": quos scilicet fides promissiónis Christi, non securitáte neglegentióres, sed alacritáte fáciens ferventióres, et cotidiáno vitiórum conflictu, martýrio corónat assiduo; assiduo, sed fáciili; fáciili, sed sublimi. Fáciile est, ubi supra virtútem nihil imperátur; sublime, ubi de omni virtúte illius fortis armáti triumphátur. An non fáciile suáve Christi iugum portáre? an non sublime in regno eius excéllere?

Quid facilius, rogo, quam portáre pennas quae portent portántem se, quid sublimius, quam supra omnem caelórum altitúdinem, quo Christus ascéndit, evoláre? Plane sancti, quórum sicut áquilae iuvéntus renovábitur, assúmunt pennas sicut áquilae, et volábunt. Sed quid putámus, fratres, quómodo tunc repénte de terra ad caelos evoláre pótterit, qui nunc exercitio et usu cotidiáno volitáre non didicerit? Alii volant contemplándo, tu saltem amándo. Paulus mente excédit, et ad tértium usque pervólat caelum; Ioánnes ad id quod in principíum erat Verbum: tusaltem humi degenerem non trahas ánimum, nec patiáris obrútum inéertia in terra putrécere cor tuum. Christus thesáurus tuus ascéndit in caelum: ibi sit et cor tuum. Inde ducis originem, ibi habes Patre et hereditátem, inde exspéctas Salvatórem. Amen.

Responsorium

- R. Procéssu conversatiónis et fidei, dilatáto corde inenarrábili dilectionís dulcédine currítur via mandatórum Dei, * Ut et regno eius mereámur esse consórtes.
 V. In monastério perseverántes passióníbus Christi per patiéntiam participémur. * Ut et.

Hymnus Te Deum laudámus.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

Hymnus

1. Légifer prudens, venerández doctor,
qui nites celsis méritis per orbem,
dénouo comple, Benedicte, mundum
lúmine Christi.
2. Monte de celso, Móyses ut olim,
es Dei visus radiare luce,
cándida pacis stabilisque praebens
múnera legis.

3. Flóruit per te novus atque miro géntium nexu sociátus ordo;
iúribus sacris tua vox subégit dulciter omnes.

4. Liberos Iesu paritérque servos
Régula magna statuisti alúmnos,
quos amor fotus précibus revinxit
et labor unus.

5. Iamque fraterne, duce te, labórent,
mútuo certent pópuli favóre,
gáudeant pacis refovérē semper
dona beátae.

6. Cláritas Patri, genitaéque Proli,
Flámini Sancto decus atque cultus,
grátia quórum tibi tanta laudis
glória lucet. Amen.

Psalmodia

Ant. 1 Fuit vir vitae venerábilis, grátia Benedictus et nómine. i T.
AC1 242

Psalmi et canticum pro diebus festivis.

Ant. 2 Ab ipso pueritiae suae témpore cor gerens senile, aetátem móribus tránsiens nulli ánimum dedit voluptáti. i T. AC1 242

Ant. 3 Dum in hac terra esset, quo temporáliter libere uti potuisset, iam quasi áridum mundum cum flóre despéxit. i T. AC1 242

Ant. 4 Relicta domo, rebúsque patris, soli Deo placére cúpiens, sanctae conversatiónis hábitum quaesivit. viii T. AC1 243

Ant. 5 Recéssit igitur sciénter néscius, et sapiénter indóctus. iv T. AC1 243

Lectio brevis

Cf. Sir 50, 1. 6-7

Ecce conféssor magnus, qui in vita sua suffúlsit domum et in diébus suis corroborávit templum. Quasi stella matutina in médio nébulae et quasi luna plena in diebus festi et quasi sol refúlgens super templum Dei.

Responsorium breve

Ps 36 (37), 31

R. Lex Dei eius * In corde ipsius. Lex.

V. Et non supplantabúntur gressus eius. * In corde.

Ad Benedictus, ant. Sanctus Benedictus per viam Oriéntis recto trámite vidéntibus discipulis caelum ascéndit; et eréctis mánibus inter verba orationis exspirávit; et in glória ab Angelis suscéptus est, allelúia.
ii T. AM 858

Preces

Christo qui est via, véritas et vita, laudes grati exsolvámus et supplicémus dicentes:

Dirige nos in viam iustitiae.

Christe, qui beátum Benedictum scholae divini servitii institutórem suscitásti,

- da ut ad culmen caritatis perveniámus.

Christe, Pater tuus quaerit tales adoratóres, qui eum adórent in spiritu et veritáte,

- fac, ut in ópere Dei persolvéndo mens nostra concórdet voci nostrae.

Christe, pro nostra salúte oboédiens factus usque ad mortem,
- da ut oboedientia religiosa ártius divinae voluntati salvificae uniámur.

Christe, qui pro nobis pauper factus es,
- da ut paupertátem tuam sequéntes rebus terréstribus modéste utámur et caeléstia bona desiderántes testes simus vitae aetérnae.

Pater noster.

Oratio

Deus, qui beátum Benedictum abbátem in schola divini servitii prae-clárum constituisti magistrum, tribue quaésumus, ut, amóri tuo nihil praeponéntes, viam mandatórum tuórum dilatáto corde currámus. Per Dóminum.

Ad Tertiam

Ant. Sanctissime conféssor Dómini, monachórum pater et dux Benedicte, intercéde pro nostra omniúmque salúte. iv T. AC2 346

Lectio brevis

Gen 12, 1-2

Dixit Dóminus ad Abram: "Egrédere de terra tua et de cognatione tua, et de domo patris tui in terram, quam mostrábo tibi. Faciámque te in gentem magnam et benedicam tibi et magnificábo nomen tuum, erisque in benedictiónem".



V. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas.
R. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Sextam

Ant. Tantam grátiam ei virtus divina contúlerat, ut sub uno solis rádio omnem mundum colléctum conspiceret. i T. AC2 349

Lectio brevis

1 Petr 4, 12-13

Caríssimi, nolite mirári in fervóre, qui ad tentaciónem vobis fit, quasi novi áliquid vobis contingat, sed, quemámodum communicátis Christi passióibus, gaudéte, ut et in revelatióne glóriae eius gaudeátis exultántes.

V. Christo omnino nihil praeponámus.

R. Qui nos páriter ad vitam aetérnam perdúcatur.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Nonam

Ant. Orábat sanctus Benedictus: Dómine, non aspicias peccáta mea, sed fidem huius hóminis, qui rogat resuscitári filium suum; et sub óculis ómnium vivéntem púerum réddidit patri suo. i T. AC2 351

Lectio brevis

Eph 6, 14-17

State succinti lumbos vestros in veritáte et indúti lóricam iustitiae et calceáti pedes in præparatióne evangélii pacis, in ómnibus suméntes scutum fidei, in quo possitis ómnia tela maligni ignea extinguere; et gáleam salútis assúmite et gládium Spiritus, quod est verbum Dei.

V. Præparánda sunt corda et cónpora nostra.

R. Sanctae præceptórum oboedientia militánda.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad II VesperasHymnus

1. Fratres, alácri péctore
venite, concéntu pari
fruámur huius inclitae
festivitatís gáudiis.

2. Hac Benedictus, áureis,
osténsor arcti trámitis,
captis labórum præmiis,
honóre gaudet débito.

3. Effúlsit ut sidus novum
mundána pellens nubilia;
aetátis ipso limine
despéxit aevi flórida.

4. Miraculórum praépotens,
afflátus Alti flámíne,
resplénduit prodigiis
ventúra saeclo praécinens.

5. Haec inter, et perlúcidis
verbis docéndo cláruit,
nam pinxit apte lineam
vitae sacrae sequácibus.

6. Sit Trinitáti glória,
cuius repléta grátia
hic sanctitátis plúrimis
caelos adáuget flóribus. Amen.

Psalmodia

Ant. 1 Fuit vir vitae venerábilis, grátia Benedictus et nómine, qui ab ipso pueritiae suae témpore cor gerens senile, aetátem móribus tránsiens, nulli ánimum voluptáti dedit. viii T. ALC 65

Ps 109 (110)

Ant. 2 Beátus Benedictus plus appétiit mala mundi pérfeti quam laudes; pro Deo labóribus fatigári quam vitae huius favóribus extólli. i T. ALC 80

Ps 111 (112)

Ant. 3 Gloriósus Conféssor Dómini Benedictus vitam angélicam gerens in terris, spéculum bonórum óperum factus est mundo: et ideo cum Christo iam sine fine gaudet in caelis. ii T. ALC 66

Ps 115 (116)

Ant. 4 Erat vir Dómini Benedictus vultu plácido, móribus decorátus angélicis, tántaque circa eum cláritas excréverat, ut in terris pósitus in caeléstibus habitáret. iv T. ALC 67

Ps 132 (133)

Ant. 5 Vir Dómini Benedictus ómnium iustórum spiritu plenus fuit: ipse intercédat pro cunctis monásticae professionis. i T. ALC 68

Cant Eph 1, 3-10

Lectio brevis

Phil 3, 8. 10-11

Verúmtamen existimo ómnia detriméntum esse propter eminéntiam sciéntiae Christi Iesu, Dómini mei, propter quem ómnia detriméntum feci et árbitror ut stércora, ut Christum lucri fáciám, ad cognoscéndum illum et virtútem resurrectiónis eius et communiónem passiónum illius, confórmans me morti eius, si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quae est ex mórtuis.

Responsorium breve

R. Sancte Pater Benedicte, * Intercéde pro nobis. Sancte.
V. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. * Intercéde.

Ad Magnificat, ant. O caeléstis norma vitae, doctor et dux Benedicte, cuius cum Christo spiritus exsúltat in caeléstibus: gregem pastor alme serva, sancta prece corróbora, via caelos clarescénte fac, te duce, penetráre. i T. ALC 84

Preces ut ad I Vespertas.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Die 12 iulii

S. IOANNIS GUALBERTI, abbatisMemoria ad libitum

Ioannes Gualbertus circa annum 1000 natus est. Cum interfectori fratriis ob Christi amorem pepercisset, miles hic florentinus habitu monasticum in monasterii S. Miniati ad Montes recepit. Vitae arctioris ducendae studiosus, Camaldulense monasterium petivit posteaque anno 1030 in Valleumbrosa novellae plantationis benedictinae fundamenta iecit sicque exemplo paupertatis et vitae vere fraternae clericos corruptos moribus ad meliorem vitam incitavit. Die 12 iulii anni 1073 Passiniani prope Florentiam decessit.

De Communi sanctorum: pre religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad VigiliasLectio altera

Ex Epistula sancti Ioánnis Gualberti
(PL 146, 804-805)

Caritas inviolabilis permaneat yobiscum

Ioánnes abbas ómnibus frátribus in amórem fraternitátis secum iunctis salútem et benedictionem. Me sub gravi infirmitáte diu laborante, Deus ut ániam recipiat, córporis mei terra quátenus ad púlverem revertátur, unde matériam sumpsit, quotidie exspecto. Et hoc mirum non est, quia aetas étiam absque tantae infirmitatis oppressioné hoc me ádmonet cotidie exspectare. Et hinc transire quasi sub siléntio aestimábam, sed locum et nomen, quod in hac terra corruptibili, quamvis, non sicut

décuit, tenui pensans; útile duxi, vobis áliquid de vinculo caritatis loqui; in hoc non a nobis, nec nótiter, sed quae cotidie audistis, transcurréndo replicáre bréviter. Certe haec est illa virtus, quae ómnium rerum Creatórem éffici cómpulit creatúram. Haec est illa, quam ipse in vice suórum ómnium mandatórum apóstolis comméndans ait: "Hoc est praecéptum meum, ut diligátis invicem".

De ista Iacóbus apóstolus lóquitur dicens: "Qui totam legem obser-váverit, offéndat autem in uno, factus est ómnium rerum". Ita est, de qua beátus Paulus apóstolus dicit: "Cáritas coopérít multitudinem pec-cátorum".

Hinc vero colligere póssumus, tenéndo caritátem, ómnia peccáta ope-riri posse; caéteras vero virtutes aestimántibus se obtinére, sine hac nil valére. Sed haec áudiens quisque supérbus et inobódiens, hanc in veritáte cágitat habére, si se corporáliter in communione fráterna vi-derit perduráre. A qua, ut ita dicam, opinióne falsa, unumquémque beá-tus Gregórius, verae caritatis finem indicádo, exclúdit dicens: "Ille perfécte Deum diligit, qui sibi de se nihil réliquit". Quid vero de caritáte singuláriter loquar ignóro, quóniam ómnia mandáta ab hac pul-luláre radice scio. Quia si multi sunt rami boni óperis, una est tamen radix caritatis.

Et si ita est, immo quia ita est, debet unusquisque fidélis semper pensáre, quáliter se tam summo bono possit copuláre, secúmque, quos hábeat in via Dei sócios, ánxe quaérere. Et sic réprobi hanc relin-quéndo, a Christi córpore abscinduntur, sic éléti eam in veritáte amplexéndo, eidem córpori Christi confirmántur. Ad hanc vero inviolabiliter custodiéndam valde útilis est fráterna úntas, quae se con-stringit sub unius personae cura. Quóniam sicut flumen a suo álveo sic-cáatur, si in multis rivulis dividáatur, sic úntas fráterna minus valet ad singula, si fúerit sparsa per divérsa. Idcirco, ut in longo ista cáritas inviolábilis permáneat vobiscum, volo ut in domno Rodúlfo vestra cura et consilium post meum óbitum péndeat, saltem sicut in me pepéndit in vita.. Valéte.

Responsorium

Ps 54 (55), 8. 10; Ps 3, 4; Ps 41 (42), 3

R. Ecce elongábo fúgiens et manébo in solitúdine, quóniam vidi violéntiam et contentióne in civitáte. * Dómine, proctéctor meus es, glória mea et exáltans caput meum.

y. Sitivit ánima mea ad Deum meum, Deum vivum: quando véniam et apparébo ante fáciem Dei? * Dómine, protéctor.

vel

Ex Expositiōne super Cántica Canticórum
Guliélmi abbátis sancti Theodorici

(Cant. I, str. X: Sources Chrétiennes 82, 268-274)

Fruitur ex fraternae caritatis benevolentia in proximo

Convérsa Sponsa ad adolescéntulas, ad filias Ierúsalem, filias su-

pérnae pacis, compáres desiderii, sociásque amóris sui, "fúlcite me, inquit, flóribus; stipáte me malis, quia amóre lángueo".

Non enim potest in áliis non amáre, unde ipsa in seipsa singulári-ter consolátur dolórem suum; animúsque vere Deum amans, amórem eius ubicúmque invénit, amat, et ampléctitur. Cuius formam cum atténdit in próximo, saepe plus placet quam in semetipso, quia consciéntiam non videns nisi suam, in se videt et quod patet hominibus et quod latet; in próximo, non nisi quod patet; fructus scílicet álios spiritus, vel amóris, quos vidit, per quos interiòrem in eo coniícit et amat amórem, quem non videt. In seipso videt et quid desit, et quid adsit sibi; in próximo vero, non nisi de eo quod videt, potest iudicáre.

Insuper, quae sua sunt, districta iustitia inséquitur; quae vero próximi benévolia caritáte ómnia in bonum interpretátur. Ideo plus ei saepe placet, módicum quid boni in próximo cuius non videt interiòrem mixtúram, quam multum in semetipso, cuius mixtúrae solus ipse pátitur fruxúram; plus placet alter cum incipit, quam ipse sibi qui próficit; plus alterius proféctus, quam sua sibi perféctio.

Frúitur ergo ex fraternae caritatis benevoléntia in próximo, quo frui non potest in semetipso étiam cum adest, et plusquam in próximo; quia, sicut dictum est, in illo laténte consciéntia, sola patet fácies boni, quod sicut in semetipso ampléctitur, in congratulatiōne fraternae caritatis; in seipso vero, in tantum consciéntiae incúmbit quod offéndit, ut esti in ea forte fúerit quod placére possit, nex apparére audeat ante fáciem semetipsum districtius iudicántis.

Hic enim est ordo caritatis, et languéntis legitimus téminus amóris. Primum siquidem diligitur Dóminus Deus in toto corde, ut pia iúgi-ter memória cogítetur; in tota ánima, ut in ipso semper et ad ipsum vivátur; in ómnibus viribus humánis, ut in opus servitútis eius fidéli-ter expendántur; in omni mente, ut perfécte et intellegibiliter amétur. Deinde cum omni hómine secúndum Deum foedus habéndum natúrae, et bonaे voluntáti, ad semetipsum vero, et ad próximum sicut ad seipsum afféctus religíosi amóris.

Sic qui ordinátae caritatis est, diligit Dóminum Deum suum, et in ipso seipsum, et próximum suum sicut seipsum, ipsa qualitáte, ipsa quantitáte. Nam etsi maior fórsitan est perféctio caritatis in ipso quam in próximo, tantam útique in eo fore desiderat, quantum amplécti-tur in semetipso. Si vero maiórem eam deprehénderit, vel aestimat apud próximum dulcius eo in Deo frúit, et plus eum, ut dictum est, obsér-vat, quam semetipsum.

Hoc est ergo hómini diligere Deum, sicut Dóminum Deum suum; et recte diligere seipsum, et próximum sicut seipsum. Hic est ordo caritatis, a lege Spiritus vitae ordináta, a Verbo Dei in Spiritu Sancto édita.

Responsorium

Lc 6, 35. 37. 38

R. Diligite inimicos vestros, et erit merces vestra multa, * Et éritis filii Altissimi.

y. Dimittite et dimittémini; eádem quippe mensura, qua mensi fué-ritis, remetiétur vobis. "Et éritis.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est, dicit Dominus. i T. AC2 229

Oratio

Deus, auctor pacis et amator, quem nosse vivere, cui servire regnare est, nos in tua, quaesumus, caritate confirma, ut beati Ioannis abbatis exemplo, reddentes bonum pro malo et benedictionem pro maledicto, veniam a te consequamur et pacem. Per Dominum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Electus est a Domino, ut esset monachorum exemplar, et praecipuus sanctae Regulae minister. i T. AM 779

Die 16 iulii

BEATARUM VIRGINUM MARTYRUM ARAUSICANARUM

Memoria ad libitum

Die 15 iulii anni 1794 Arausione in Gallia triginta due gloriose martyres e diversis institutis religiosis monasticis irruente Revolutione gallica cruentum pegma ascenderunt. Inde a quattuor annis in carcerem detrusae custodiam in asceterium mutaverunt. Inter eas fuerunt etiam sorores germanae e familia de Iustamonte, Soror Maria a Sancto Henrico et Soror a Sacro Corde Mariae, moniales cistercienses asceterii Sanctae Catharinae Avenionensis.

De Communi martyrum vel virginum, vel de Communi monialium.

Ad VigiliasHymnus

1. Gaudentes festum colimus
sanctarum Christi virginum,
quae puro corde Dominum
secutae sunt in laudibus.

2. O castitatis lumen,
rex virginum sanctissime,
tu, custos pudicitiae,
fraudes repelle daemonum.

5. Sit, Christe, rex piissime,
tibi Patrique gloria
cum Spiritu Paracclito,
in sempiterna saecula. Amen.

3. Qui castis in visceribus
placaris clementissime,
nostros reatus dilue,
dimittens quae peccavimus.

4. Grates precantes agimus;
erramus, viam dirige;
tu, pater indulgentiae,
nobis sucurre, quaesumus.

Lectio altera

Ex Actibus Pii Papae Undécimi
(AAS 17 /1925/ 234-236)

Sibi Christum in Sponsum eligere maluerunt

Adolevit Mártyrum purpuráta sanguine Ecclésia, sed fortissimórum héroum sériem qui, effuso sanguine, testimónium Christo reddidérunt, nulla unquam conclúsit aetas, et fastórum ipsórum tábulae novis semper enitent titulis.

Id quidem evénit luctuósis illis tempóribus quibus in Gália, saéculo XVIII exeunte, impia saevit a christiani nóminis osóribus excitata persecutio, qua plures sacerdótes, religíosi viri et turbátae a clástris atque in ódium fidei interemptae moniales gloriósum martýrium feceré. Has inter Deo sacras virgines, quae, véterum fidei adsertórum facinora aemulátae, atrocissima quaeque pro Christo pati, ipsámque cruentam vitae iactúram fádere non dubitárun, duae supra triginta accentúantur sanctimoniales. Hae omnes ancillae Dei, posthábitis floréntis aetatis illécebris, mundi voluptáibus ac divitiis reiectis, ipsisque paréntibus relictis, sibi Christum in Sponsum eligere maluerunt et caeléstem sequi Agnum, qui inter lilia pásctitur.

Inter civiles tumultus et pericula imminéntia, nihil prudéntes virgines de religiosa Regulárum observántia remisérunt, nihil de officiis ipsárum institutióni propriis; atque in constánti bonórum óperum exercitatio perseverárun, donec in vincula coniécta fuérunt. In publicum cácerem Arausiónem detrúsae, custódiam in asceterium mutárun, et, licet captivae, numquam ab oratióne et rerum divinárum commentatióne cessárun, neque a consuétis pietatis officiis abstinuérun, ut se impen-dénti morti, divina impetráta ope, comparárent.

Tunc vere appáruit quid possit Christi fides; tunc débiles ac mites féminaे heróicae fortitudinis exémpla perhibuerunt miranda. Ad tribunal raptæ, intérritæ, impiis iudicibus respónsa dedérunt priscis martyribus digna; nimirum usae sunt illa lingua, qua véteres fidei adsertóres utabántur, secundum divinam illam promissióm: "Dábitur vobis in illa hora quid loquámini". Omnes, ut fidem servárent, mortem oppétere non expavérunt.

Die quarta mensis iúlii anno 1794 prima vice nonnúllae ex invicto agmine damnatae et continuo sécuri percussae fuérunt, nōvies eódem veritate mense de illis supplicium sumptum est, omnésque, ália post áliam lethále pegma adscendérunt. Iudicibus et ipsis carnificibus grátias agéntes quod eórum ope tam cito ad Agni nuptias properárent, hilari vultu et suávibus canticis Dómino benedicéntes processérunt ad mortem, ac patibulum deosculátae, ipsis caedis ministris obstupescéntibus ac trepidantibus, strenuissime ac caelésti perfusae laetitia, innocens caput sécuri obtruncándum obtulérunt. Caeli terráeque admiratióne dignum spectáculum!

Responsorium

R. Hódie virginum chorus trucidátus est pro Christo Sponso suo:

- * Qui pósuit ánimam suam pro óvibus, et pro grege suo mori dignatus est.
- y. Coronávit eas Dóminus coróna iustitiae, quia passae sunt pro Dómino, et sequúntur Agnum. * Qui pósuit.

vel

Ex Sermónibus sancti Bernárdi abbátis Claraevallénsis
super Cántica Canticórum
(Sermo 47, Opera omnia, Edit. Cist. II, 63-65)

Martyres spectaculum facti sunt et angelis et hominibus

Non sane sine causa múltiplex spiritus a Sapiénte describitur, nisi quod sun uno litterae córtice divérsos plerúmque sapiéntiae intelléctus tégere consuévit. Itaque iuxta praefátam de floris statu partitíonem, flos est virginitas, flos martýrium, flos áctio bona: in horto virginitas, in campo martýrium, bonum opus in thálamo. Et bene in horto virginitas, cui familiáris verecúndia est, fúgitans públici, latibulis gaudens, pátiens disciplínae. Dénique in horto flos cláuditur, qui in campo expónitur spargíturque in thálamo. Et habes: "Hortus conclúsus, fons signátus". Quod útique cláustrum pudóris signat in virgine, et inviolátae custódiam sanctitáris, si tamen talis fúerit, quae sit sancta cónpore et spiritu.

Bene item in campo martýrium, dum mártires ludibrio ómnium exponán- tur, spectáculo facti et ángelis et hominibus. Nonne illórum miseránda vox est in Psalmo: "Facti sumus opprórium vicinis nostris, subsannatio et illússio his qui in circúitu nostro sunt?

Bene quoque in thálamo áctio bona, quae consciéntiam et quiétam facit, et tutam. Post bonum déniq; opus secúrius in contemplatione dórmitur, et tanto quis fiduciálius sublimia intuéri et vestigare ag- gréditur, quanto sibi conscius est minime se, propriae amóre quiétis, caritatis opéribus defuisse.

Et haec ómnia, secúndum áliquid, Dóminus Iesus. Ipse flos horti, virgo virga virgine generátus. Idem flos campi, martyr, martyrum coróna, martýrii forma. Dénique foras civitátem edúctus est, extra castra passus est, in ligno levátus est, spectándus ómnibus, subsannándus ab ómnibus. Ipse item thálami flos, spéculum et exemplum totius beneficéntiae, quemádmodum ipse Iúdaeis protestátus est dicens: "Multa bona ópe- ra feci in vobis"; et item Scriptúra de eo: "Qui pertránsiit, ait, be- nefaciéndo et sanando omnes".

Si igitur haec tria Dóminus, quae fuit causa, ut e tribus se "campi florem" maluerit appelláre? Profecto ut eam ad tolerántiam animáret, cui növerat imminére, si quidem vellet pie in Christo vivere, persecutíonem pati. Id se ergo libéntius profitétur, ad quod potissimum vult habére sequácem; atque hoc est quod álias dixi, quóniam semper et illa áppetit quiétem, et ille incitat ad labórem, denúntians ei quod per multas tribulatiónes opórtet introire in regnum caelórum. Unde cum nova in terris Ecclésia nówiter desponsáta sibi ad Patrem redire dispóneret, dicebat ei: "Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitréetur obsé-

quium se praestáre Deo"; item: "Si me, ait, persecuti sunt, et vos per- sequéntur". Potes et tu in Evangéllo multa colligere huic denuntiatióni malórum perferendórum similia.

Cf. Ap 3, 4-5

Responsorium

- R. Istae sunt virgines, quae non inquinavérunt vestiménta sua, ámbulant mecum in albis, * Quia dignae sunt.
y. Et non delébo nómina eórum de libro vitae. * Quia dignae sunt.

Ad Laudes matutinasHymnus

1. Sanctórum méritis inclita gáudia pangámus, sócii, géstaque fórtia, nam gliscit ánimus prómere cántibus victórum genus óptimum.
2. Hae sunt, quas rétinens mundus inhórruit, ipsum nam stérile flore peráridum sprevére pénitus teque secútae sunt, rex, Christe, bone caélitum.
3. Hae pro te fúrias saévaque sústinent, non murmur résonat, non quaerimónia, sed corde tácito mens bene cónscia consérvat patientiam.
4. Quae vox, quae póterit lingua retéxere quae tu martýribus múnera praéparas? Rubri nam flúido sanguine láureis ditántur bene fulgidis.
5. Te, trina Déitas únaque, pósco, ut culpas ábluas, nóxia súbtrahas, des pacem fámulis, nos quoque glóriam per cuncta tibi saécula. Amen.

Lit. Hor.

Ad Benedictus, ant. Istárum est enim regnum caelórum, quae contempse- runt vitam mundi, et pervenérunt ad praémia regni, et lavérunt stolas suas in sanguine Agni. viii T. AC2 333

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui báatis virginibus Arausicánis con- stántiam in passióne donásti, nostraræ quoque fragilitati divinum prä- ténde subsidium, ut sicut illæ pro te mori non dubitárun, ita nos fortes in tua confessióne vivere valeámus. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Hymnus ut ad Laudes matutinas

Ad Magnificat, ant. Gaudent in caelis ánimae virginum, qui Christi vestigia sunt secútae; et quia pro eius amóre sanguinem suum fudérunt, ideo cum Christo exsúltant sine fine. vi T. AC2 398

Die 23 iulii

S. BIRGITTAE, religiosa

Memoria ad libitum

Nata est in Suecia anno 1303; adhuc puella matrimonio iuncta, octo genuit filios quos optime educavit. Tertio Ordini S. Francisci adscripta, post mortem viri vitam magis asceticam aggressa est quamquam in mundo vivebat. Tunc Ordinem religiosum fundavit et Romam profecta omnibus exemplar exstítit magnarum virtutum. Iter paenitentiae causa suscepit et multa scripsit opera in quibus res mysticas, quas ipsa experta erat, enarravit. Romae mortua est anno 1373.

De Communi sanctarum mulierum: pro religiosis.

Ad VigiliasLectio altera

Ex Oratióibus sanctae Birgittae attribútis
(Oratio 2: Revelationum S. Birgittae libri 2, Romae 1628,
408-410)

Elevatio mentis ad Christum salvatorem

Benedictus sis tu, Dómine mi Iesu Christe, qui mortem tuam ante tempus praedixisti et in última cena de pane materiali tuum corpus pretiósimum mirabiliter consecrásti, ac étiam illud Apóstolis in memóriam tuae dignissimae passiónis caritative tribuisti et ipsórum pedes lavando tuis sanctis mánibus pretiósis máximam humilitátem tuam humiliiter ostendisti.

Honor sit tibi, mi Dómine Iesu Christe, qui timóre passiónis et mortis de innocénti córpore tuo pro sudore sanguinem emisisti, et nihilominus redemptiónem nostram, quam fáceré volébas, perfecisti et táliter caritátem tuam, quam habébas ad genus humánum, manifestissime ostendisti.

Benedictus sis tu, Dómine mi Iesu Christe, qui ad Cáipham ductus fuisti, et tu, qui es iudex ómnium, Piláti iudicio te tradi humiliiter permisisti.

Glória sit tibi, Dómine mi Iesu Christe, pro derisióne quam sustinuisti, dum, púrpura indútus, spinis acutissimis coronátus stetisti, et quia in fáciem tuam gloriósam cónspui, óculos tuos velári ac maxilla et collo ab iniquórum funéstis mánibus gravissime caedi patientissime sustulisti.

Laus sit tibi, Dómine mi Iesu Christe, qui ad colúnnam ligári, imániter flagellári et ante iudicium Piláti sanguinoléntus duci et vidéri velut Agnus innocens patientissime permisisti.

Honor sit tibi, Dómine mi Iesu Christe, qui toto tuo glorióso córpore cruentáto ad crucis mortem iudicátus fuisti tuisque sacris úmeris crucem cum dolóre portásti et, ad locum passiónis furibúnde ductus vestibúsque tuis spoliátus, sic ligno crucis affigi voluisti.

Honor perpétuus sit tibi, Dómine Iesu Christe, qui, pósitus in tali angústia tuam dignissimam matrem, quae numquam peccávit nec étiam minimo peccáto umquam consénsit, tuis benignis óculis caritatis humiliiter respexisti; et consolándo eam tuo discípulo custodiéndam fidéliter commisisti.

Benedictio aetéerna sit tibi, mi Dómine Iesu Christe, qui exsistens in mortis agonia ómnibus peccatóribus spem de vénia tribuisti, quando latróni ad te converso paradisi glóriam misericórditer promisisti.

Laus aetéerna sit tibi, Dómine mi Iesu Christe, pro quálibet hora, qua, in cruce máximas amaritúdines et angústias pro nobis peccatóribus sustinuisti; nam dolores acutissimi de tuis vulnéribus procedéntes dire tuam felicem ániam penetrábant et cor tuum sacratissimum crudéliter pertransibant, donec crepántē corde spiritum feliciter emisisti, et inclináto cápite in manus Dei Patris tui ipsum humiliiter commendásti, et tunc mórtuus córpore totus frigidus remansisti.

Benedictus sis tu, Dómine mi Iesu Christe, qui tuo pretioso sanguine et sacratissima morte ánimas redemisti, et eas ad vitam aeténam de exilio misericórditer reduxisti.

Benedictus sis tu, Dómine mi Iesu Christe, qui pro salúte nostra tuum latus et cor perforári láncea permisisti, et pretiósūm sanguinem tuum affluénter et aquam de eódem látere, ut nos redimeres, emisisti.

Glória sit tibi, mi Dómine Iesu Christe, eo quod corpus tuum benedictum ab amicis tuis de cruce depóni et in mánibus tuae maestissimae matris reclinári voluisti, et ab ea pannis invólvi ac in monuménto sepeliri, a militibus quoque ibidem custodiri permisisti.

Honor sempitérnus sit tibi, mi Dómine Iesu Christe, qui die tértia a mórtuis surrexisti et, quibus tibi plácuit, te vivéntem manifestásti, post quadraginta quoque dies ad caelos multis vidéntibus ascendisti, ibique amicos tuos, quos a tártaris liberáveras honorifice collocaísti.

Iubilátiō et laus aetéerna sint tibi, Dómine Iesu Christe, qui Sanctum Spiritum in discípulórum córdibus transmisisti et imménsūm amórem divinum in eórum spiritibus augmentásti.

Benedictus sis tu et laudábilis et gloriósus in saécula, mi Dómine Iesu, qui sedes super thronum in tuo regno caelórum in glória tuae diuinitatis, vivens corporáliter cum ómnibus membris tuis sanctissimis, quae de carne Virginis assumpsisti. Et sic ventúrus es in die iudicii

ad iudicandum animas omnium vivorum et mortuorum: qui vivis et regnas cum Patre et Spiritu Sancto in saecula saeculorum. Amen.

Responsorium

Ap 1, 5. 6a; Eph 5, 2a

R. Christus diligit nos et solvit nos a peccatis nostris in sanguine suo; * Et fecit nos regnum, sacerdotes Deo et Patri suo.

y. Ambuláte in dilectione, sicut Christus diléxit nos et trádidit seipsum pro nobis. * Et fecit.

vel

Ex Bulla Canonizatiōnis Bonifacii Papae Noni
(Magnum Bullarium Romanum, Tomus III, Pars I,
Bonifacius IX: nn. 10, 22, 31, 34-35, 39 et 51, pp. 388-391)

Laudent eam in portis matris Ecclesiae opera eius

Novissimis diēbus, ut étiam ab aquilone áliquid boni esset, ille caelēstis agricola vineam suo de more visitans, mulierem fortem procul, et de últimis finibus, suum secum prétium deferéntem ad huiusmodi viueae culturam addúxit, beátam scilicet viduam Brigittam quam vulgares Brigidam appéllant, tam sacro supérius descripto coétui mérito sociādam, seu vérius sociātam.

Sancta autem vidua, quae ab ineūntis aetatis principio Deo dicata fúerat, ut ieíuniis et oratiōibus indeféssus vacáret, soluto coniúgio, et sui iuris effécta, quasi navis institoris de longe portans panem suum a Spiritu Sancto praemónita, egrédiens de terra et cognatiōne sua, ad Almam Urbem, ac Hierosólymam deinde perréxit.

Considerans sémitas domus sua, ne panes coméderet otiósa, manus suas apéruit inópibus, et palmas suas exténdit ad páuperes, inexháustae enim caritatis officia erga egéntes, infirmas et abiéctas personas ob Dei reveréntiam exércuit indefésse.

In loco étiam de Vadsténo Lincopénsis dioecésis de suis facultatiōibus unum venerabile monastérium canónice cónstrui fecit, pro sexaginta moniálibus sub clausura vivéntibus, et viginti quinque frátribus órdinis sancti Augústini, Sanctissimi Salvatóris nuncupáti, qui tam moniáles, quam fratres certas constitutiōnes per ipsam Beátam Viduam éditas, et póstea per Sedem Apostólicam approbáticas observáre tenéntur, sufficiénti dote nihilominus assignáta.

Admirabilis patientia víguit in ea, ut infirmitates próprii cōporis, iniúrias illátas, mariti et Cároli filii mortem, et advérsa réliqua tolleráret patientissime, sine mūrmure, sine quaeréla, semper in cunctis cum humilitate summissima Dóminum benedicens.

Quibus quidem sanctis et absque intermissione continuatis opéribus, haec generosa Vidua per grátiam Sancti Spiritus proméruit, multis eórum cogitationes et affectiones intimas, et gesta secretissima propaláre, et visiones ac revelationes várías vidére ac audire, ac spiritu prophético multa praedicere, quórum nonnulla effectu compléta fúere, prout haec et ália in eius revelationum volúmine, plenissime describúntur.

Et quóniam per Sancti Spiritus operationem, haec Vidua pérvigil, per excellētia mérita, in Dei Patris glória collocáta militántem propemódum illústrat Ecclésiam, nosque gustámus et vidémus quia bona fuit, et est negotiatio eius, et propterea in nocte superveniéntis temporális mortis eius, virtútum et meritorum lucérrna non debet extingui, est enim non sub módio sed super candelábrum pósita, et per Dómini univérsam domum inextinguibile lumen affert, quin pótius filii sanctae matris Ecclésiae surgant et beatissima praédicent, eique dent de fructu manuum suárum, laudéntque eam in portis matris Ecclésiae ópera eius.

Responsorium

Cf. Prov 31, 17. 18; cf. Ps 45 (46), 6

R. Accinxit fortitudine lumbos uos, et roborávit bráccium suum:
* Ideóque lucérrna eius non extinguitur in sempitérnum.
y. Adiuvábit eam Deus vultu suo, Deus in médio eius, non commovébitur. * Ideóque lucérrna.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Simile est regnum caelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas; invénta una pretiosa, dedit ómnia sua et comparávit eam. 3 T. AC2 43*

Oratio

Dómine Deus noster, qui beatæ Birgittæ, Filii tui passiōnem meditanti, secrētæ caelēstia revelasti, da nobis famulis tuis in revelatione gloriæ tuae gaudere laetantes. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Exsultávit cor meum in Dómino, et exsaltatum est cornu meum in Deo meo, quia laetata sum in salutari tuo. vii T. AC2 481

Die 26 iulii

SS. IOACHIM ET ANNAE, PARENTUM BEATAE MARIAE VIRGINISMemoria

Ex antiqua traditione, iam saeculo II inventa, his nominibus appellati sunt parentes beatissimae Virginis Mariae. Sanctae Annae cultus iam a seculo VI in oriente tributus est, diffususque in occidente saeculo X; recentiore aetate sanctus Ioachim exultus est.

Ad Invitatorium

Ant. In honore paréntum sanctae Virginis Mariae * Jubilémus et psallamus Dómino.

HymnusAd Vigilias

1. Ad tuas laudes, Ióachim propinquat
hic chorus noster, celebrátque festum
corde devóto, mémorans, quod ex te
grátia pródit.
2. Vae tibi dictum, stérili tuaeque
cóniugi quondam péperit dolórem:
gaude, cum tandem dédecus sacráta
ábstulit Infans.
3. Virginum virgo facit, orta, toti
gáudium mundo; parit illa quippe
qui necem vincat, tribuens beátae
múnera vitae.
4. Longa te regum séries, ducúmque
ánteit, priscos numerándo patres,
hi Redemptórem procul intuéntes,
tu pater edis.
5. O tui felix ave Condítóris
inter antiquos mage chare patres!
Tu potens, nostraras húmiles, praecámur,
súscipe voces.
6. Glória Patri, genitaéque Proli,
et tibi compar utriúsque semper,
Spiritus alme, Deus unus omni
témpore saecli. Amen.


Lectio altera

Ex Sermónibus sancti Ioánnis Damascéni presbýteri
(Orat. 6 in Nativitatem B. Mariae V., 2. 4. 5. 6:
PG 96, 663, 667, 670)

Ex fructibus eorum cognoscetis eos

Quóniam futúrum erat ut Dei Génetrix Virgo ex Anna nascerétur, na-
tura grátiae germen antevértere non aussa est; sed mansit fructus ex-
pers, dum grátia fructum éderet. Nasci siquidem primogénitam oportébat,
ex qua nascitúrus esset omnis creatúrae primogénitus, "in quo ómnia
constant".

O par beátum Ióachim et Anna! Vobis omnis creatúra obstricta est.
Per vos enim donum ómnium donórum praestantissimum Creatóri óbtulit,
nempe castam matrem, quae sola Creatóre digna erat.



Laetáre, Anna "stérilis, quae non paris: erúmpe et clama, quae non
párturis". Exsúlta, Ióachim, quóniam ex filia tua "puer natus est no-
bis, et filius datus est nobis, et vocábitur nomen eius magni consílīi"
salútis univérsi mundi, "Angelus, Deus fortis". Puer iste Deus est.

O beátum par Ióachim et Anna, immaculatissimum prorsus! Ex fructu
ventris vestri cognoscimini, velut alicubi Dóminus ait: "Ex fructibus
eórum cognoscetis eos". Uti Deo gratum erat, atque ea dignum quae ex
vobis orta est, vitae vestrae rationes instituistis. Casta enim et san-
cta conversatióne vestra virginitatis monile protulistis, eam, quae
ante partum virgo foret, atque in partu virgo nec non virgo post par-
tum; illam, inquam, quae sola semper tum mente tum ánimo, tum étiam
córpore virginitatem cultúra esset.

O castissimum par Ióachim et Anna! Vos castitatem, quam natúrae
lex praescribit, conservantes, ea quae natúram súperant, divinitus
estis consecuti: mundo quippe Dei matrem viri nesciam peperistis. Vos
pie et sancte in humána natúra vitam agéntes, filiam ángelis superiórem
nuncque angelórum dómínam edidistis. O speciosissima dulcissimáque
puélla! O filia Adámi et Dei mater! Beáti lumbi et venter, ex quibus
prodiisti! Beatae ulnae, quae te gestavérunt; lábia item, quibus castis
ósculis frui concéssa es, paréntum nempe dumtáxat tuórum, ut in ómnibus
semper virginitatem cóleres! "Iubiláte Deo, omnis terra, cantáte exsúl-
tate et psálrite". Exaltáte vocem vestram, exaltáte, nolite timére.

Responsorium

Cf. Lc 2, 37. 38; 7, 16

R. Ieiúniis et obsecratióibus Dómino serviébant nocte ac die,
* Exspectantes redemptiōnem Israel.
V. Orábant Deum, ut visitáret plebem suam. * Exspectantes.

vel

Ex "Orationibus sancti Andréae Cretensis episcopi
(In Nativitate B. Mariae V.: PG 97, 814-815)

Ex irriguis arboribus generosus nobis fuctus germinavit

Cum géneris Redéptor, novam prióri nativitatem et fictiōnem succe-
dáneam voluisset exhibére, quemámodum illic luto accépto ex illibáta
virgine terra primum formávit Adam, sic et hic modo, suam ipse incar-
nationem operátus, pro ália terra, ut ita dicam, munda hac prorsusque
immaculáta, de natúra tota élæcta Virgine, novóque modo, quod est no-
strum ex nobis in ea facto, novus Adae factor evásit; ut recens
ille et antiquior saéculis, véteri, saluti esset. Quae autem, et quibus
esset orta paréntibus, age, dicámus succinte, decúrsa ut licuerit hi-
stória.

Nata igitur est universórum gloriatio haec, Dávidis quidem filia,
Ióachim autem semen; et Evae quidem gentilis, Annae vero proles. Ióa-
chim enim vir mitis, modéstus, ac divinis innutritus légibus, cum só-
brie vixisset Deoque constans adhaeréret, ac sic perseveráret, conse-

núerat orbus filiis, natúra quidem végeta, cuius tamen vigóri non responderet donum géreris.

Sed et Anna Dei amans, sóbria quidem et cóntinens, sed stérilis; viri amans, sed carens liberis; nec áliud quam ut legi Dómini honórem habéret, ánimo cágitans, stimulántibus per dies sterilitatis acúleis, et, ut par est áffici quibus non sunt proles, moléstie ferébat, tristabátur, dolébat, non ferens filiórū orbitátem.

Cum sic autem Ióachim uxórque tristaréntur, quod filius deésset, qui familiae adésset, nondum tamen scintillam spei extinxérant; utriúque vero, ut ad suscitándum semen filius präberétur, orábant. Ambo itaque Annam illam imitáti, factam voti cónpotem et exauditam, assidui in templo erant, Deúmque votis supplicibus, ut orbitátem sólveret, fructúmque sterilitati concéderet, provocábant. Nec prius contentionem remisérunt, quam sint facti cónpotes voti. Et vero evasérunt voti cónpotes. Non enim spei negléxit donum ipsius doni auctor.

Sic namque quirítántibus, ac Deo supplicántibus, ócius ádfuit non tarda virtus; illique ad fructus ediciónm, huic ad prolem suscipiéndam vires áddidit; hactenúsque siccátis genitálium organórum méntibus, infuso fecunditatis humóre, ex non genitálibus, genitáles ac fetíficos réddidit; ac iam ex infécundis arentibúsque, ceu irriguis arbóribus, generósus nobis fructus Virgo haec immaculatissima germinávit. Sunt soluta sterilitatis vincula, ac praeter spem orátió genitális appáruit; infécundáque, prolis parens, ac filiis orba, prolem habens.

Is 11, 1. 5. 2

Responsorium

R. Egrediétur virga de stirpe Iesse, et flos de radice eius ascéndet: * Et erit iustitia cingulum lumbórum eius, et fides cinctórium renum eius.

y. Et requiéscet super eum Spiritus Dómini: spiritus sapiéntiae et intelléctus, spiritus consilií et fortitúdinis. * Et erit.

Ad Laudes matutinasHymnus

1. Clarae diéi gáudiis
gestit parens Ecclésia,
Annámque Iudaéae decus
Matrem Mariae cóncinit.

2. Regum piórum sanguini
iungens sacerdótes avos,
illústris Anna spléndidis
vincit genus virtútibus.

5. Deo Patri sit glória,
eiúsque soli Filio
cum Spíritu Paráclito,
et nunc, et in perpétuum. Amen.

3. Caelo favénte, cóntrahit
thori fidélis vinculum:
effoéta dudum córpore
prolem beátam cóncipit.

4. Audit monéntis Angeli
felix parens oráculum:
castóque format péctore
perénne sidus virginum.

Psalmodia

Ant. 1 Nomen sempitérnum dabo sanctis meis, dicit Dóminus, gáudium et laetitiam obtinébunt in aetérnum. vii T. AM 980

Ant. 2 Gaude, pater magnae prolis, ex te enim procéssit rútilans stella summi solis. ii T. SAC 25

Ant. 3 Iucundáre génetrix Mariae, quae virgo Deum péperit, et mater est Messiae. iv T. SAC 25

Ant. 4 Ecce véniet Deus et homo de domo David sedére in thróno, allelúa. i T. AC2 10

Ant. 5 Iusti confitebúntur nómini tuo, et habitábunt recti cum vultu tuo. i T. AM 980

Lectio brevis

Is 55, 3

Inclináte aurem vestram et venite ad me; audite, ut vivat ánima vestra, et fériam vobiscum pactum sempitérnum, misericórdias David fidéles.

Responsorium breve

R. Per viscera misericórdiae suae, * Visitávit nos Dóminus. Per viscera.

y. Ex sémine David edúxit salvatórem Iesum. * Visitábit.

Ad Benedictus, ant. Eréxit Dóminus nobis cornu salútis in domo David púeri sui. vii T. PsC 95

Preces de Communi sanctorum virorum vel de feria currente.

Oratio

Dóminus, Deus patrum nostrórum, qui beátis Ióachim et Annae hanc grátiam contulisti, ut ex eis incarnáti Fílli tui Mater nascerétur, utriúsque prémibus concéde, ut salútem tuo promissam pópulo consequámur. Per Dóminum.

Ad Horas Minores

Omnia de feria currente.

Ad VesperasHymnus

1. Orbis exáltans célebret hoc festum
prósequens Annam matrem Matris Christi,
quam sacris credit áctibus adéptans
gáudia vitae.

2. Abrahae proles, sacerdótum semen,
filia regum, spécimen Hebraéum,
stirpem sanctórum méritis et vita
nobilitávit.

3. Stérili ventre prius infoecúnda,
nutu divino péperit Mariam
Dóminam rerum, titulum florémque
virginitátis.

4. Hac mediánte, Iesu Christe, nostros
terge reáetus, nónia propúlsans,
Filiae suae, tuae Matris prece,
propitiáutus.

5. Donet hoc nobis pietas Patérrna
simul cum Nato, Spiritúque sancto:
ut matris Annae prémibus iuvémur
tempus in omne. Amen.

Psalmodia

Ant. 1 Laudémus virum gloriósūm in generatióne sua, quia benedictiōnem
ómniū géntium dedit illi Dóminus, et testaméntū suūm confirmávit su-
per caput eius. i T. SAC 24

Ant. 2 Caeléste beneficium introívit in Annam, de qua nata est nobis
pia Virgo Maria. iii T. SAC 25

Ant. 3 Ego sum Deus patrum vestrórūm, dicit Dóminus: videns vidi af-
flictiónem pópuli mei, et gémitus eius audivi, et descéndi liberáre
eos. 3 T. AM 982

Ant. 4 Inclyta stirps Iesse virgam prodúxit amoénām, de qua procéssit
flos miro plenus odore. i T. Hauterive 8

Ant. 5 Sapiéntiam sanctórum narrant pópuli, et laudes eórum pronúntiat
omnis ecclésia. iv T. AM 981

Rom 9, 4-5

Lectio brevis

Sunt Israelitae, quórum adóptio est filiórūm et glória et testamén-
ta et legislatio et cultus et promissiónes, quórum sunt patres, et ex
quibus Christus secúndum carnem: qui est super ómnia Deus benedictus
in saécula. Amen.

Responsorium breve

R. Suscépit Israel púerum suum, * Recordátus misericórdiae suae.
Suscépit.

y. Sicut locútus est ad patres nostros. * Recordátus.

Ad Magnificat, ant. O Ióachim et Anna, qui genuistis prolem quae erat
paritúra mundi Redemptórem; gaudéte sine fine, et pro nobis preces por-
rigite Regi caelórum. ii T. SAC 24

Preces de Communi sanctorum virorum vel de feria.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Die 29 iulii

SS. MARTHAE, MARIAE ET LAZARI, hospitum Domini

Memoria

Maria, Martha et Lazarus amici Domini eum libenter in suam do-
mum Bethania prope Hierosolymam suscepérunt. Iesus Martham circa
ministerium nimio satagentem admonuit unum necessarium esse audire
Verbum Dei. Affirmavít quoque ubicumque fuerit nuntiatum Evangelium
propheticam unctionem Mariae memoriae traditum iri. S. Bernardus
in modo vivéndi trium horum fratrum perfectionem monasticae fami-
liae intuitus est.

Ad Invitatorium

Ant. Deum, qui cum hominibus conversátus est, * Venite adorémus.

Ad VigiliasHymnus

- | | |
|---|---|
| 1. Vos gratulántes pángimus,
Martha, María, Lázare,
qui meruistis saépius,
Christum domi recipere. | 4. Captúro mortis trámitem
dante soróre arómata,
Extrémi tu servitii
vigil donásti múnera. |
| 2. Martha, libénter Dóminum
curis ornábas sédulis,
in plúrima sollicita
amóris dulci stimulo. | 5. Magistri, fácite, hóspites,
corda sint nostra férvida,
ut illi gratae iúgiter
sint sedes amicitiae. |
| 3. Pascis dum laeta hóspitem,
soror ac frater ávide
possunt ab illo grátiae
vitaéque cibum súmere. | 6. Sit Trinitati glória
quae nos in domum caélicam
admitti tandem tribuat,
vobiscum laudes cánere. Amen. |

Lectio altera

Ex Sermónibus sancti Bernárdi abbátis Claraevallén sis
(Sermo 3 in Assumptione B.M.V.: Opera omnia, Edit. Cist. V, 238-243)

De exemplis domus Marthae et Mariae

"Intrávit Iesus in quoddam castéllum, et múlier quaedam, Martha nómine, excépit illum in domum suam". Quid est, fratres, quod e duábus soróribus, tantum áltera Dóminum légitur excépsisse, et ea ipsa quae vidétur inférior? "Optimam enim partem élégit" Maria, teste ipso quem Martha suscépit. Martha in domum suam éxcepit Salvatórem in terris; Maria pótius cágitat quemámodum suscipiáatur ab eo in domo non manufacta, aetéerna in caelis. Forte tamen et ipsa Dóminum suscepisse vidéatur, sed in spiritu: "Dóminus enim spíritus est".

"Martha autem satagébat circa frequens ministérium. Quae stetit et ait: Dómine, non est tibi curae, quod soror mea réliquit me solam ministráre? Putas in domo, in qua Christus suscipitur, vox murmuratiōnis audiétur? Felix domus, et beáta semper congregatio est, ubi de María Martha conquéritur. Nam Mariae Martham aemulári prorsus indignum, prorsus illicitum est. Absit, absit, ut qui Deo vacat, ad tumultuósam aspiret fratrū officiálium vitam. Martha semper insufficiens sibi et minus idónea videáatur, áliisque magis in óperis quod administrat optet impóni. Respóndit autem ei Iesus: "Martha, Martha, sollicita es, et turbáris erga plúrima". Vide praerogativam Mariae, quem in omni causa hábeat advocátum.

Sed considerémus, fratres, quemámodum in hac domo nostra tria haec distribúerit ordinatio caritatis, Marthae administratiōnem, Mariae contemplatiōnem, Lázari paenitētiā. Habet haec simul quaecumque perfécta est ánima; magis tamen vidéntur ad singulos singula pertinére, ut álii vident sanctae contemplatiōni, álii dediti sint fraterne administratiōni, álii in amaritúdine ánimae suae recógitent annos suos, tamquam vulneráti dormiéntes in sepúlcris. Sic plane, sic opus est, ut María pie et sublimiter séntiat de Deo suo, Martha benigne et misericórditer de próximo, Lázarus misere et humiliter de seipso. Gradum suum quisque consideret.

Némini nos blándimur; útinam nec vestrum quispiam se sedúcat! Quibus enim nulla crérita est dispensatio, administratio nulla commissa, his omnino sedéndum erit, aut secus pedes Iesu cum María, aut certe cum Lázaro intra saepa sepúlcri. Quidni erga multa turbétur Martha, quae sollicita est pro multis? Tibi vero cui necéssitas haec non incúbit, e duóbus unum est necessárium: aut non turbári pénitus, sed delectári magis in Dómino; aut, si id necdum potes, turbári non erga plúrima, sed, ut de se Prophéta lóquitur, ad te ipsum.

Quibus ita sollicitis circa frequens ministérium, videat María quemámodum vacet, et videat "quóniam suávis est Dóminus". Videat, inquam, quam devóta mente, quam tranquillo sédeat ánimo secus pedes Iesu, próvidens eum semper in conspéctu suo et verba ex ore eius excipiens, cuius et aspéctus delectabilis, et eloquium dulce. Simplex esto, non tantum sine dolo et simulatione, sed absque multiplicitate occupationum, ut tecum sit sermocinatio eius, cuius et vox dulcis, et fácies decóra.

Responsorium

Cf. Lc 10

R. Martha excépit Iesum et satagébat circa frequens ministérium;

Maria autem sedens secus pedes Dómini audiébat verbum illius.

* Maria óptimam partem élégit, quae non auferétur ab ea.

y. Martha, Martha, sollicita es et turbáris erga plúrima, porro unum est necessárium. * Mariam óptimam.

vel

Ex "Institutione inclusárum" sancti Aelrédi abbatis Rievallénsis
(Opera omnia, CC CM, vol. I, 660-661. 667)

Sacratissima foedera amicitiae auctoritate Domini consecrantur

Duae soróres erant, Martha et María. Laborábat illa, vacábat ista. Illa erogábat, ista petébat. Illa praestábat obséquium, ista nutriébat afféctum. Dénique non ámbulans vel discurrens huc atque illuc, non suscipiéndis hospitibus sollicita, non cura rei familiáris disténta, non páuperum clamóribus inténta, sedébat ad pedes Iesu, et audiébat verbum illius. Exequátur partem suam Martha, quae licet non negétur bona, Maríae tamen mélior praedicátur. Numquid invidit Marthae María? Illa pótius isti.

Sed exeúndum est hinc et ad Bethániam veniéndum, ubi sacratissima foedera amicitiae auctoritaté Dómini consecrántur. Diligébat enim Iesus Martham et Mariam et Lázarum. Quod ob speciális amicitiae privilégium qua illi familiári adhaerébant afféctu dictum, nemo qui ambigat. Testes sunt lácrimae illae dulces, quibus collacrimátus est lacrimántibus, quas totus póplus amóris interpretabántur indicium, "Vide, inquiens, quómodo amábatur eum".

Et ecce fáciunt ei cenam ibi, et Martha ministrábat, Lázarus autem unus erat ex discumbéntibus, María autem sumsis alabástrum unguénti, et fracto alabástro, éffudit super caput Iesu.

Gaude, quaeso, huic interésse convivio; singulórum distingue officia: Martha ministrábat, discúmbit Lázarus, ungit María. Hoc últimum tuum est. Frange igitur alabástrum cordis tui, et quidquid habes devotiónis, quidquid amóris, quidquid desidérii, quidquid affectionis, to-tum effunde super Sponsi tui caput, adórans in Deo hóminem, et in hómine Deum.

Si fremit, si mürmurat, si invidet próditor, si perditionem vocat devotiónem, non sit tibi cura. "Ut quid, ait, perditio haec? Posset hoc unguéntum venuemdári multo, et dari paupéribus". Pharisaéus mürmurat, invidens paenitenti; mürmurat Iudas, invidens unguénti. Sed iudex accusatiōnem non recépit, accusátam absólvit. "Sine, inquit, illam, bonum enim opus operáta est in me". Labóret Martha, ministret, paret hospitium peregrino, esuriénti cibum, sitiénti potum, vestem algénti. Ego solus Mariae, et illa mihi, mihi totum praestet quod habet a me quidquid optat exspéctet.

Quid enim? Tu ne Mariae cónsulis relinquéndos pedes, quos tam dúciter osculátur! Averténdos óculos ab illa speciosissima fácie quam contemplátur, amovéndum auditum ab suávi sermóne quo reficitur?

Responsorium

Io 11, 5. 23. 25. 21

R. Diligébat Iesus Martham et sorórem eius Mariam et Lázarum.
 * Resúrget frater tuus. Ego sum resurréctio et vita.
 V. Dómine, si fuisses hic, frater meus non esset mórtuus. * Re-
 súrget frater.

Ad Laudes matutinasHymnus

1. Quas tibi laudes ferimusque vota,
 nos tuis possint méritis iuváre,
 Martha, quam mire sibi corde iungit
 Christus amico.
2. Te frequens visit Dóminus tuáque
 in domo degit plácida quiéte
 ac tuis verbis studiisque laetans
 teque ministra.
3. Tu prior fratrem quaéreris perisse,
 cumque germána lacrimáta multum,
 áspicis vitae súbita Magistri
 voce redire
4. Quae de fide prompta stábilem fatéris
 spem resurgéndi, Dómino probánte,
 impetra nobis cúpide in perénne
 pérgere regnum
5. Laus Deo Patri, Genítóque virtus,
 Flámini Sancto párilis potéstas,
 glóriam quorum pétimus per aevum
 cérnere tecum.


Psalmodia

Ant 1 Intrávit Iesus in quoddam castéllum; et múlier quaedam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. 4 T. Hauterive 2

Ant 2 Satagébat igitur Martha soror Mariae circa ministéria; Maria autem sedens secus pedes Dómini, audiébat verba oris eius. vii T. Hauterive 3

Ant. 3 Optimam partem elégit sibi Maria, quae non auferétur ab ea.
 viii T. Hauterive 3

Ant. 4 Lázarus amicus noster dormit: eámus, et a somno excitémus eum.
 i T. AC2 146



Ant. 5 Dómine, si hic fuisses, Lázarus non esset mórtuus: ecce iam foetet quatriodiánus in monuménto. i T. AC2 147

Lectio brevis

Rom 12, 6a. 10-11. 12c. 13b

Habéntes donationes secúndum grátiam, quae data est nobis, diffe-
 rentes: caritáte fraternitatis invicem diligéntes, honore invicem pree-
 veniéntes, sollicitúdine non pigri, spiritu fervéntes, Dómino servién-
 tes, oratióni instántes, hospitalitatēm sectántes.

Responsorium breve

R. Laetámini in Dómino * Et exsultáte, iusti. Laetámini.
 V. Gloriámini, omnes recti corde. * Et exsultáte.

Ad Benedictus, ant. Videns Dóminus flentes soróres Lázari ad monumén-
 tum, lacrimátus est coram Iudaéis, et clamábat: Lázare, veni foras;
 et pródiit ligátis mánibus et pédibus, qui fúerat quatriodiánus mórtuus.
 i T. (Heiligenkreuz)

Preces

Christum Deum sanctum exaltémus, orántes ut serviámus illi in sanc-
 titáte et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris, et acclamé-
 mus:

Tu solus sanctus, Dómine.

Dómine Iesu, qui voluisti ministráre, non ministrári,
 - fac nos tibi et frátribus humiliiter servire.

Dómine Iesu, qui nos omnes ad perfectionem caritatis vocásti,
 - praesta, ut res temporáles nos a te numquam ábstrahant.

Dómine Iesu, magister, quem María audiébat, quem Martha serviébat,
 - concéde nobis, ut in fide et caritáte serviámus tibi.

Dómine Iesu, qui fratrem, sorórem et matrem appellásti omnes
 tuam voluntátem faciéntes,
 - concéde nobis ut tibi semper verbis complaceámus et actis.

Dómine Iesu, splendor glóriae Patri et figura substántiae eius,
 - fac, ut in glória vultum tuum respiciámus.

Pater noster.

Oratio

Deus, qui Filio tuo in Bethániae domo dilectionem amici, ministrán-
 tis sedulitatem, audiéntis diligéntiam comparásti, da nos eidem Magí-
 stro et meditationis ardóre et opéribus semper caritatis haerére, ut

óculis suis acceptábiles in suae nos tandem domum beatitúdinis introdúcat. Per Dóminum.

vel

Deus, cuius Filius de sepúlcro ad vitam Lázarum revocávit, et in domo Marthae dignátus est hospitári, da nobis, quaésumus, ut, ipsi in frátribus nostris fidéliter ministráentes, cum Maria verbi eius meditátione pasci mereámur. Qui tecum.

Ad Horas Minores

Omnia de feria currente.

Ad Vesperas

Hymnus ut ad Vigilias.

Psalmodia

Ant. 1 Ante sex dies Paschae venit Iesus Bethániam: fecérunt autem ei cenam, et Martha ministrábat, Lázarus vero unus erat ex discumbéntibus cum eo. i T. Hauterive 12

Ant. 2 Maria ergo unxit pedes Iesu, et extérsit capillis suis, et domus impléta est ex odore unguénti. vi T. AC2 434

Ant. 3 Quid molésti estis huic mulieri? opus enim bonum operáta est in me. i T. AC2 155

Ant. 4 Mittens haec mélíer in corpus meum hoc unguéntum, ad sepeliéndum me fecit. i T. AC2 155

Ant. 5 Ubi fratres in unum glorificant Deum, ibi dabit Dóminus benedictiónem. vii T. PC 30

Lectio brevis

Ap 3, 20


Ecce sto ad óstium et pulso. Si quis audierit vocem meam et aperuérit iánuam, introibo ad illum et cenábo cum illo et ipse mecum.

Responsorium breve

R. Oculi mei ad fidéles terrae, * Ut sédeant mecum. Oculi.

V. Ambulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat. * Ut.

Ad Magnificat, ant. Diligébat Iesus Martham et sorórem eius Mariam et Lázarum fratrem eius. viii T. Hauterive 9



Preces

Implorémus Patrem, fontem omnis sanctitatis, ut, per sanctórum exempla et intercessiónem, ad vitam sanctam nos perdúcat, et dicámus:

Sancti simus, quia tu sanctus es.

Pater sancte, qui voluisti ut filii tui nominémur et simus,
- fac ut te per orbem terrárum sancta confiteátur Ecclésia.

Pater sancte, qui voluisti ut ambulémus digne tibi per ómnia placentes,
- da, ut in ópere bono fructificémus.

Pater sancte, qui nos tibi reconciliásti per Christum,
- serva nos in nōmine tuo, ut omnes unum simus.

Pater sancte, qui nos ad caeléste vocásti convivium,
- per panem, qui de caelo descéndit, praesta nobis, ut caritátem pleniórem conseguí valeámus.

Pater sancte, qui per Filium tuum ex mórtuis suscitásti,
- defúnctos in regnum beatitúdinis admitte.

Pater nostér.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Die 19 augusti

B. GUERRICI IGNIACENSIS, abbatis O.N.

Memoria

Guerricus Tornaci in Gallia Belgica intra annum 1070 et 1081 natus, magister scholarum et canonicus effectus est. S. Bernardi videndi causa et prædicationis illius commotus quadraginta plus annorum in Claravalle anno circiter 1122 discipulus eius factus est. Post septemdecim annos electus est abbas monasterii Igniacensis in dioecesi Rhemensi anno 1138. Hoc munus cum humilitate suscipiens valde operam dedit ut magis prodesset quam praeesset. Eius sermones quos collectos habemus fideliter demonstrant quomodo Iesus ad Mariam in nobis informetur et convalescat. Aliud opus edidit "De languore animae amatis" inscriptum. Guerricus anno 1157 die 19 augusti de vita decessit.

De Communi Sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Lectio altera

Ex Sermónibus beáti Guerrici abbátis Ignaciensis
(In diebus rogationum: PL 185, 151-152)


Non debet praeesse qui non potest prodesse

"Cómoda mihi tres panes". Amici venérunt ad nos de via, sed non hábeo quod ponam ante illos. Non sum médicus, et in domo mea non est panis; ideo dicébam ab initio: "Nolite me constitúere principem". Non enim debet praeesse, qui non potest prodésse. Quómodo autem prodésse potest, qui nec médicus est, nec panem in domo habet, id est, nec artem novit qua sciat curáre, nec doctrinam habet qua sufficiat pásccere? Haec quidem dicébam; sed, heu! non audistis me: principem enim constituistis me.

Supérerat igitur ut, quia non pótuit effúgere periculum, confúgerem ad remédium, et audirem super hoc illud Sapiéntis consilium: "Principem te constituérunt; esto inter illos quasi unus ex ipsis". Sed vae mihi! neque hoc ipsum relictum est mihi. Sicut enim imperitia próhibet esse super álios, sic imbecillitas non pátitur inter álios esse; et sicut spiritu non sufficio ad ministrandum verbum, sic corpore deficio ad praebendum exémplum. Qui igitur idóneus non sum nec praeesse, nec coésse; ubi pótero esse nisi últimum et tutissimum éligam locum, scilicet me sentiéndo; nihilque me próhibet, immo plúrimum véritas ipsa monet, subésse cunctis ánimo, licet praeesse cogar officio.

Tu, Dómine Deus, ipse es qui et subésse mones, et nihilominus praeesse iubes; a te expésto, a te exspécto ut húmilem simul et útilem iniúncto me fácias ministério: húmilem, vera de me sentiendo; útilem, recte de te loquéndo. Illud inspira cordi, hoc ministra ori. Da sermórem rectum et bene sonántem in aperitióne oris mei, qui dixisti: "Aperi tuum et implébo illud", ut omnis familia tua benedictiōnibus impleatur.

Ecce venérunt amici, mei quidem amici, sed ámplius tui. Non hábeo quod ponam ante illos, nisi commodatum fúerit ab álio. Et quis álius aequa dives aut liberális ad praestándum, sicut Dóminus ómnium, dives in omnes qui invocant illum; qui áperit manum suam, et implet omne ánimal benedictiōne, qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat. Tu ergo, Dómine, cómoda mihi tres panes, unde reficiántur amici, ne, si dimisero eos ieíunos, deficiant in via, et tunc vocer in causam pro eis, et dicátur mihi: "Párvuli petíerunt panem, et non fuit qui frángere eis". Cómmoda, Dómine, quod in lucrum tuum proficiat, recepturus útique cum tibi placuerit, quod tuum est, cum usúra. Cómmoda, inquam, tres panes, si placet; aut certe quodcúmque placet, quantulúmque fúerit, etiámsi bucéllea panis sufficiet in quantálibet millia, si tantum benedicas.

Ad VigiliasResponsorium

Sir 47, 9-10; Col 1, 25

- R. Dedit confessiómem Sancto et Excélsio in verbo glóriae. De omni corde laudávit Dóminum, * Et diléxit Deum qui fecit illum.
y. Ecclésiae factus sum minister secundum dispensatiómem Dei ut impleam verbum Dei. * Et diléxit.

vel

Ex Exordio Magno Ordinis Cisterciénsis
(Edit. Cist. 1961, 163-166)

Ignitum eloquium Guerrici movet, afficit et accendit legentem

Sanctae recordatiónis dominus Guerricus, quondam abbas Ignaci, dum adhuc sub disciplina beáti Bernárdi mónachus esset in Claraválle et regálibus sacrae ubéribus lactarétur, haut degenerem se tanti patris filium móribus et vita probábat. Tanto síquidem sublimius arcem virtútum concéndere didicerat, quanto sécretius magno Dei múnere de incorruptionis titulo testimónio consciéntiae gloriabátur.

Venerabilis Guerricus factus abbas Ignaci, qualem se exhibuerit, quam strénue officium sibi commissum adimpléverit, non est nostrae parvítatis edicere. Plane quam sanae et ubéris doctrinæ fúerit, luculentissimi atque discretissimi et vere spiritáles sermónes eius, quos in sollemnitáibus praecipuis in convéntibus fratrum fecit et a cantóre eiúsdem ecclésiae excépti sunt, manifésté declarant.

Céterum supérnus ille ártifex, qui pressúris et tunsiónibus váriis solet polire vasa misericórdiae, continuis et grávibus infirmitatibus hunc fámulum suum laborare permisit. Quas ille incommoditátes patientissime tolerábat. In hoc tamen nimis contristabátur et semetipsum valde humiliábat, quod paene continue convéntum fratrum desérere et in infirmitório iacere causa debilitatis suae cogebátur, nec pótterat ita frátribus suis exéplum cotidiáni labóris praebére, sicut verbum sanctae praedicationis impéndere. Verum quidquid minus habébat de exercitio corporáli, totum sincérae pietatis afféctus et ardens in Deum devótio supplébat.

Cum autem fidélis Dómini servus Guerricus fidelissima distributióne consérvis suis annóna Dómini sui dispertita plenus diérum et virtútum transitúrus esset de hoc mundo ad Patrem, tactus aegritúdine ipsiúsque aegritudinis moléstia ingravescénte ad extréma dedúctus est. Curiósius vero cunctos ángulos consciéntiae suae eo discutiénte, ne quid forte esset pérperam gestum et inemendátum districtum sibi iúdicem offénsum rédderet, recordátus libélli sermónum, quem fécerat, simúlque memóriæ occurrít patres statuisse nullum absque Capituli Generális licéntia libros fácere debére. Et gráviter ingemiscens convocatis frátribus dixit: Libéllum nempe sermónum, quem rogátu vestro dictávi, temerárie nimis absque Capituli Generális licéntia édere praesumpsi. Quapropter quantócius illum afferéntes igne cremáte, ne pro culpa inoboediéntiae ultricibus gehénnæ flammis tradar consuméndus.

Dei vero providéntia áccidit, ut iam in áliis quatérnulis transcriptus esset liber, Deo áliquid mélius pro nobis et hoc disponénte, ne vidélicet sancta ecclésia ipsius et parecipue Cisterciénsis Ordo tantae eruditiónis grátia privarétur. Mirábili namque temperaménto ita litterális sciéntia lepos in volúmene illo tumet et christiánae simplicitatis humilitas sic in eo respléndet, ut non modo minime onerósus, verum étiam gratiósus valde sit legéntibus. Porro ignitum eloquium Dómini veheménter, quod in sermonibus illius invenitur, ita movet, afficit et accéndit legéntem, ut duríssimus corde sit, qui non ex eórum lectióne compúnctus ad meliória profícere stúdeat.

Responsorium

Ps 72 (73), 28. 26. 24

R. Mihi adhaérere Deo bonum est, pónere in Dómino Deo meo spem meam. * Deus cordis mei, et pars mea Deus in aetérnum.
V. In consilio tuo dedúces me et póstea cum glória suscipes me.
* Deus cordis mei.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Omnis qui se exáltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. viii T. AC2 271

Oratio

Deus, qui beátum Guerricum abbátem doctrina, humilitáte et in adversis constántia decorásti, praesta, quaésumus, nobis, sic eius mónta et exémpla sectári in terris, ut cum ipso in caelis aetérnam indúere glóriam mereámur. Per Dóminum.

Die 20 augusti

**SANCTI PATRIS NOSTRI BERNARDI
ABBATIS CLARAEVALLENSIS ET ECCLESIAE DOCTORIS**

Sollemnitas

Fontanis prope Divionem anno 1090 vel 1091 natus, Cisterciúm cum suis quinque fratribus et consanguineis amicisque multis anno 1113 ingréssus est. Anno 1115 munus condendae Claraevallensis abbatiae suscipiens perfecit. Mysticis scriptis ac praedicatione Ecclesiam illis temporibus summopere incitavit ac illustravit, cuius "conscientia" appellatus est. Tempore eius decessus -- die 20 augusti anni 1153 --, Ordo Cisterciensis et præsertim abbatia Claraevallis in tota Europa filiations plurimas habuit. Ipse Bernardus copiosam doctrinam Scriptura et collationes Patrum inbutam nobis reliquit. Pius Papa VIII anno 1830 eum Doctorem Ecclesiae declaravit, titulum autem "doctoris egregii" ei iam Innocentius Papa III attribuit.

Ad I VespertasHymnus

1. Bernárdus Doctor inclytus caelos concéndit hódie: quem attráxit divinitus splendor Patérnae glóriæ.
2. Exsúltet caelum láudibus de Bernárdi consórto: quem coniúngis caeléstibus, Iesu, nostra redémpcio.
3. Rufum dorso per cátulum præfigurásti puerum fore Doctórem sédulum, Cónditor alme siderum.
4. Nascéntis ei cláruit clara Christi nativitas: hoc a te donum hábuit, o lux, beáta Trinitas!
5. Arcána sacrae páginæ declárat, et mystérium quod effécit in Virgine Deus créator ómnium.
6. Rore perfúsuum grátiae monstrat dulcor eloquii: per te fons sapiéntiae, summi Largitor praémii.
7. Deténtos a daemónibus sanat, morbos languéntium curat, confert doléntibus magnum salútis gáudium.
8. Vita vivit feliciter cum Maria Christifera, cum qua degústat dulciter aetéerna Christi múnera.
9. Summae Deus poténtiae, tibi sit laus, et glória; da, post cursum misériae, beáta nobis gáudia. Amen.

Psalmodia

Ant. 1 Beátus Bernárdus ab infántia spiritum sortitus est bonum, per quem erat puer dócilis et amábilis valde. i T. AC2 472

Ps 109 (110).

Ant. 2 In disciplina morum profectúque virtútum, super docéntes se in brevi enituit unctióne magistra. ii T. AC2 472

Ps 112 (113).

Ant. 3 Crescénta aetáte, crescébat simul sapiéntia et grátia apud Deum et hómines. iii T. AC2 472

Ps 146 (147).

Ant. 4 Hódie, pósito córpore, Pater sanctus dives méritis penetrávit in sancta, similis factus in glória sanctórum. iv T. AC2 473

Ps 147 (147).

Ant. 5 In testaméntis pacis stetit semen illius, et usque in aetérnum
pémanent glória eius. v T. AC1 370

Cant Ap 11, 17-18; 12, 10b-12a.

Lectio brevis

Ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non per sublimitátem sermó-
nis aut sapiéntiae annúntians vobis mystérium Dei. Non enim iudicávi
scire me áliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifixum. Sa-
piéntiam autem lóquimur inter perféctos, sapiéntiam vero non huīus saé-
culi, sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quae abscondita est,
quam praedestinávit Deus ante saecula in glóriam nostram.

Responsorium

R. Beatus Bernárdus quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide
pretioso, fluénta grátiae propinávit in pópulo: * Et accépit
stolam glóriæ in consummatiōne virtutis.

V. Factus est quasi ignis effúlgens, et quasi thus rédolens in
diébus aestatis. * Et accépit.

Ad Magnificat, ant. Magnificávit sanctum suum Dóminus, et dedit illi
sciéntiam sanctórum, ut consummaréntur in bonum ópera eius, et pax Dei
super eum in aetérnum. i T. AC2 474

Preces

Iesum, qui sperántes in se non derelinquit húmili deprecatione ro-
gémus:

Deus noster, exaudi nos.

Ut secúndum exéplum sancti Bernárdi solliciti simus pro sancta
Ecclésia, ut in se unita ad pacem inter gentes fovéndam plúrime
cónferat:

Deus noster, exaudi nos.

Ut tibi intime coniúncti fidéles verbo et oratiōne assidua in fide
sustentémus:

Deus noster, exaudi nos.

Ut cum eis, qui témpore praeſénti se veneratiōni Beatae Mariae Vir-
ginis dédicant, libénter cooperémus:

Deus noster, exaudi nos.

Ut nos caritatē erga Deum et erga consodáles ita ferveámus, ut ado-

1 Cor 2, 1-2. 6-8



lescentuli et adolescentulae ad vitam monásticam amplecténdam
alliciántur:

Deus noster, exaudi nos.

Ut nostris propinquis et benefactóribus concédas próspera cuncta
et illis benedictiōnem et vitam tribuas usque in saéculum:

Deus noster, exaudi nos.

Pater noster.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Invitatorium

Ant. In confessiōne laudis adorémus Dóminum, * Qui stola glóriæ con-
fessórem suum decorávit Bernárdum. iv T. AC1 369

Ad Vigilias

Hymnus

1. Bernárde, gemma caélitum,
laudes, tibi quas pángimus,
in nostra verte gáudia
salútis atque múnera. 3. Almus dedit te Spiritus
os veritatis prófluum
et angelórum pábuli
arcána mella próferens.

2. Te Christus ussit intimo
dilectionis vúlnere
Sponsaéque fecit próvidus
scutum, colúmnam, lámpada. 4. Amoris aestu cándidi
te Virgo Mater imbuit,
quam nemo te facundiā
vel paredicávit áltius.

5. Sit Trinitati glória,
quae se vidéndam lárgiens,
tecum benigna gáudio
nos det perénni pérfrui. Amen.

Psalmodia I Nocturni

Ant. 1 Viae Viri sancti viae pulchrae, et omnes sémitae eius pacifi-
cae, quia lignum vitae apprehéndit. i T. AC1 369

Ps 1.

Ant. 2 Sémitas iustitiae viásque sanctórum custódiens Vir beátus, cur-
sum vitae in pace consummávit. ii T. AC1 370

Ps 2.

Ant. 3 Benedictio Dómini super caput iusti, memoria eius in saécula saeculórum. iii T. AC1 370

Ps 5.

Ant. 4 Consúrgens dilúculo quaesivit bona Pater sanctus, quasi florens lílum germinávit. iv T. AC1 370

Ps 8.

Ant. 5 In testaméntis pacis stetit semen illius, et usque in aetérnum pérmanet glória eius. v T. AC1 370

Ps 14 (15).

Ant. 6 Exaltávit Dóminus in aetérnum cornu Christi sui, et dedit illi testaméntum vitae, et sedem glóriæ suaæ. vi T. AC1 371

Ps 15 (16).

V. Audies de ore meo verbum.

R. Et annuntiábis eis ex me.

Lectio prima

Sap 7, 28 - 8, 13

De libro Sapiéntiae

Sapientiam amavi et exquisivi a iuventute mea

Nihil diligit Deus, nisi eum qui cum sapiéntia inhábitat. Est enim haec speciósior sole et super omnem dispositionem stellárum; luci comparata invénitur splendidior: illi enim succédit nox, sapiéntiam autem non vincit malitia.

Attingit ergo a fine usque ad finem fórtiter et dispónit ómnia suáviter. Hanc amávi et exquisivi a iuventute mea et quaesivi sponsam mihi eam assúmere et amátor factus sum formae illius. Generositátem suam glorificat contubérnium habens Dei, sed et ómnium Dóminus diléxit illam.

Doctrrix enim est disciplinae Dei et eléctrix óperum illius. Et si divitiae sunt desiderábilis posséssio in vita, quid sapiéntia locuplétius quae operátur ómnia? Si autem sensus operátur, quis horum, quae sunt, magis quam illa est ártifex!

Et, si iustitiam quis diligit, labóres huius sunt virtútes: sobrietátem enim et prudéntiam docet, iustitiam et fortitudinem, quibus utilius nihil est in vita homínibus. Et, si multam peritiam desiderat quis, scit praetérita et futúra cónicit, novit versútias sermónum et solutiōnes aenigmatum, signa et monstra scit, ántequam fiant, et eveniētus momentórum et témporum.

Propósui ergo hanc addúcere mihi ad convivéndum, sciens quóniam erit mihi consiliária bonórum et consolatió sollicitúdinum et taéddii.



Habébo propter hanc claritátem ad turbas et honórem apud seniores iúvenis; acútus invéniar in iudicio et in conspéctu poténtium admirábilis ero.

Tacéntem me sustinébunt et loquéntem me respíciant; et, sermocinante me plura, manus ori suo impónent. Habébo per hanc immortalitátem et memoriā aetérnam his, qui post me futúri sunt, relinquam.

Responsorium

Cf. Sap 8, 10

R. Habébat Pater venerábilis in sapiéntia doctrinae claritátem ad turbas: * Et fácies principum admirabántur eum.

V. In vultu poténtium amábilis erat, et memoriā sui reliquit pósterioris in benedictiōne. * Et fácies.

Psalmodia II Nocturni

Ant. 1 Quasi oliva púllulans, et cypréssus in altitúdine se tollens: sic Vir beátus ad glóriam sanctitatis ascéndit. vii T. AC1 374

Ps 23 (24).

Ant. 2 Porréxit manum suam Vir sanctus in libationem altáris, et de sanguine uvae effúdit odórem divinum excélsò Principi. viii T. AC1 375

Ps 32 (33).

Ant. 3 Ampliávit gentem suam Vir iustus, adéptus glóriam in conversatiōne eius. i T. AC1 375

Ps 33 (34).

Ant. 4 Honorávit Deum Vir sanctus in opéribus suis, et in oblectatiōne suscéptus est ab eo. ii T. AC1 375

Ps 64 (65).

Ant. 5 Extulit manus suas Pater venerábilis dare glóriam Deo a lábiis suis, et in nōmine ipsius gloriári. 3 T. AC1 376

Ps 83 (84).

Ant. 6 Dedit Dóminus Sancto suo iucunditátem cordis, fieri pacem in diébus suis in pópulo Dei. iv T. AC1 376

Ps 91 (92).

V. Os iusti meditábitur sapiéntiam.

R. Et lingua eius loquéatur iudicium.

Lectio secunda

Ex Sermónibus sancti Bernárdi abbátis Claraevallénsis
super Cántica Canticórum
(Sermo 83, 4-6: Opera ómnia, Edit. Cist. II, 300-302)

Amo quia amo, amo ut amem

Amor per se súfficit, is per se placet, et propter se. Ipse méritum, ipse praémium est sibi. Amor praeter se non requirit causam, non fructum: fructus eius, usus eius. Amo quia amo; amo ut amem. Magna res amor, si tamen ad suum recúrrat principium, si suae origini rédditus, si refúsus suo fonti, semper ex eo sumat unde iúgiter fluat. Solus est amor ex ómnibus ánimae mórbib, sénsibus atque afféctibus, in quo potest creatúra, etsi non ex aequo, respóndere Auctóri, vel de simili mítuam repéndere vicem. Nam cum amat Deus, non áliud vult, quam amári: quippe non ad áliud amat, nisi ut amétur, sciens ipso amóre béatos, qui se amáverint.

Sponsi amor, immo Sponsus amor solam amóris vicem requirit et fidem. Liceat proinde redamáre diléctam. Quidni amet sponsa, et sponsa Amoris? Quidni amétur Amor?

Mérito cunctis renúntians affectiónibus áliis, soli et tota incúnbit amóri, quae ipsi respóndere amóri habet in reddéndo amórem. Nam et cum se totam effúderit in amórem, quantum est hoc ad illius fontis perénne profluvium? Non plane pari ubertáte fluunt amans et Amor, ánima et Verbum, sponsa et Sponsus, Creador et creatúra, non magis quam sitiens et fons.

Quid ergo? Peribit propter hoc, et ex toto evacuábitur nuptúrae votum, desidérium suspirántis, amántis ardor, praesuméntis fidúcia, conquia non valet ex aequo currere cum gigante, dulcédine cum melle conténdere, lenitáte cum agno, candore cum lilio, claritáte cum sole, cátendere, lenitáte cum agno, candore cum lilio, claritáte cum sole, caritáte cum eo qui cáritas est? Non. Nam etsi minus dilit creatúra, quóniam minor est, tamen si ex tota se dilit, nihil deest ubi totum quóniam non potest sic diligere. Propterea sic amáre, nupsisse est, quóniam non potest sic diligere, et parum dilécta esse, ut in consénsu duórum integrum stet perfec-tumque connúbium. Nisi quis dúbitet, ánimam a Verbo et prius amári, et plus.

Prorsus et preevenitur amándo, et vincitur. Felix quae méruit preeveniri in tanta benedictióne dulcédinis! Felix cui tantae suavitatis compléxum experiri donátum est! Quod non est áliud, quam amor sanctus et castus, amor et suávis et dulcis, amor tantae serenitatis quantae et sinceritatis, amor mítuus, intimus validusque, qui non in carne una, sed uno plane in spiritu duos iungat, duos fáciat iam non duos, sed unum, Paulo ita dicente: "Qui adhaéret Deo, unus spiritus est".

Cf. Sir 47, 9-12

Responsorium

- R. Dedit confessiónem Sancto et Excélsō in verbo glóriae. De omni corde laudávit Dóminum, * Et diléxit Deum qui fecit illum.
- y. Dedit decus in celebratióne óperis sancti, et ornávit témpora sua usque ad finem. * Et diléxit.

vel

Ex Litteris sancti Bernárdi abbátis Claraevallénsis
(Epistula 142: Opera omnia, Edit. Cist. VII, 342-343)

In Deo vobis præsentes sumus

Ex vobis perpéndite quid pátiar ego. Si vobis molésta est abséntia mea, nemo dúbitet mihi esse molestórem. Non enim paris iactúrae, nec eiúsdem graváminis est, me uno cárere vos, meque vestra universitatē destitui. Tot me necésse est áffici curis, quot vos estis, et ad singulos quosque vestrum dolére abséntiam, timére pericula. Duplex contrítio ista non me déseret, quoúisque meis viscéribus ego reddar, quod quidem et vos sentire pro me non ambigo; sed ego unus sum. Vobis ergo una, mihi múltiplex incúmbit tristándi rátio, utpote pro ómnibus vobis.

Nec solum crúciat, quod absque vobis vel ad tempus vivere cogor, sine quibus et regnare miseram mihi réputo servitútem, sed étiam quod versári compéllor in his quae amicam quiétem omnino pertúrbant et meo propósito minus fortásse convéniunt.

Bono ánimo simus, Deum habéntes nobiscum, in quo et vobis præsentes sumus, quantislibet terrárum spátiis divisi a vobis videámur. Qui-cumque in vobis bene officíosum seipsum éxhibet, húmilem, timorátum, studiósum lectiónis, oratióbus vigilem, fratérnae caritatis sollici-tum, non me putet abséntem sibi. Nam quómodo ei præsens spiritu non sum, cum quo est mihi cor unum et ánima una?

Si quis autem susúrro, quod absit, exsistit inter vos, aut bilin-guis, aut mürmurans, aut cóntumax, aut impátiens disciplinae, aut in-quiétus et vagus, et qui panem otíosus comédere non erubéscat, huic, étiam si córpore præsens essem, longe esset ad eo ánima mea, eo quod ipse longe fécerit a se Deum, morum, non locórum distántia.

Interim, fratres, "dum vénio, servite Dómino in timóre", ut sine timóre, quandóque de manu inimicórum vestrórum liberáti, serviatis il-li; servite in spe, quóniam fidélis est in promissis; servite ex mérito, quia multus in méritis est. Nam etsi cétera taceam, hoc solo certe non immérito vitam sibi vindicat nostram, quod pro ea præbuit suam. Nemo igitur sibi vivat, sed ei qui pro se mórtuus est. Cui enim iústius vivam, quam ei qui, si non morerétur, ego non viverem? Cui commódius quam promitténti vitam aetérnam? Cui magis ex necessitaté quam flammas perpétuas minitáti? Sed sérvio voluntárie, quia cáritas libertátem donat.

Huc próvoco viscera mea: servite in caritáte illa, quae timórem expellit, labóres non sentit, méritum non intuétur, praémium non requirit, et tamen plus ómnibus urget. Nullus terror sic sollicitat, nulla præmía sic invitant, nulla iustitia sic exigit. Ipsa vos mihi inseparabiliter iungat, ipsa me vobis iúgiter repraeséntet, horis máxime qui-bus orátis, caríssimi et desideratíssimi fratres.

Responsorium

R. Accépit Vir sanctus a Dómino potestátem in præcéptis, testi-

mónia veritatis docere subditos: * Et in lege Dei lucem dare populo.

y. Addidit ei gloriam Dominus, hereditatem pacis possidere in aeternum. * Et in.

vel

Ex Litteris Encyclicis Pii Papae XII
(Doctor Mellifluus: AAS 45/1953/369-384)

Sapientia suffultus Bernardus ascendit mysticae disciplinae apicem

Doctor Mellifluus "ultimo inter Patres, sed primis certe non impar" talibus praestit ingenii animique dottibus, quae caeléstibus fuisse a Deo ditatae munéribus, ut in variis ac nimio saepius turbolentis suaे aetatis vicibus, sanctitate, sapiéntia prudentissimóque rerum gerendárum consilio dominari prorsus videretur.

Eius doctrina ex Sacrarum Litterarum Sanctorumque Patrum páginis, quas alta mente meditando nocturna versabat manu, versabat diurna, fere tota hausta fuit; non autem ex subtilibus dialecticorum ac philosophorum ratiocinatiónibus, quas non semle posthabere videtur.

Quibus ex verbis luculenter patet Bernárdum id unum per vestigando contemplandóque quæsivisse, ut quos úndique collegisset veritatis rádios, eos amore pótius, quam humanarum opinatiónum subtilité permotus et actus, ad Summum converteret Verum; lucem ab eo méntibus impetrans, animis caritatis ignem, rectásque moderándis móribus normas. Haec est profecto vera sapiéntia, quae humána ómnia transcéndit, et quae ómnia ad suum fontem, hoc est ad Deum redúcit, ut ad eum convértat homines.

Doctor nempe Mellifluus non ingenii sui ácie confisus, per incertos maléque tutos ratiocinantis mentis anfractus lento molimine procédit, non laboriosis illis callidisque syllogismis innititur, quibus sui témporis dialéctici non pauci saepenúmero abutebántur, sed veluti aquila, quae oculis solem intuéri conátur, volátu rapidissimo ad veritatis vértem conténdit. Cáritas enim, qua ipse agebatur, repágula nescit, ac veluti alas méntibus addit. Ei videlicet doctrína non meta ultima est, sed iter pótius, quod dicit ad Deum; non frígida res est, in qua ináni remorétur animus, quasi secum colludens fluctuantibus fulgóribus captus, sed amore movétur, impellitur, régitur.

Quámobrem hac sapiéntia suffultus Bernárdus, meditando, contemplando amandóque ad summum ascéndit mysticae disciplinae ápice, et cum Deo ipso coniungitur, interdum paene infinita beatitáte hac étiam in mortáli vita pérfruens.

Eius autem scribendi genus vivax, flóridum, prófluens ac sententiárum luminibus distinctum, tali suavitate dulcedinéque perfunditur, ut legéntium mentem alliciat, deléctet, ad supérna révocet; ut pietátem excitet, alat, confómet; ut ánimum dénique ad persequénda bona compéllet, quae non caduca, non fluxa sint, sed vera, sed certa, sed perpétuo mansúra.

Quapropter, dum hodie plurimorum in animis cáritas erga Deum vel pedetémptim defervescit, vel non raro étiam est omnino restincta, haec

Melliflui Doctóris scripta inténta mente meditanda esse putámus; ex eórum enim sententiis, quae ceteróquin ex Evangélio proflúunt, cum in privátam uniuscuiusque vitam, tum in pùblicam étiam hominum consortiúnem nova supernáque vis permanére potest, quae cívium mores regat christianisque praecéptis confómet; atque ádeo tot tantisque malis, quibus turbátur ac conflictatúr societas, oppótuna remédia parebère possit.

Responsorium

R. In timore Dei, Patris sancti gloriatio, et in sensu eius cogitatus Dei: * Et omnis narratio eius in praecéptis Altissimi.
y. Pastor populi Dei factus est in sapiéntia sermonis sacri. *
Et omnis.

Psalmodia III Nocturni

Ant. Replévit sanctum suum Dominus spiritu intelligéntiae, et ipsa fluénta doctrinae ministrávit populo Dei.

Cant Sap 3, 1-6
Cant Sap 3, 7-9
Cant Sap 10, 17-21

y. Iustus ut palma florébit.
R. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Evangelium

5, 1-12a

Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis

+ Léctio sancti Evangélii secundum Matthaéum.

In illo tempore: Videns Iesus turbas ascéndit in montem; et, cum sedisset, accessérunt ad eum discipuli eius; et apériens os suum docébat eos dicens:

"Beáti páuperes spiritu, quóniam ipsórum est regnum caelórum.
Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur.
Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram.
Beáti qui esúriunt et sitiunt iustitiam, quóniam ipsi saturabúntur.
Beáti misericórdes, quóniam ipsi misericórdiam consequéntur.
Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.
Beáti pacifici, quóniam filii Dei vocabúntur.
Beáti qui persecutióne patiúntur propter iustitiam, quóniam ipsórum est regnum caelórum.

Beáti estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fúerint, et dixerint omne malum adversum vos mentiéntes, propter me: gaudéte et exsultate, quóniam merces vestra copiosa est in caelis".

Verbum Domini.

Lectio tertia

Ex Sermónibus sancti Bernárdi abbátis Claraevallénsis
(In festo Omníum Sanctorum 1: Opera omnia, Edit. Cist. V, 332-336)

Beati qui Verbi Dei verba audierunt!

Beáti qui audiérunt loquéntem in carne Sapiéntiam; beáti qui Verbi Dei verba, quae ab ipsius ore processérunt, audiérunt. Verúmtamen quod audiérunt illi adhuc reservátur nobis, quia et nos audire póssumus, quamvis non ab ipso.

"Apériens os suum docébat eos, dicens: Beáti páuperes spiritu". Vere apértum est os eius, in quo omnes thesáuri sapiéntiae et scíentiae sunt recónditi. Quid enim tam absconditum quam paupertátem esse beátam? Attamen Véritas lóquitur, quae nec falli nec fállere potest, et ipsa est quae dicit quóniam "beáti páuperes spiritu". Sed diligénter atténde quod non simpliciter páuperes nóminalat, propter plebéios páuperes necesitáte miserábili, non laudábili voluntáte. Spero equidem profutúram eis apud divínae bonitáris misericórdiam hanc ipsam afflictiónis suae misériam; scio tamen Dóminum hoc in loco non de huiúsmodi fuisse locútum, sed de his qui possunt dicere cum Prophéta: "Voluntárie sacrificábo tibi".

Attamen nec voluntária quidem paupératas omnis laudem habet apud Deum; nam et philósophi sua ómnia reliquise legúntur, ut, expéditi mundiálibus curis, stúdio vanitátis possent vacare libérius, et nolébant censu abundáre terréno, ut abundárent magis in sensu suo. Hos discrént quod dictum est "spiritu", id est spirituáli voluntáte.

"Beati, ergo, páuperes spiritu", spirituáli scilicet intentione, desidério spirituáli, propter solum beneplácitum Dei et salútem animárum, "quóniam ipsórum est regnum caelórum". Sed quis est qui sic lóquitur, qui sic beatificat páuperes et sic ditat? Putas pótterit verum esse? Erit sine dúbio: siquidem verax et potens est qui promittit.

"Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram". Bene, óptime. Sic enim oportébat, commendáta paupérata, étiam mansuetúinem praedicári, quóniam, relinquéntibus ómnia, prima solet esse tentatio de moléstii corporis et afflictiónē carnis insólita. Quid vero paupératas próderit, si, quod absit, pauper in murmuraciónem devéniat, factus exásperans et impátiens disciplinæ? Optime quoque post regni promissiómem minus áliud regnum velut in arrham datur, ut, secúndum Scriptúram, promissiómem habeámus vitae eius quae nunc est, páriter et futúrae, et de exhibitióne praeséntium firma sit exspectatio futurórum.

"Beáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur". Equum indómitum flagélla domant; ániam immitem contritio spiritus et assidúitas lacrimárum. Verum quid áliud est haec consolatio, quam procédens de spe véniae grátia devotiónis, et suavissima delectatio boni, et gustus sapiéntiae, licet exiguis, quibus interim benignus Dóminus afflictam refrigerat ániam?

"Beáti qui esúriunt et sitiunt iustitiam, quóniam ipsi saturabúntur". Infirmiori paláto cordis et ánime languénti adhuc dura et insí-

pida res vidétur esse iustitia; sed qui gustáverint, ecce ipsi sciunt quam beáti sunt qui esúriunt illas, "quóniam ipsi saturabúntur". O vere felix et gloriósa satietas! O sanctum convivium! O desiderábiles épulae, ubi nimírum anxietas nulla, nullum pótterit esse fastidium, quóniam satietas summa et summum inerit desidérium!

Responsorium

R. Opera sancti Patris velut sol in conspéctu Dei: * Et óculi eius sine intermissione respiciébant in vias eius.
V. Non sunt abscondita ab eo testaménta Dei. * Et óculi.

Hymnus Te Deum laudámus.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinasHymnus

- | | |
|--|--|
| 1. Magno recéptans péctore
quae dura Christi praédicat,
crucis secútus sémitam,
Bernárde, caelos obtines. | 3. Te quaesiérunt árbitrum
reges, magistri, präsules,
cultórque solitúdinis
fama replésti saéculum. |
| 2. Doctóre te monásticae
hortánte celsitúdinis,
novis ubique grátiae
risére cláustra flóribus. | 4. Mundo, beáta in pátria,
nunc dona pacis ímpetra,
morórum nitórem, dulcia
et caritatis pignora. |
| 5. Sit Trinitati glória,
quae se vidéndam lárgiens,
tecum benigna gáudio
nos det perenni pérfrui. Amen. | |

Psalmodia

Ant. 1 Domum tuam, Dómine, decet sanctitudo, in qua tantae frequentátur memória sanctitatis. 7 T. AC2 475

Psalmi et canticum pro diebus festivis.

Ant. 2 Ampliávit gentem suam Vir iustus, adéptus glóriam in conversatióne eius. i T. AC1 375

Ant. 3 Honorávit Deum Vir sanctus in opéribus suis, et in oblectatióne suscéptus est ab eo. ii T. AC1 375

Ant. 4 Extulit manus suas Pater venerábilis dare glóriam Deo a lábiis suis, et in nōmine ipsius gloriári. 3 T. AC1 376

Ant. Dedit Dóminus Sancto suo iucunditátem cordis, fieri pacem in diébus suis in pôpulo Dei. iv T. AC1 376

Lectio brevis

Diléctus a Deo et hominibus, cuius memória in benedictióne est. Similem illum fecit in glória sanctórum et magnificávit eum in timórem inimicórum et in verbis suis signa accelerávit. Glorificávit illum in conspéctu regum et ius dedit illi ad pôpulum suum et osténdit illi glóriam suam.

Responsorium breve

R. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit.
V. Stolam glóriae induit eum. * Et ornávit.

Ad Benedictus, ant. Benedictus Dóminus Deus Patris nostri, qui eius doctrína et exémplo aedificávit Ecclésiam suam: eius felici assumptione supérnam laetificávit civitátem suam: eius sollénni recordatióne prae-séntem hódie consolátur familiam suam. v T. AC2 475

Preces

Iesum Christum, qui nobis beáto Bernárdo vitae suae dedit exéplum admirándum, grati laudántes suppliciter deprecémur:

Dirige nos in viam iustitiae.

Christe, beátoru Bernardus modum diligéndi Deum esse eum sine modo diligere asséruit,
- fac ut te super ómnia et in ómnibus diligámus.

Christe, beátoru Bernardus cum sancto Paulo conféssus est, se nihil scire nisi Christum et hunc crucifixum:
- fac nos cruci tuae participare.

Christe, beátoru Bernardus deliciae erant laudes Beatissimae Virginis Mariae cantare:
- da nobis in devotióne erga Matrem tuam ei assimulári.

Christe, beátoru Bernardus doctrinam suam lectiōne et meditatiōne Sacrae Scriptúrae assídua sibi comparávit:
- fac ut nos ab eódem fonte ávide hauriámus.

Pater noster.

Oratio

Deus, qui beátum Bernardum abbátem, zelo domus tuae succénsum, in Ecclésias tua lucré simul et ardére fecisti, eius nobis intercessiōne

Sir 45, 1b-3

concéde, ut, eódem spiritu fervéntes, tamquam filii lucis iúgiter ambulémus. Per Dóminum.

vel

Périfice, quaésumus, Dómine, pius in nobis sanctae religiónis effectum; et ad obtinéndam tuae grátiae largitátem, beátoru Bernardus, abbas et doctor eggrégius, suis apud te semper pro nobis méritis et précibus intercédat. Per Dóminum.

Ad Tertiam

Ant. In disciplina morum profetúque virtútum, super docéntes se in brevi enituit unctiōne magistra. ii T. AC2 477

Lectio brevis

Sir 45, 4-6

In fide et lenitáte ipsius sanctum fecit illum et élégít eum ex omni carne. Auditam fecit illi vocem suam et indúxit illum in nubem; et dedit illi coram praecépta et legem vitae et disciplinae.

V. Elégít Dóminus servum suum.

R. Páscre Iacom hereditátem suam.

Oratio ut ad Laudes matutinas.Ad Sextam

Ant. Crescénte aetáte, crescébat simul sapiéntia et grátia apud Deum et hómines. iii T. AC2 473

Lectio brevis

Eph 5, 1-2

Estóte imitatóres Dei, sicut filii caríssimi, et ambuláte in dilectione, sicut Christus diléxit nos et trádidit semetipsum pro nobis oblationem et hóstiam Deo in odórem suavitatis.

V. Non erubéscō Evangélium.

R. Virtus enim Dei est in salútem.

Oratio ut ad Laudes matutinas.Ad Nonam

Ant. Hódie, pósito córpore, Pater sanctus dives méritis penetrávit in sancta, similis factus in glória sanctórum. iv T. AC2 473

Lectio brevis

Cant 8, 6

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium

tuum, quia fortis est ut mors siléctio, dura sicut inférnus aemulátio; lámpades eius ignis atque flammae divinae.

y. De omni corde laudávit Dóminum.
R. Et diléxit Deum, qui fecit illum.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad II Vespertas

Hymnus ut ad I Vespertas

vel

- | | |
|--|---|
| 1. Iam Regina discubuit,
sedens post Unigénitum:
nardus odórem tribuit
Bernárdus, tradens spiritum. | 4. Quae est ista prográdiens
velut auróra rútilans?
Quis est iste transiliens
colles, Sanctis coniúbilans? |
| 2. Dulcis Reginæ gústui
fructus sui suávitás:
dulcis eius olfáctui
nardi Bernárdi sánctitas. | 5. Haec glória terribilis
sicut castrórum ácies:
hic grátia mirábilis
ut Assuéri fácies. |
| 3. Venit Sponsa de Libano
coronánda divinitus,
ut Bernárdus de clibano
veniret Sancti Spíritus. | 6. Ora pro nobis Dóminum,
praedúlcis fumi virgula:
inclina Patrem lúminum,
pastor arden ut fácula. |
| | 7. Sit Trinitati glória,
per quam triúmphus Virginis,
et Bernárdi felicitas
manent in caeli cùria. Amen. |

Psalmodia

Ant. 1 Viae Viri sancti viae pulchrae, et omnes sémitae eius pacifi-
cae, quia lignum vitae apprehéndit. i T. AC2 476

Ps 109 (110).

Ant. 2 Sémitas iustitiae viásque sanctórum custódiens Vir beáthus, cur-
sum vitae in pace consummávit. ii T. AC2 477

Ps 111 (112).

Ant. 3 Benedictio Dómini super caput iusti, memória eius in saécula
saeculórum. iii T. AC2 477

Ps 115 (116).

Ant. 4 Consúrgens dilúculo quaesivit bona Pater sanctus, quasi florens
lílum germinávit. iv T. AC2 477

Ps 132 (133).

Ant. 5 Quasi oliva púllulans, et cypréssus in altitudine se tollens:
sic Vir beáthus ad glóriam sanctitatis ascéndit. vii T. AC1 374

Cant Eph 1, 3-10

Lectio brevis

1 Cor 2, 9-10a

Sicut scriptum est: "Quod óculus non vidit, nec auris audivit, nec
in cor hóminis ascéndit, quae praeparávit Deus his, qui diligunt il-
lum". Nobis autem revelávit Deus per Spíritum.

Responsorium breve

R. Testaméntum aetérnum cum beáto Patre Bernárdo * Constituit
Dóminus. Testaméntum.
y. Et iustítiam ac iudicia osténdit illi. * Constituit.

Ad Magnificat, ant. Exsúltet in Dómino spíritus Viri sancti, quod mole
levátus corpórea totus pergit in Deum, et adhaérens illi unus fit cum
eo spíritus in aetérnum. i T. AC2 478

Preces ut ad I Vespertas.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Die 28 augusti

S. AUGUSTINI, episcopi et Ecclesiae Doctoris

Memoria

Natus est Tagaste in Africa anno 354; adulescentiam doctrinis
et moribus inquietam transegit, donec Mediolani, ad fidem conver-
sus, anno 387 ab episcopo Ambrosio baptizatus est. In patriam
reversus vitam asceticam professus est, et episcopus Hippónensis
electus, per triginta quattuor annos forma gregis factus, illum
erudit sermonibus et scriptis copiosis, quibus etiam strenue
contra errores sui temporis dimicavit vel fidem erudite illu-
stravit. Mortuus est anno 430.

De Communi pastorum, vel doctorum Ecclesiae.

Hymnus

1. Magne doctor Augustine,
preces nostras suscipe,
et per eas Conditori
nos placare satage,
atque rege nos fidèles,
summum decus praesulum.

2. Amatorem paupertatis
te collaudant pauperes;
assertorem veritatis
amant veri iudices;
frangis nobis favos mellis
de scripturis disserens.

3. Quae obscura prius erant
nobis plana faciens,
tu de verbis Salvatoris
dulcem panem conficis,
et propinas potum vitae
de psalmorum nectare.

4. Tu de vita clericorum
sanctam scribis regulam,
quam qui amant et sequuntur,
viam tenent regiam
atque tuo sancto ductu
redeunt ad patriam.

5. Trinitati laus et honor
sit per omne saeculum,
cuius es scrutatus mira
acie mysterium;
quae nos tecum cives reddat
beatorum caelitum. Amen.

Lectio altera

Ex Confessionum libris sancti Augustini episcopi
(Lib. 7, 10, 18; 10, 27: CSEL 33, 157-163. 255)

O aeterna veritas et vera caritas et cara aeternitas!

Admonitus redire ad memetipsum, intravi in intima mea duce te et pótui, "quóniam factus es adiutor meus". Intravi et vidi qualicunque óculo animae meae supra eundem óculum animae meae, supra mentem meam lucem incommutabilem, non hanc vulgarem et conspicuam omni carni nec quasi ex eodem genere grandior erat, tamquam si ista multo multoque clarius claréceret totumque occupáret magnitudine. Non hoc illa erat, sed aliud, aliud valde ab ipsis omnibus. Nec ita erat supra mentem meam, sicut óleum super aquam nec sicut caelum super terram, sed superior, quia ipsa fecit me, et ego inferior, quia factus ab ea. Qui novit veritatem, novit eam.

O aeterna veritas et vera caritas et cara aeternitas! Tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte. Et cum te primum cognovi, tu assumpsti me, ut vidérem esse, quod vidérem, et nondum me esse, qui vidérem. Et reverberasti infirmitatem asperitus mei radians in me vehementer, et contrémui amore et horrore; et inveni longe me esse a te in regione dissimilitudinis, tamquam audirem vocem tuam de excelsa: "Cibus sum grandium: cresce et manducabis me. Nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me".

Ad Vigilias

Et quaerébam viam comparandi róboris, quod esset idóneum ad fruendum te, nec inveniébam, donec amplécterer "mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Iesum, qui est super omnia Deus benedictus in saecula", vocántem et dicéntem: "Ego sum via veritatis et vita", et cibum, cui capiendo inválidus eram, miscéntem carni, quóniam "Verbum caro factum est", ut infántiae nostraræ lactesceret sapiéntia tua, per quam creásti omnia.

Sero te amávi, pulchritudo tam antiqua et tam nova, sero te amávi! Et ecce intus eras et ego foris et ibi te quaerébam et in ista formosa, quae fecisti, deformis irruébam. Mecum eras, et tecum non eram. Ea me tenébant longe a te, quae si in te non essent, non essent. Vocásti et clamásti et rupisti surditatem meam, corucásti, splenduísti et fugásti caecitatem meam, fragrásti, et duxi spiritum et anhelo tibi, gustávi et esúrio et sitio, tetigisti me, et exársi in pacem tuam.

Responsorium

R. O véritas, lumen cordis mei, non tenebrae meae loquuntur mihi;
errávi et recordátus sum tui; * Et ecce rédeo aéstuant et anhélans ad fontem tuum.
V. Non ego vita mea sum; male vixi ex me, in te revivisco. * Et ecce.

vel

Ex Epistula ad sanctimoniales sancti Augustini episcopi
(Epist. 211: PL 33, 960-962)

Sit vobis cor unum et anima una in Deo

Haec sunt quae ut observétis praecipimus in monastério constitútae. Primum propter quod estis in unum congregátae, ut unánimes habitétis in domo, et sit vobis cor unum et anima una in Deo.

Et non dicatis aliquid próprium, sed sint vobis omnia communia; et distribuáatur unicuique vestrum a praepósita vestra victus et tegumentum; non aequaliter omnibus, quia non aequaliter valétis omnes, sed unicuique sicut opus fúerit. Sic enim légitis in Actibus Apostolorum: "Quia erant eis omnia communia, et distribuebatur singulis prout cuique opus erat".

Quae aliquid habébant in saeculo, quando ingrésse sunt monastérium, libenter velint illud esse commune. Quae autem non habébant, non ea quaerant in monastério, quae nec foris habére potuérunt; sed tamen eárum infirmitati quod opus est tribuátur, etiámsi paupéries eárum, quando foris erant, nec ipsa necessária pótterat invenire; ac nunc non ideo putent se esse felices, quia invenérunt victum et tegumentum, quale foris invenire non potuérunt.

Orationibus instáte horis et tempóribus constitútis. In oratório nemo aliquid agat, nisi ad quod est factum, unde et nomen accépit; ut si aliquae étiam praeter horas costitutas, si eis vacat, oráre vocarnis tuae, sed tu mutáberis in me".

lúerint, non eis sint impedimento, quae ibi áliquid agere voluerint. Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde quod profertur in voce; et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum; quod autem non ita scriptum est ut cantetur, non cantetur.

Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiat, ne ira cre- scat in ódium, et trabem faciat de festuca, et animam faciat homicidam. Melior est autem quae quamvis ira saepe tentatur, tamen impetrare fe- stinat ut sibi dimittat cui se fecisse agnoscit iniuriam, quam quae tardius irascitur, et ad veniam petendam difficiliter inclinatur. Quae non vult dimittere sorori, non speret accipere orationis effectum; quae autem numquam vult peitere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monastério, etiam si non inde proiciatur.

Donet Dóminus ut observetis haec omnia cum dilectione tamquam spirituális pulchritudinis amatrices, et bono Christi odore de bona con- versatione fragrantes, non sicut ancillae sub lege, sed sicut liberae sub grácia constitutae.

Responsorium

- R. Tranquillet Deus et compónat ánimos vestros, * Et pax Christi vincat in córdibus vestris.
y. Unánimes habitate in domo, et sit vobis cor unum et anima una in Deo. * Et pax.

Ad Laudes matutinas

Hymnus

1. Fulget in caelis célebris sacérdos,
stella doctórum rutilat corúscia,
lumen intáctum fidei per orbis
climata spargens.
2. Cive tam claro, Sion o supérna,
laeta dic laudes Dómino salútis,
qui modis miris sibi vinxit ipsum
lúmine complens.
3. Hic fidem sacram vigil usque firmat,
arma et errórum subigit poténter,
sórdidos mores lavat et repéllit
dógmata claro.
4. Qui gregis Christi speculátor almus,
énites clero monachisque forma,
tu Dei nobis fáciem benignam
fac prece semper.
5. Laus, honor, virtus Triadi béatae,
cuius in terris studiasti amánter
alta scrutari nitidáque in astris
luce potiris. Amen.

Ad Benedictus, ant. Tu excitas, Dómine, ut laudare te delécet, quia fecisti nos ad te; et inquietum est cor nostrum, donec requiéscat in te. iv T. Hauterive 7

Oratio

Innova, quaesumus, Dómine, in Ecclésia tua spiritum quo beatum Augustinum episcopus imbuisti, ut, eodem nos repléti, te solum verae fontes sapiéntiae sitiámus, et supéri amoris quaerámus auctórem. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Hymnus ut ad Laudes matutinas

Ad Magnificat, ant. O doctor optime, Ecclésiae sanctae lumen, beatus Augustine, divinae legis amator, deprecáre pro nobis Fílium Dei. ii T. AC2 28 *

SS. GUARINI ET AMEDEI, episcoporum O.N.

Memoria ad libitum

Guarinus Mussiponte anno circiter 1065 natus est. Temporibus S. Roberti monachus Molismensis, postea unus ex fundatoribus monasterii S. Mariae de Alpibus in Sabaudia fuit, cuius abbas ipse anno 1113 electus est. Peracto tempore, anno 1136, hanc communatatem Ordini Cisterciensi aggregavit. Anno 1138 episcopus Sedunensis in Helvetia designatus est. Hac occasione S. Bernardus fratribus de Alpibus epistulam scripsit illa (Epist. 142) qua vita monastica cisterciensis eminenter exponitur. Dominus eum ad se vocavit, cum ad fratres revenisset, sicut quotannis consueverat. Itaque in monasterio S. Mariae de Alpibus obiit die 27 augusti anni 1150.

Amedeus in castro Costa in Delphinatu, in agro Viennensi, anno 1110 natus, ab ipso S. Bernardo in Claravalle disciplina monastica imbutus, quo anno 1125 ingressus erat, monachis cisterciensibus Altaecumbae anno 1139 praefectus est. Postea anno 1144 episcopus Lausannensis electus sollerter se ministrum exhibuit ut iuvenes educaret clerumque pium et purum informaret. Eius octo homiliae quas ad laudem Beatae Mariae Virginis habuit, ipsi honorem tribuerunt ut testis fidei in Assumptionem Mariae aestimaretur. Amedeus Lausanne obiit die 27 augusti anni 1159.

De Communi pastorum: pro episcopis.

Lectio altera

Ex littera sancti Bernárdi abbatis Claraevallensis
monachis cisterciensibus de Alpibus
(Epist. 142: Opera omnia, Edit. Cist. 7, 340-341)

Stemus nos in ordine nostro

Bonus Pater vester atque noster, auctóre Deo, ad altiórem gradum assúmptus est. Faciámus ergo, caríssimi, quod dicit Prophéta: "Elevátus est sol et luna stetit in órdine suo". Sol est ille, per quem Alpén sis congregátio illústris ubique rédditur, tamquam luna per solem. Eleváto itaque illo, stemus nos in órdine nostro, quicúmque elégimus abiécti esse in domo Dei nostri magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Ordo noster abiéctio est, humilitas est, voluntária paupérta est, oboediéntia, pax, gáudium in Spiritu Sancto. Ordo noster est esse sub magistro, sub abbáte, sub régula, sub disciplina. Ordo noster est stu dére siléntio, exercéri ieíuniis, vigiliis, oratiónebus, ópere mánuum, et, super ómnia, excellentiórem viam tenére, quae est cáritas; porro in his ómnibus proficere de die in diem et in ipsis perseverare usque ad últimum diem. Et haec quidem assidue vos confidimus actitáre.

Céterum unum opus fecistis, et omnes mirántur, quod cum sancti es sétis, non reputantes vestram sanctitátem, aliénam participáre curástis, ut essétis sancti óres. Implétum est quod légitur in Evangélio: "Cum feceritis ómnia quae mandáta fúerint vobis, dicite: Servi inútiles sumus". Inútiles vos reputátis, et húmiles invéni estis. Recta fácerem, et inútilem se reputáre, apud paucos invenitur, et ideo multi admirán tur. Hoc, inquam, hoc prorsus vos de illústribus reddit illustriores, sancti óres de sanctis.

Et ubicúmque divulgátus est sermo iste, replévit ómnia odore suavítatis. Haec virtus, me iúdice, praefértur étiam pro tráctis ieíuniis et anticipátis vigiliis, omni dénique corporáli exercitio, tamquam vere pietas quae ad ómnia valet. Quam laeto sinu collégit vos multitúdo Ci sterciensis, quam álaci vultu spectávit hoc angélica celsitudo! Nové runt siquidem illi spiritus omnipoténti Deo placére super ómnia fráter nam societátem et confoederatióne, cum dicat per Prophétam: "Glutino bonum est", et per álium: "Ecce quam bonum et quam iucundum habitáre fratres in unum", item: "Frater fratrem ádiuvans, ambo consolabuntur".

Súperest, fratres, ut, invocáto Spiritu Sancto, maturéatis vobis eligere patrem. Nam si me exspectarétes, véror ne advéntus noster dif ferátur in longum, et illa dilátio esset periculosa. Sed vocáte ad vos fratrem nostrum caríssimum Godefridum, priórem Claraevállis, qui et in hoc, sicut in áliis, impleat vicem nostram, ut consilio eius, vel forte illórum quos ipse pro se miserit, si venire non pótterit, necnon et patris vestri Guarini, talem persónam eligáti de qua et Deus honó rem hábeat, et vos salútem. Mémores mei estóte, fratres.

Ad VigiliasResponsorium

- R. Iste sunt viri sancti, quos élégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam: * Quorum doctrina fulget Ecclésia ut sole luna.
v. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustitiam, adepti sunt repromissiónes. * Quorum doctrina.

vel

Ex Epistula sancti Amedéi episcopi ad Ecclésiam Lausannéensem
(PL 188, 1300. 1302-1304)

Ecclesiam frequentate, altaria diligite, Deum glorificate

Amedéus episcopus, dilectis filiis Ecclésiae Lausannéensis, repléri omni benedictiōne.

Absénte corpore, praesens corde, dilectione vestra in dies affi cior, optans exsulári pro vestra libertáte. Quod grave, id leve, quod ásperum, id planum mihi, quod longum, id breve réputo, ut demum an nuénte pacis Auctóre, honestissima libertáte réddita, tranquilla pace laetémur.

Nunc vero est illa hora tenebrárum, et ad precum suffrágia confu giéndum est. Non ignóro oratióne húmili ómnia mala propelli, conférri quaeque salutária. Oratio quippe purae humilitati, velut auri circulo gemma insépta, quodcúmque voluerit impetrábit. Petens accipiet usum bonae operationis in activa vita; quaerens invéniet ampléxus Abisag, id est sapiéntiae, in contemplativa vita; pulsánti aperiétur caelum in aetéerna vita.

Húmili oratio peccata diluit, adversa repéllit, utilia colligit, óptima compárat, árdua scandit; húmili oratio homines hominibus assó ciat, eosdem ángelis consóciat, oblata reddit accépta, mystéria contem plátur, vivere recto Deo appróximat, timore inchoat, amore consummat. Ideo, attestante Salomón, finis oratióne antefértur initio. Vide gé minas alas colúmbae, simplicis videlicet animae: harum una est humili tas, áltera oratio. Has sibi dari petébat quidam conturbátus a voce inimici, fatigátus a tribulatióne persecutóris: "Quis dabit mihi pennas colúmbae, et volábo et requiéscam?". Per has pennas humilitatis et oratióne itur ad sapiéntiam, itur ad Deum.

Si vero módicum nunc nos opórtet constristári in váriis tentatió nibus, non remurmurémus ut servi, sed patiénter exspectémus ut filii. Si considerémus quae géssimus, exiguum est quod sustinémus. Novum ergo mandátum Christi, dilectissimi, suscipite, invicem vos diligite, ómni bus dimittite, si vultis excéssus vestros demitti.

Depósita ergo omni vetustáte, expurgáto véteri ferménto, renovámini spiritu mentis vestrae, ut sitis nova conspérsio sicut estis ázymi, sine carnis mácula, sine mentis corruptione. Induti igitur novo homine, pascha laeti celebráte, laeti Christum immolátum suscipite. Itaque eplémur; appósitus est nobis panis vitae, calix redemptiōnis. Comédite, amici, panem angelórum; bibite cum Iesu de genimine vitis eius in regno Patris.

Die 30 augusti

Inebriámini gáudio resurrectionis illius, in quo est resurrectio nostra. Ergo iubiláte, choros dúcite, ecclésiam frequentáte, altária diligite, Deum glorificáte, mémores páuperum cum hilaritáte. Valéte in tránsitu pascháli, in ascensu Dómini, in ortu resurgéntis, in glória ascendéntis, repléti septifórmata grátia, in iubilaéo Spiritus sancti.

Cf. Act 20, 28; 1 Cor 4, 2

Responsorium

R. Atténdite universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus pósuit episcopos * Régere Ecclésiam Dei, quam Deus acquisivit sanguine Filii sui.

y. Quaéritur inter dispensatòres, ut fidélis quis inveniáatur.

* Régere Ecclésiam.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. In sanctitáte et iustitiae serviérunt Dómino ómnibus diébus suis; ideo stolam glóriae induit illos Dóminus Deus Israel.

8 T. ALC 32

Oratio

Deus, qui beátos Guarinum et Amedéum episcopos ad pascéndum pópulum tuum spiritu veritatis et dilectionis implevisti, praesta, ut, quorum festivitatem venerando ágimus, eórum imitatione proficiámus et intercessione sublevémur. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Ad Magnificat, ant. Iste sunt viri sancti, quos élégit Dóminus in caritaté non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam; quórum doctrina fulget Ecclésia ut sole luna, alleluia. iv T. ALC 19

Eodem die 30 augusti

S. AMEDEI, episcopi O. N.

Memoria ad libitum

De Communi pastorum: pro episcopis.

Ad VigiliasLectio altera ut supra p. 200.Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fui-
sti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus. i T. AC2 26*

Die 30 augusti

Oratio

Da nobis, quaésumus, omnipotens Deus, beáti Amedéi episcopi digne memoriām venerári, et, sicut illum, quibus praeérat, verbo et exemplo prodésse voluisti, ita ipsius apud te semper intercessiónis suffrágia sentiámus. Per Dóminum.

vel

Deus, quo inspiránte, sanctus Amedéus episcopus beatissimam Virginem Mariam in caelum assúptam suáviter praedicávit, eius nobis intercessióne concéde, ut, opéribus nostris te magnificáentes in terris, cum ipsa dulci et cleméti Dómina te glorificáre possimus in caelis. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum; stolam glóriae induit eum, et ad portas paradisi coronávit eum. i T. AC2 27*

Die 3 septembrios

S. GREGORII MAGNI, Papae et Ecclesiae Doctoris

Memoria

Natus est Romae circa annum 540. Cursus honorum ingressus, praefectus Urbis renuntiatus est. Vita monastica inita, diaconus ordinatus et munere legati Constantinopoli functus est. Anno 590, die 3 septembrios, ad Petri cathedram evectus, verum pastorem se exhibuit in rebus gerendis, in pauperibus iuvandis, in fide propaganda vel firmando. Multa etiam scripsit de re morali et theologica. Mortuus est anno 604, die 12 martii.

De Communi pastorum: pro papa, vel doctorum Ecclesiae.

Ad VigiliasHymnus

1. Doctor insignis, venerande praesul,
te sacerdotum populique turba
corde prostrato vigiliique poscit
carmine patrem.

2. Vota cunctórum relevans in aula
regis aeterni, fóveas utrúnque
ordinem, cuius pius exstitisti
pastor in Urbe.

3. Móribus sanctis decoráre vitam
confer, et puram placidámque mentem;
corda virtútum mediténtur arma
múnere Christi.

4. Impetra nobis, quóties rogáris,
grátiae, pastor, stúdium supérnae;
crédimus magnum, Dómino favénte,
te dare munus.

5. Laus, honor Patri parilique Proli,
una maiéstas, éadem potésta,
cum quibus Sanctus simul implet omnem
Spiritus orbem. Amen.

Lentini p. 65.

Lectio altera

Ex Homiliis sancti Gregórii Magni papae in Ezechiélem
(Lib. 1, 11, 4-6: CCL 142, 170-172)

Pro Christi amore in eius eloquia nec mihi parco

"Fili hóminis, speculatórem dedi te dómui Israel". Notándum quod eum quem Dóminus ad praedicándum mittit speculatórem esse denúntiat. Speculátor quippe semper in altitúdine stat, ut quidquid ventúrum est longe prospiciat. Et quisquis pópuli speculátor pónitur, in alto debet stare per vitam, ut possit prodésse per providéntiam.

O quam dura mihi sunt ista quae loquor, quia memetípsum loquéndo fério, cuius neque lingua, ut dignum est, praedicationem tenet, neque, inquántum tenére súfficit, vita séquitur linguam.

Ego reum me esse non ábego, torpórem meum atque neglegéntiam vi-deo. Erit fortásse apud pium iúdicem impetrátió véniae ipsa cognitio culpae. Et quidem in monastério pósitus valébam et ab otiosis linguam restringere, et in intentióne oratióne paene continue mentem tenére. At postquam cordis úmerum sárcinae pastoráli suppósui, colligere se ad semetípsum assidue non potest ánimus, quia ad multa partitur.

Cogor namque modo Ecclesiárum, modo monasteriórū causas discútere, saepe singulórū vitas actúsque pensáre; modo quaedam civium negótia sustinére, modo de irruéntibus barbarórū gládiis gémere, et commisso gregi insidiántes lupos timére. Modo rerum curam súmere, ne desint sub-sidia eis ipsis quibus disciplínae régula tenétur, modo raptóres quo-sidam aequanímiter pépeti, modo eis sub stúdio servátae caritátis obviáre.

Cum itaque ad tot et tanta cogitánda scissa ac dilaniáta mens dúcitur, quando ad semetípsum rédeat, ut totam se in praedicatione cól-lit, et a proferéndi verbi ministério non recédat? Quia autem necessi-gat, et a proferéndi verbi ministério non recédat? Quia autem necessi-

disciplinam reláxo. Nam si in assiduo censúrae meae rigóre me téneo, scio quia ab infirmióribus fúgior, eósque ad hoc quod áppeto numquam traho. Unde fit ut eórum saepe et otiosa patiénter áudiam. Sed quia ipse quoque infirmus sum, in otiosis sermónis paulisper tractus, libénter iam ea loqui incipio, quae audire coéperam invítus; et ubi taedébat cadére, libet iacére.

Quis ergo ego vel qualis speculátor sum, qui non in monte óperis sto, sed adhuc in valle infirmitatis iáceo? Potens vero est humáni géneris créator et redémptor, indigno mihi et vitae altitúdinem et linguae efficáciam donáre, pro cuius amóre in eius elóquio nec mihi parco.

Responsorium

R. E fonte Scripturárum móralia et mýstica próferens, fluénta Evangélii in pópulos derivávit; * Et defúnctus adhuc lóquitur.

y. Velut áquila perlústrans mundum, amplitúdine caritátis maióribus et minimis próvidet. * Et defúnctus.

vel

Ex Morálium libris sancti Gregórii Magni Papae in Iob
(Lib. 6, 37, 58-62: CCL 143, 328-331)

In contemplatione mentem amor excitare debet

Necésse est ut quisquis ad contemplationis stúdia próperat, semetípsum prius subtiliter intérroget, quantum amat. Máchina quippe mentis est vis amoris quae hanc dum a mundo extrahit in alta sustóllit. Prius ergo discútiat, si summa inquirens diligit, si diligens timet, si novit incógnita aut amando comprehendere aut non comprehénsa timéndo venerári. In contemplatione étenim mentem si amor non excitat, teporis sui torpor obscurat; si timor non agrávat, sensus hanc per inánia ad nébulam erróris levat; et cum cláusa ei secretórum iánua tardius aperitur, ab ea lóngius ipsa sua prae sumptióne repéllitur; quia irrúmpere appetit hoc quod non invéniens quaerit; cumque supérba mens errórem pro veritáte pécipit, quo quasi intus gressum pórrigit, foras tendit.

Hinc est enim quod legem datúrus, Dóminus in igne fumóque descéndit, quia et húmiles per claritátem suae ostensiónis illúminat et superbórum óculos per caliginem erróris obscurat. Prius igitur mens ab appetitu glóriae temporális, atque ab omni carnáli concupiscéntiae delectatióne tercéndat, et tunc ad áciem contemplationis erigéndat. Unde et cum lex accipitur, pópulus a monte prohibétur, ut vidélicet qui infirmis adhuc méntibus terréna desiderat, consideráre sublimia non prae sumat.

Qui igitur culmen apprehéndere perfectionis nitúntur, cum contemplationis arcem tenére desiderant, prius se in campo óperis per exercitió probent ut sollicite sciunt si nulla iam mala próximis irrágant; si irrogáta a próximis aequanímiter portant; si obiectis bonis temporálibus nequáquam mens laetitia sólvitur, si subtráctis non nimio moeróre

sauciátor; ac deinde perpéndant si cum ad semetipsos intrórsus rédeunt, in eo quod spiritália rimántur, nequáquam secum rerum corporálium umbras tráhunt, vel fortásse tractas manu descretiónis abigunt; si circumscriptum lumen vidére cupiéntes, cunctas címcumscriptiónis suae imágines deprimunt, et in eo quod super se contingere ápetunt, vincunt quod sunt.

quod sunt.

Actionis namque tempus primum est, contemplationis extrémum. Unde necesse est ut perfectus quisque prius virtutibus mentem exerceat atque hanc postmodum in horreum quietis condat. Hinc est enim quod is quem legio daemonum Domino iubente dereliquit, ad Salvatoris sui pedes resedit, verba doctrinae percipit et de regione sua simul discedere cum salutis auctore concupiscit; sed tamen ei ipsa quae salutem contulit Veritas dicit: "Revértere primum in domum tuam et narra quanta tibi fecerit Dominus". Cum enim quamlibet parum de divina cognitione percipiáimus, redire ad humana iam nolumus et proximorum necessitatibus onerári recusámus, quietem contemplationis quaerimus, nihilque aliud nisi hoc quod sine labore reficit amamus. Sed sanatos nos Veritas ad domum mittit, narrare quae nobiscum acta sunt praecépit, ut videlicet prius mens exsudet in opere et postmodum refici débeat per contemplationem.

Responsorium

Sir 15, 5-6

- R. In medio Ecclésiae apéruit os eius, * Et implévit eum Dóminus
spiritu sapiéntiae et intelléctus.
y. Iucunditatē et exsultatióne thesaurizávit super eum. * Et
implévit.

Ad Laudes matutinas

Hymn us

1. Sol mundo fundens rádios,
in pacem mentis óculos
tu dux, Gregóri, dirige
umbrásque nostras ábige.
 2. Melia cor obdulcántia
tua distillant lábia;
fragrántum vim arómatum
tuum vincit eloquium.
 3. Tu nactus apostólicam
vitam simul et glóriam,
nos solve culpae néxibus,
redde polórum sédibus.
 4. O póntifex egrégie,
lux et decus Ecclésiae,
non sinas in periculis
quos tot mandátis instruis.

5. Sit Patri laus ingénito,
sit decus Unigénito,
sit utriúsque párlí
maiéstas summa Flámini. Amen.

Lentini p. 69

Psalmodia

Ant. 1 Beatus Gregórius in cáthedra Petri sublimátus, Vigilántis nomen
factis implévit. i T. Hauterive 2

Psalmi et canticum de feria currente.

- Ant. 2 Pastor eximus pastoralis vitae spécimen trádidit et régulam.
iii T. Hauterive 3

- Ant. 3 Dum páginæ sacrae mystéria pánderet, colúmba nive candidior appáruit. vii T. Hauterive 3

- Ant. 4 Gregórius, septifórmis grátia plenus, non sumpsit sibi honórem,
sed vocátus a Deo gradum concéndit. iii T. Hauterive 10

- Ant. 5 Gregórius, monachórum spéculum, pater Urbis, orbis deliciae.
i T. Hauterive 3

Lectio brevis

Sap 8, 11b-13

In conspéctu poténtium admirábilis ero. Tacéntem me sustinébunt et loquéntem me respicient; et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent. Habébo per hanc immortalitátem et memóriam aetérnam his, qui post me futúri sunt, relinquam.

Responsorium breve

- R. Sapiéntiam sanctórum * Narrent pópuli. Sapiéntiam.
V. Et laudes eórum núnctiet Ecclésia. * Narrent.

- Ad Benedictus, ant. O Gregóri, dulcissimum Sancti Spiritus órganum,
atque virtútum spéculum, posce nobis suffrágium, ut hoc possimus cón-
sequi, quo te gaudémus pérfrui. ii T. Hauterive 8

Oratio

Deus, qui pópulis tuis indulgentia cónsulis et amore domináris,
da spiritum sapiéntiae, intercedénte beáto Gregório papa, quibus dedi-
sti régimen disciplinae, ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia
aetérrna pastórum. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Hymnus

1. Anglórum iam apóstolus,
nunc angelórum sócius,
ut tunc, Gregóri, géntibus,
succúrre iam credéntibus.

2. Tu largas opum cópias
omnémque mundi glóriam
spernis, ut inops inopem
Iesum sequáris principem.

3. Te celsus Christus póntifex
suae praefert Ecclésiae;
sic Patri gradum pércipis,
cuius et normam séqueris.

4. Scriptúrae sacrae mýstica
mire solvis aenigmata,
excélsaque mysteria
te docet ipsa Véritas.

Petrus Damiani (Lentini p. 68).

Psalmodia

Antiphonae ut ad Laudes matutinas.

Psalmi et canticum de feria currente.

1 Petr 5, 1-4

Lectio brevis

Seniores, qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passum, qui et eius, quae in futuro revelanda est, gloriae communissimorum, qui est in vobis, gregem Dei, providentes non coacto cator, pascite, qui est in vobis, gregem Dei, providentes non coacto, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia sed voluntarie, neque dominantes in cleris sed forma facti gregis. Et cum apparuerit principes pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriae coronam.

Responsorium breve

* In medio Ecclésiae * Apéruit os eius. In medio.

¶. In medio Ecclesiae aperuit se
¶. Et implavit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus.

* Apéritif.

Ad Magnificat, ant. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte
Gregóri, divinae legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei. ii T.
AC2 28*

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Die 10 septembris

B. OGLERII LOCEDIENSIS, abbatis O.N.

Memoria ad libitum

Oglerius anno 1136 Tridini in Pedemontio natus, a S. Bernardo
probabiliter ad vitam monasticam cisterciensē adductus iuvenili
aetate monasterium Locedii, in dioecesis Vercellensis, intravit
cui anno 1205 abbas praefectus est. Iam ab initio Mariae, Matri

Dei se totum deditum ac devotum praebuit. Valde nota sunt eius scripta ad laudem Immaculatae Conceptionis ac "Planctus seu Lamentatio Mariae". Die 10 septembris 1214 Locedii animam Deo reddidit.

De Communi sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad Vigilias

Lectio altera

Ex Sermónibus beáti Ogléríi abbátis Locediénsis
(Sermo X de Verbis Domini in Cena: PL 184. 925-928)

Inflammatio caritatis in Christo perfectum monachum facit

"Ego sum vitis vera": ego sum odorifera vitis, pulchritudinis mire, flóribus fecúnda, dans botrum dulcissimum cunctis palmitibus meis manéntibus in me. Ego sum vitis tale générans vinum, quod laetificat cor hóminis. Ego sum vitis próprium sanguinem libans Deo Patri pro salute pópuli mei. Ego sum vitis florens. Ego sum vitis frondens, vitis fructificans, non egens adminiculo ulmi, nec ullius auxilio ligni. Ego sum vitis, non culta ab hómine, sed a Deo Patre: non tantum extérius per cultúram, sed étiam intérius per grátiam, non tantum extra operándo, sed étiam intérius increméntum dando.

Christus est vitis, in quo est totus humor, id est omnis plenitudo spiritus sancti corporaliter: palmites eius sunt Apóstoli, et omnes qui ei fide adhaerent. Hanc vitem, id est Christi humánam naturam, Deus Pater mundavit faciendo immúnum a peccatis, et dando virtutes; sic facit et palmitibus, licet non omnino sicut et Christo. Omnes enim qui Christo adhaerent fide, sunt palmites manentes in Christo, salutifera vite. Sed alii faciunt fructum; alii in sterilitate persistunt. Alii florent et germinant, et botrum producunt dulcedinis; alii se per latitudinem foliorum expandunt, pulchritudinem cupientes habere tantum viriditatis. Omnes qui in sterilitate persistunt, et qui per latitudinem sine fructu se foliorum expandunt, tempore putationis, si Deus Pater illos sine fructu invenerit, abscondet a vite, et in ignem mittet, et ardēhunc.

Non confidámus ergo, fratres caríssimi, tantum in latitudine foliorum, in expansióne ramórum, in viriditáte fróndium; quia nisi in vinea Dómini fecérimus fructum, excidémur et in igne mittémur. An ignorátis, amantíssimi mei, quod esúriens Dóminus vidit secus viam ficulneam magnam, latam et spatiósam, habéntem fólia et frondes, qui in ea non invéniens fructum, maledixit ei, et arefácta est? Sic omnis hypócrita, quia spéciem sanctitátis habet, et virtútem sanctitátis non habet. Qui pál-liat sanctitátem in veste, quam non habet in mente. Non alba cucúlla et alta tonsúra, non ampla coróna; sed conscientia pura et mentis munditia, abiéctio propriae voluntatis, inflammatio caritatis in Christo, perféctum mónachum facit.

Adhaereámus, fratres, verae viti Iesu nostro Salvatóri cum vero corde, in plenitúdine fidei aspérsi corda, et ablúti ab omni inquina-

ménto carnis et spiritus, et teneámus spei et fidei nostrae confessió-
nem indeclinábilem. Nec sit quod nos separáre iam váleat a caritáte
Dómini Iesu.

"Omnem pálmitem in me faciéntem fructum", Deus Pater "purgábit eum,
ut fructum plus áfferat": nam dum mens pósita in tentatióne considerat,
quod a virtútis suae pristina soliditaté repéllitur, tunc sollicita
trépidat, ne hoc quod dudum esse coéperat, fúnditus amittat. Tunc quá-
liter resistere tentatióni possit, inquirit, et quáliter eam debelláre
iam váleat, eláborat. Tunc arripit gládium oratiónis, fletum compunc-
tiónis, et sic eam debilitat, et de ea glorióse triúmphat; non ipsa,
sed grátia Christi per ipsam; et ita fit ut mens quae pigra et velut
infecúnda in properitáte iacébat, fórtior et ubérior ad fuctificándum
assúrgat.

Io 15, 5. 9

Responsorium

R. Ego sum vitis vera, et vos pálmites. * Qui manet in me, et
ego in eo, hic fert fructum multum.
y. Manéte in dilectione mea, sicut diléxi vos. * Qui manet.

vel

Ex Sermónibus beáti Oglérii abbáti Locediénsis
(Sermo V de Verbis Domini in Cena: PL 184, 899-902)

In fraternali caritate fundemur
ut Christi mereamur vocari et esse discipuli

"Mandátum novum do vobis, ut diligáti invicem sicut diléxi vos".
Mandátum nobis propónit amóris, qui diléxit nos, et lavit nos a peccá-
tis nostris in sanguine suo. O bonum mandátum, mandátum dulce, mandátum
delectábile, mandátum vitae, mandátum salútis aetérnae! In isto mandáto
omnis lex pendet et Prophétae.

Haec est illa pretiosa margarita, quam dum invénit sponsa dilécti,
dedit ómnia sua, et comparávit eam. Haec est illa scala, quae in somnis
Iacob appáruit, quam usque ad caelum tendi vidébat; per quam quidem
descendébant, et quidem ascendébant. Per hanc enim et ángeli descendé-
bant, et nos ascéndimus ad ángelos; quia sine hac scala nullus scándere
potest ad caeléstia regna. Et in ipso níxu scalae ipse Dóminus angeló-
rum invéntus est, qui dicit: "Mandátum novum do vobis, ut diligáti
invicem, sicut diléxi vos".

Iste, inquam, est Dóminus, qui dat praecéptum fratrem amándi, qui
a servis suis ex omni corde vult amári; hoc est illud mandátum quod
íturus ad Patrem reliquit discipulis suis; immo, istud est testaméntum,
quod moritúrus dimisit herédibus suis.

Ait enim discipulis suis: "Mandátum novum do vobis". Unde novum?
Nuper invéntum: non, quia in véteri Testaménto nonne sit scriptum: "Di-
liges Dóminum Deum tuum"? Quid est ergo 'novum'? Novum, quia véterá
ad novitátem perdúcit, et véteres hómines transfórmata in iúvenes.

Novum, quia éxuit véterem hóminem, et induit novum, qui secúndum Deum
creátor est in sanctitaté et iustitia veritatis. Novum, qui olim genus
humánum, a paradisi gáudiis expúlsum, nunc et cotidie transmittit in
caelum.

Nos ergo, fratres, qui a Christo christiáni vocámur et sumus, spre-
tis ómnibus terrénis transitóriis atque cadúcis cum totis amatóribus
caecis, illi soli adhaérere cupiéntes, in fraternali caritaté fundémur,
ut illius mereámur vocári et esse discipuli, quia Apóstolis suis, et
nobis per ipsos mandávit, dicens: "In hoc cognóscent omnes quia mei
estis discipuli, si dilectionem habuéritis ad invicem". In hoc enim
discernuntur filii lucis a filiis tenebrárum, discipuli Christi a di-
scipulis diáboli, si grémium caritatis invicem et ad omnes exténdunt.
Extra sinum amóris nullum valet relinquere cáritas. Omnia compléctitur,
et cóntinet univérsa, atque se érogat cunctis communem. Cáritas est
afféctio mentis bráchiis amóris Christum astringens; cáritas est amor
caelum terrámque compléctens.

Responsorium

Cf. 1 Io, 4

R. Diligámus nos invicem, quia cáritas ex Deo est; * Et qui dili-
git fratrem suum ex Deo natus est, et videt Deum.
y. Et hoc mandátum habémus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit
et fratrem suum. * Et qui.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Iustus cor suum tradet ad vigilánum dilúculo ad
Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altissimi deprecábitur. 3
T. AC2 34*

Oratio

Deus, qui beáto Oglério abbáti vivum verbórum Salvatóris nostri
afféctum tribuisti, da nobis, eius exémplo ita Dóminum sine modo ultra
modum diligere, ut ad ipsum pervenire, et cum ipso regnare valeámus.
Per Dóminum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum
multum, allelúa. vii T. AC2 33*

Die 12 septembris

S. PETRI TARANTASIENSIS, episcopi O.N.

Memoria ad libitum

Petrus anno 1102 in pago S. Mauritii de Exilio in Delphinatu,

in agro Viennensi, natus, ad monasterium cisterciense Bonnaevallis ingressurum se contulit. Deinceps anno 1132 ad condendam abbatiam Stamediensem vocatus est. Praetereuntibus annis, anno 1161 archiepiscopum Tarantasiensem electus, zelo ferventi regimen huius suscepit Ecclesiae quae prima omnium Ecclesiarum Sabaudiae exstiterat. Unitatis artifex pacem inter Britanniae regem Henricum secundum et Ludovicum septimum regem Galliae conciliavit. Efficaciter suasit civibus Sabaudiae, Ordini Cisterciensi, deinde toti Europae ut legitimum Papam Alexandrum tertium agnoscerent, schismaticum aemulum imperatoris Friderici primi reiciendo. Hospes monasterii Bellavallis obiit die 14 septembris anni 1174.

De Communi pastorum: pro episcopis.

Ad Vigilias

Lectio altera

E Vita sancti Petri, auctore Gaufrido abbate Altaecumbae
(Acta Sanctorum, Maii vol. II, 331-332)

Ipse umilitas et devotio, totus caritas et compassio fuit

Accedéntem ad coenobium Bellaevallis, in Chrysopolitana dioécesi constitútum, ardor fébrium violéntius Petrum invásit, et iuxta vicum próximum, quod domni Martini dicitur, aliquantulum requiévit. Ubi póstmodum ab incolis signum crucis eréctum, et fidéliter quam plúrimis implorántibus aegris praéstata praedicántur remédia sanitátum.

Perveniénte demum Antistite sacro ad monastérium, congregátio omnis exsultávit in gáudio, et per loca vicina de ipsius advéntu célebris ádmodum et iocúnida fama percrébuit. Aegritudine tamen eius audita, qui multórum aegritudines suis orationibus depellébat, metus ingens et moeror subiit, omnes páriter óccupans intus et foris. Quos, supra vires iamiámque deficiéntis corpúsculi, ánimus consolabátur invictus, sólitae benignitatis et hilaritatis grátiā singulis exhibens, suam dissimulans ipse fríxuram; cuius semper omnis áctio, omnis afféctio, vita tota, et ipse totus humilitas et devotio, totus cáritas et compássio fuit.

Intérea sollémnitas Exaltatiónis sanctae Crucis ádvenit, in qua Dóminus disposúerat eiúsdem crucis fidelissimum adoratórem, ferventissimum amatórem, praecónem sédulum exaltáre; in qua étiam tricésimus tertius annus a susceptiōne electionis implétus est, ut dies nulla superexcréseret, nullus déésset. Et forsitan minus id fúerat attendéndum, nisi quod Salvátor quoque, ut quidem sápiunt, ipsum similiter númerum a conceptione ad passiónem usque complévit.

Praevénerat autem dominicis sacraméntis éxitum praemunire, quorum fúerat multo témpore devotissimus exécuto. Omnibus tandem rite compléttis, in médio psalléntium et orántium filiórum, quibus patérnae benedictionis hereditátem legáverat locúpletam, feliciter est appósitus ad patres suos. Ad quem multae prius ecclesiásticae páriter et saeculá-

res personae, húmiles et honorábiles, ex eádem régione convénerant; sed ad eius praezártim exéquias numerósior, si tamen étiam numerábilis, multitúdo concúrrit. Excúbias ergo pervaigiles, circa sacratissimum corpus diébus noctibúsque duábus in psalmis et cánticis spirituálibus celebrantes, tértio demum die ab Archiepíscopo Chrysopolitáno, per ipsius opem et óperam iam cathólico, cum abbátibus plúrimis, coram sacro altáre, in honórem Beátae Mariae semper Virginis dedicáto, sepultus cóporre, virtútibus vivere comprobátur.

Et quidem annos natus ferme viginti ad monastérium sese contulit Bonaevállis, ubi circiter decem annos, et tantumdem in Stamédio consummávit. Additis triginta tribus in episcopátu complétis, ad septuaginta tres númerus annórum vitae eius assúrgit. In cuius tránsitu annus erat millésimus centésimus septuagésimus quintus ab Incarnatione Dómini nostri Iesu Christi, qui cum Patre et Spiritu Sancto, unus est super ómnia Deus, benedictus in saécula. Amen.

Responsoriū

1 Cor 4, 1-2; 2, 2

- R. Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatòres mysteriòrum Dei. * Hic iam quaéritur inter dispensatòres, ut fidélis quis inveniátur.
V. Non enim iudicávi scire me áliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifixum. * Hic iam.

vel

Ex Sermónibus beáti Guerrici abbátis Igniacénsis
(In Dominica Palmarum II: PL 185, 131-134)

Si Christo confixus es cruci, sapiens es, iustus es, sanctus es

Loquáatur Paulus inter perféctos sapiéntiam in mystério absconditam; mihi, cuius imperfécum vident étiam óculi hóminum, loquáatur Christum curcifixum, his quidem qui péréunt stultitiam, mihi autem et his qui salvi fiunt, plane Dei virtútem Deique sapiéntiam; mihi prorsus altissimam atque nobilissimam philosophiam, per quam infatuátam irrídeo tam mundi quam carnis sapiéntiam. Quam perféctum me putárem, quam provéctum in sapiéntia, si Crucifixi vel idóneus invenirer auditor, qui factus est nobis a Deo non solum sapiéntia; sed et iustitia, et sanctificatio, et redéptio.

Omnino si Christo confixus es cruci, sapiens es, iustus es, sanctus es, liber es. An non sapiens, qui, cum Christo exaltátus a terra, sapit et quaérít quae sursum sunt? An non iustus, in quo destrúctum est corpus peccati, ut ultra non sérviat peccato? An non sanctus, qui semetipsum exhibuit hóstiam vivam, sanctam, placéntem Deo? An non vere liber, quem Filius liberávit, qui de libertáte conscientiae illam liberauit vocem Filii sibi assúmere confidit: "Venit princeps mundi huius, et in me non habet quidquam"? Vere apud Crucifixum misericórdia, et copiosa apud eum redéptio, qui sic redimit Israel ex ómnibus iniquitá-

Die 12 septembris

tibus eius, ut principis huius mundi calumnias liber evadere mereatur. Mérito prorsus, o sapiens gloriátor, gloriáberis in cruce Dómini tui, cuius liberátus es triúmpho, vivificátus mystério, iustificátus exémplo, munitus signo. Sic enim iustae rationis consequéntia postuláre vidétur, ut exéplum Crucifixi ad iustificationem suam imprimant móribus, qui signum crucis ad munimen sui imprimunt frónibus, et illius vivant lege, cuius armántur fide. Alióquin falláciter miles carácterem regis gestat, cuius praescriptum non obsérvat; nec recte se tuétur illius signo, cuius non paret império.

Moriátur áнима mea morte Dómini mei Iesu Christi, et fiant novissima mea illius similia; ut vidélicet in voluntária cruce paenitentiae pédere mérear usque ad téminum vitae. Quanta fiducia de cruce Filii, in manus Patris spiritum commendábis! Immo quanta cleméntia Pater suscipiet quem Filius commendábit! Filius namque qui causam ánimae tuae semel in cruce suscépit agéndam, numquā eam ágere désinit, apud Patrem semper interpéllans. Vade secúrus, vade gratulabundus, ubi iudex tuus est advocationis tuus; tantummodo signum crucis, mortificationem Iesu, quam circúfers in córpore tuo, secum déferat spiritus tuus. Dóminus autem glòriae, qui pro vobis, fratres, passus, in vobis est glorificá-tus, dignétur vos habére sócios passiónis et glòriae, et gloriántes in cruce glorificet in ea claritatē quam hábuit apud Patrem ante initium saeculórum, et habiturus est per ómnia saecula saeculórum. Amen.

Responsorium

Cf. Gal 6, 14

R. Nos autem gloriári opórtet in Cruce Dómini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, et resurréctio nostra: * Per quem salváti et liberáti sumus.

y. Amátor tuus semper fui, et desiderávi te amplécti. * Per quem.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Nos autem goriári opórtet in Cruce Dómini nostri Iesu Christi. 7 T. AC2 496

Oratio

Deus, qui pópulis tuis indulgentia cónsulis et amóre domináris qui-que regéndis illis vicários caritatis tuae pérficiis ministros, da, quaésumus, intercedénte beáto Petro episcopo, spiritum sapiéntiae qui-bus dedisti regimen disciplinae, nobisque prompti cordis obséquium. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Ad Magnificat, ant. Sacérdos et póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum. i T. AC2 24*

Die 15 septembris

Die 15 septembris

BEATAE MARIAE VIRGINIS PERDOLENTIS

Memoria

Festum Beatae Mariae Virginis Perdolentis, primo indultum Ordini Servorum B.M.V. anno 1667, ascriptum est in Calendario romano anno 1814 tertia domenica septembris celebrandum. Anno vero 1913 in diem 15 septembris repositum est.

De Communi Beatae Mariae Virginis, praeter sequentia:

Ad Invitatorium

Ant. Salvatórem mundi, qui passióni suae Matrem sociávit, * Venite, adorémus.

Ad VigiliasHymnus

- | | |
|---|--|
| 1. Stabat mater dolorosa
iuxta crucem lacrimosa,
dum pendebat Filius. | 5. Quis est homo qui non fleret,
matrem Christi si vidéret
in tanto supplicio? |
| 2. Cuius ánimam geméntem,
contristátam et doléntem
pertransivit gládium. | 6. Quis non posset contristári,
piam matrem contemplári
doléntem cum Filio? |
| 3. O quam tristis et afflictá
fuit illa benedicta
mater Unigéniti! | 7. Pro peccátis suae gentis
vidit Iesum in torméntis
et flagéllis súbditum. |
| 4. Quae maerébat et dolébat
pia mater, cum vidébat
Nati poenas incliti. | 8. Vedit suum dulcem Natum
moriéntem, desolátum,
cum emisit spiritum. |
| 9. Christe, cum sit hinc exire,
da per matrem me venire
ad palmam victóriæ. Amen. | |

Lectio altera

Ex Sermónibus sancti Bernárdi abbátis Cláraevallén sis
(Sermo in dom. infra oct. Assumptionis, 14-15:
Opera omnia, Edit. Cist. 5, 273-274)

Stabat Mater iuxta crucem

Martýrium Virginis, tam in Simeónis prophetia quam in ipsa domini-

cae passiónis história commendátur. "Pósitus est hic", ait sanctus se-
nex de párvulo Iesu, "in signum cui contradicétur, et tuam ipsius áni-
mam", ad Mariam autem dicébat, "pertransibit gládium".

Vere tuam, o beata mater, animam gladius pertransivit. Alioquin nonnisi eam pertransiens, carnem Filii penetraret. Et quidem postequam emisit spiritus tuus ille Iesus, omnium quidem sed specialiter tuus, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quae ipsius, nec mortuo parcens cui nocere non posset, apertuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima iam ibi non erat, sed tua plane nequibat avelli. Tuam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plus quam martyrem non immrito praedicemus, in quan nimirum corporeae sensum passionis excesserit compassionis effectum.

An non tibi plus quam gládius fuit sermo ille, revera per tránsiens
ánimam, et pertingens usque ad divisionem áimae et spiritus: "Múlier,
ecce filius tuus"? O commutaciónem! Ioánnes tibi pro Iesu tráditur,
servus pro Dómino, discipulos pro Magistro, filius Zebedaei pro Filio
Dei, homo purus pro Deo vero. Quómodo non tuam affectuosissimam áimam
pertransiret haec auditio, quando et nostra, licet sáxæa, licet férrea
péctora, sola recordatio scindit?

Non mirémini, fratres, quod Maria martyr in áima fuisse dicáutur. Mirétur qui non meminerit audisse se Paulum inter máxima géntium crimi- na memorántem quod sine affectíone fuissent. Longe id fuit a Mariae viscéribus, longe sit et a sérvulis suis.

Sed forte quis dicat: Numquid non eum praescierat moritúrum? Et indubitánter. Numquid non sperábat continuo resurrectúrum? Et fidénter. Super haec dóluit crucifixum? Et veheménter. Alióquin, quisnam tu, frater, aut unde tibi haec sapiéntia, ut miréris plus Mariam compatiéntem quam Mariae Filium patiéntem? Ille étiam córpore mori pótuit, ista cómori corde non pótuit? Fecit illud cáritas, qua maiórem nemo hábuit; fecit et hoc cáritas, cui post illam similis áltera non fuit.

Responsorium

Lc 23, 33; Io 19, 25; cf. Lc 2, 35

X. Postquam venerunt in locum, qui dicitur Calváriae, ibi crucifixírunt eum. * Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius.

y. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertransivit. * Stabat autem.

vel

Ex "Planctu gloriósae Virgínis Mariae"
beáti Oglérii abbátis Locediénsis
ivista Storica Benedettina, 17/1926/75-80)

Impetu amoris surgebat, tangere cupiens Christum

"Iuxta crucem stabat Maria", considerans vultu benignissimo Christum pendéntem in crucis stipite saevo; pedibúsque in altum nitens, manus levábat ut Christum valéret amplécti; quo non póterat, sursum

volébat téndere manus. Sperat amor multa, quae raro vel numquam fieri possunt; sibi debéri cuncta amor impátiens credit. Volébat amplécti Christum in alto pendéntem; sed manus, inde frustra tensae, in se compléxae redibant. Se levans a terra sursum erigébat ad Christum; et quia tágere illum nequibat, male collidebátur ad terram. Ibi prostráta iacébat immensisátē dolórís depréssa; sed eam súrgere compellébat vis magni amóris incénsa.

Impetu amoris surgébat inténtis mánibus, tágere cùpiens Christum. Erat enim magno cruciáta dolóre, cum eum sic pétere cogebátur. O quam male tunc illi erat; grávius tunc illi erat vita vivere tali, quam mortis gládio ab impiis saeve necári. Tamquam mortis pallor eius perfúderat vultum; fácies eius tota rubra erat Christi crúore.

Dicat, si potest, quicunque dicere cupit, quam Christi mater tenebat mensuram doloris. Virginis dolorem posse narrari non credo; tamen rectus erat amor continens modum. Non desperabat; sed pie iustaque dolébat, sperans tamen ipsum tertio resurgere die.

Quaedam cum illa plorabant féminae sanctae, quarum parvus erat númerus, paucúsque virórum, qui lugébant simul cum Virgine Matre. Erant et ángeli simul cum illa doléntes; dolébant quidem pro iusto amóre Dómini Iesu Christi. Compatiebántur Matri de morte Christi doléntes, non quod redimebátur genus humánum; flebant, ut árbitror, amarissime mente turbáti, quod Matrem Christi vidébant tanto dolóre tenéri.

Vidébant Christi corpus, ita male tractátum ab ímpiis, sic lacerá-
tum, iacére et Mariam totam suo crúore et sanguine cruentátam; illam
piam, illam sanctam, totam bonam, totam pulchram, totam dulcem, totam
delectábilem, Mariam matrem eius beatissimam et benignissimam, tantis
cruciári singúltibus, tantis amáris repléri dolóribus, et sic amarissi-
me dolére et flere, quod nullo modo póterat suas lácrimas refrenáre.

Illi ponébant Christum in sepúlcro, et ipsa trahébat eum ad se ipsam. Illa volébat eum retinére, et illi volébant eum trádere sepultúrae. Et sic erat haec pis lis, miseránda conténtio inter illos. Omnes tamen sic amáre flebant ut vix quisque eórum posset ad plenum verba formáre. Vidébant Matrem, omni solátio destitútam, et super illam dabant pótius planctum quam super exstinctum Filium suum; maior illis erat dolor de matris dolóre quam fúerit de sui Dómini morte. Flebant igitur cuncti, miserándo dolóre geméntes; et sic Dóminum vitae mortis sepultúrae dedérunt.

Responsorium

R. In toto corde tuo gémitus Matris tuae ne obliviscáris, * Ut perficiátur propitiátió et benedictio.

¶. Ave Princeps generosa, martyrūmque prima rosa, virginūmque lilium. * Ut perficiatur.

Ad Laudes matutinas

Hymnus

1. Eia, mater, fons amóris,
me sentire vim dolóris
fac, ut tecum lúgeam.

2. Fac ut árdeat cor meum
in amándo Christum Deum,
ut sibi compláceam.

3. Sancta mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
corde meo válide.
5. Fac me vere tecum flere,
Crucifixo condolére,
donec ego vixero.
4. Tui Nati vulneráti,
tam dignáti pro me pati
poenas mecum divide.
6. Iuxta crucem tecum stare
ac me tibi sociare
in planctu desidero.
7. Quando corpus moriétur,
fac ut ánima donétur
paradisi glória. Amen.

Psalmodia

Ant. 1 Próprio Filio suo non pepérctit Deus, sed pro nobis ómnibus trá-didit illum. 7 T. AC2 173

Psalmi et canticum de feria currente.

Ant. 2 Pássio Dómini ipsam eius Matrem, carnáli orbitáte gráviter per-cússam, vehementissime contristávit. ii T. AC1 272

Ant. 3 O vos omnes, qui transitis per viam, atténdite, et vidéte si est dolor sicut dolor meus. 8 T. AC2 176

Ant. 4 Quo ábiit diléctus tuus, o pulcherrima mulierum? Quo diléctus tuus declinávit? iii T. AC2 357

Ant. 5 Diléctus meus cándidus, et rubicundus, comae cápitis eius sicut púrpura regis vincita canálibus. ii T. AC2 357

Lectio brevis

Col 1, 24-25

Nunc gáudeo in passiónibus pro vobis et adimpleo ea quae desunt passiónum Christi in carne mea pro córpo eius, quod est Ecclésia, cuius factus sum ego minister secúndum dispensaciónem Dei, quae data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei.

Responsorium breve

R. Per te salútem hauriámus, * Virgo María. * Per te.

y. Ex vulnéribus Christi. * Virgo María.

Ad Benedictus, ant. Tuam ipsius ániam, ait ad Mariam Simeon, per-transíbit gládus. vi T. AC2 358

Oratio

Deus, qui Filio tuo in cruce exaltáto compatiéntem Matrem astáre voluisti, da Ecclésiae tuae, ut, Christi passiónis cum ipsa consors

effécta, eiúsdem resurrectiónis párticeps esse mereátur. Per Dóminum.

Ad VesperasHymnus

1. Virgo virginum praeclara,
mihi iam non sis amára;
fac me tecum plángere.
2. Fac ut portem Christi mortem,
passiónis fac me sortem
et plágas recólere.
3. Fac me plágis vulnerári,
cruce hac inebríári
et cruóre Filii.
4. Flammis urar ne succénsus,
per te, Virgo, sim defénsus
in die iudicii.
5. Fac me cruce custodiri,
morte Christi prae muniri,
confovéri grátia.
6. Quando corpus moriétur,
fac ut ánima donétur
paradisi glória. Amen.

Psalmodia

Ant. 1 Ferrum láncae militaris latus quidem Salvatóris, ániam vero transivit Virginis. viii T. AC1 273

Psalmi et canticum de feria currente.

Ant. 2 Plangent eum quasi unigénitum, quia innocens Dóminus occisus est. vii T. AC2 175

Ant. 3 Atténdite, univérsi pópuli, et vidéte dolórem meum. 7 T. AC2 175

Ant. 4 Vadim ad montem myrrae, et ad collem thuris. i T. AC2 357

Ant. 5 Fulcite me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo. i T. AC2 358

Lectio brevis

2 Tim 2, 10-12a

Omnia sustineo propter éléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quae est in Christo Iesu, cum glória caelésti. Fidélis sermo: nam si commórtui sumus, et convivémus; si sustinébimus, et conregnábimus.

Responsorium breve

R. Stabat sancta María, caeli regina et mundi dómina * Iuxta cruce Dómini. Stabat.

y. Felix est illa, quae sine morte mériuit palmam martyrii. * Iuxta cruce.

Ad Magnificat, ant. Cum vidisset Iesus Matrem stantem iuxta crucem, et discipulum, quem diligebat, dicit Matri suae: Múlier, ecce filius tuus. Deinde dicit discípulo: Ecce Mater tua. viii T. AC2 359

Preces de Communi B.M.V.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Die 17 septembris

S. MARTINI DE FINOJOSA, episcopi O.N.

Memoria ad libitum

Martinus, postea cognominatus Sacerdos, in Castella anno 1130 natus, adhuc adulescens monasterium cisterciense de Cantavos seu Hortense ingressus, anno 1164 abbas electus est. Anno 1186 episcopus Seguntinus ordinatus, per decem annos totam curam ad reformatum clerum impendit; quibus annis peractis se iterum recipi insuum monasterium Hortense obtinuit ubi die 16 septembris anni 1213 e vita migravit.

De Communi pastorum: pro episcopis.

Ad Vigilias

Lectio altera

Ex Tractatu "De Consideratione" sancti Bernárdi
abbátis Claraevallénsis
(Lib. II, 6: Opera omnia, Edit. Cist. III, 416-418)

Dominatio interdicitur, indicitur ministratio

Factum superiòrem dissimulare néquimus; sed enim ad quid, omnimodis attendéndum. Non enim ad dominandum opinor. Nam et Prophéta, cum similiiter levarétur, audivit: "Ut evellas et déstruas, et dispérdas et disipes, et aedifices et plantes". Quid horum fastum sonat? Rusticáni magis sudóris schémate quodam labor spirituális expréssus est. Et nos igitur, ut multum sentiámus de nobis, impósitum sensérimus ministérium, non dominium datum. Non plane totum emundáre qui vere Prophétae: áliquid filiis suis Apóstolis quod ágerent reliquérint, áliquid ipsi paréntes tui tibi. Sed nec tu ad omne sufficies. Aliquid profecto tuo relictúrus es successóri, et ille áliis, et álii áliis usque in finem. Circa undécimam dénique horam operárii ótii arguántur et mittuntur in vineam.

Enimvero prospéctus iste procinctum parit, non ótium. Quando libet gloriári, ubi otiári non licet? Nec locus est ótio, ubi sédula urget sollicitúdo ómnium ecclesiárum. Nam quid tibi áliud dimisit sanctus

Apóstolus? "Quod hábeo, inquit, hoc tibi do". Quid illud? Unum scio: non est aurum neque argéntum, cum ipse dicat: "Argéntum et aurum non est mihi". Quod hábuit, hoc dedit: sollicitúdinem, ut dixi, super ecclésias.

Numquid dominatiónem? Audi ipsum: "Non dominantes, ait, in clero, sed forma facti gregis". Et ne dictum sola humilitate putas, non etiam veritate, vox Dómini est in Evangélio: "Reges géntium dominántur eórum, et qui potestátem habent super eos benefíci vocántur". Et infert: "Vos autem non sic". Planum est: Apóstolis interdicitur dominátus. At si interdictum tenémus, audiámus edictum: "Qui maior est vestrum, ait, fiat sicut iúnior, et qui praecéssor est, sicut qui ministrat".

Forma apostólica haec est: dominatio interdicitur, indicitur ministratio, quae et commendatur ipsius exemplo Legislatoris, qui secutus adiungit: "Ego autem in medio vestrum sum tamquam qui ministrat". Quis se iam titulo hoc inglorium putet, quo se prior Dominus gloriae praesignivit? Merito Paulus gloriatur in eo dicens: "Ministri Christi sunt, et ego". Et addit: "Ut minus sapiens dico: plus ego. In labóribus plurimis, in carcéribus abundátius, in plagis supra modum, in mórtibus frequénter". O praeclárum ministérium! Quo non id gloriósius principátu? Si gloriári opórtet, forma tibi sanctórum praefigitur, Apostolórum propónitur glória.

Lc 22, 26-27

Responsorium

R. Qui maior est in vobis, fiat sicut iúnior, * Et qui praecés-sor est, fiat sicut ministrátor.
y. Reges géntium dominántur eórum. Ego autem in médio vestrum sum sicut qui ministrat. * Et qui.

vel

Ex "Exhortatione ad sacerdotes" Balduini de Fôrdia
(PL 204, 533-534)

Debitores estis universo gregi

Attendistis dignitatem, et quia super alios estis; attendite nunc,
et iterum dico, attendite humilitatem vestram, et servitutis necessitatem.
et quid infra alios estis.

Humilitas in honore, honor est ipsius honoris, et dignitas dignitatis. Omnis dignitas ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia de- dignetur. Humilitas enim sicut causa, ita est et custodia honoris. Omnis siquidem honoris promotio, quae cum suo ordine procedit, ab humili- tate incipit, et exaltatione consummatur. Nam qui se humiliat, exalta- bitur, dummodo se non humiliet, ut exaltetur, sed magis se humiliet, ne exaltetur.

Nam qui vere humilis est, non ambit honorem; cum honorem accipit, non per ambitionem rapit honorem, sed propter humilitatem rapitur ad honorem, ne sit ipse praedo honoris, sed quasi praeda ipsius honoris. Humilitas enim sine honore ipsa sibi sufficit ad honorem; honor autem

sine humilitate sese perdúcit ad confusiónem. Sicut ergo humilitas digne praévenit honórem, et sic et digne custódit.

Videant itaque qui in honore sunt, ut se húmiles in ómnibus exhibeant exémplo Christi; qui sicut magister humilitatis, cum esset prae-céssor, factus est sicut ministrátor; cum esser primus, factus est qua-si novissimus, inclinans se usque ad pedes discipulórum. Exémplo humi-litatis suae sicut mole gravi premit vos Christus usque ad humilia, ut subditi sitis étiam subditis.

"Hoc ergo sentite in vobis, quod et in Christo Iesu". Cum esse ille Deus in forma Dei, semtipsum exinanivit formam servi accípiens. Et vos dii estis, exinanite vosmetipsos, et servilem formam assúmite, ut interim efficiámini sicut homines propter homines, infirmi propter infirmos, ómnium necessitátes et infirmitátes in vobis ipsis suscipiéntes.

Opórtet vos ómnibus plus laboráre, quia pro ómnibus. Propter quod non solum servi hominum estis, sed et sérvitus hominum. Si fructum quaératis, et non datum, cum Apóstolo dicente: "Non quaero datum, sed quaero fructum", abundáre debet fructus iustitiae in terra vestra, sicut agricultura Dei. Per ministérium vestrum, fenum et herba vobis debéntur; at vos quid debétis? Primum quidem ómnia vestra, deinde vosmetipsos, totum quod potéstis, totum quod estis. Dénique áimas vestras pro animábus vobis commissis, et libentissime.

Ergo debitóres estis, non quasi uni parti gregis commissi, sed universo gregi; sicut univer-sis, ita et singulis, sapiéntibus et insipiéntibus. Pro ómnibus enim reddénda est rátio. Propterea universo gregi atténdite, in quo Spíritus sanctus pósuit.

Responsorium

Cf. Act 20, 28; 1 Cor 4, 2

R. Atténdite universo gregi, in quo vos Spíritus Sanctus pósuit episcopos * Régere Ecclésiam Dei, quam Deus acquisivit sanguine Filii sui.

Y. Quaéritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur.
* Régere Ecclésiam.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fui-sti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus. i T. AC2 26*

Oratio

Deus, qui beátum Martinum divina caritáte flagrántem, fidéque, quae-vincit mundum, insignem, sanctis Pastóribus mirabiliter aggregásti, præsta, quaésumus, ut, ipso intercedénte, nos quoque, in fide et cari-táte perseverántes, eius glóriae consórtes fieri mereámur. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Ad Magnificat, ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae induit eum, et ad portas paradisi coronávit eum. i T. AC2 27*

Eodem die 17 septembris

S. HILDEGARDIS, virginis

Memoria ad libitum

Hildegardis nata anno 1098, abbatissa benedictina in asceterio Montis Sancti Disibodi in Rhenania, monasteria Montis Sancti Ru-perti et Bingiae (vulgo Eibingen) apud Rüdesheim fundavit, anno 1147/1150. In scientia rerum naturae et medicina perita, luminibus caelestibus optime donata est. Quae experta erat præsertim in li-bro qui denominatur "Scivias" expósuit ac descriptsit. Ad pastores fideles tum etiam ad infideles ministros monita salutaria direxit quae Dominus ei commiserat. Sanctum Bernardum abbatem Claraevallis hospitem recepit. Hildegardis in monasterio Montis Sancti Ruperti obiit die 17 septembris anni 1179.

De Communi virginum, vel sanctarum mulierum: pro religiosis, vel de Communi monialium.

Ad Vigilias

Lectio altera

Ex Epistola sanctae Hildegárdis ad sanctum Bernárdum abbátem Claraevállis
(Ep. 29: PL 197, 189-190)

Volo, Pater, ut in orationibus tuis me recorderis

Certissime et mitissime Pater, audi me, in tua bonitaté indignam fámulam tuam, quae numquam ab infántia mea secúre vixi, et de tua pie-táte et sapiéntia intellege in áima tua, secúndum quod doctus fúeris in Spíitu Sancto, quóniam ea quae tibi de me dicta sunt, secúndum hunc modum sunt. Scio enim in textu interiòrem intellegéntiam expositionis Psaltérii, Evangélii et aliórum volúminum, quae monstrántur mihi in hac visióne, quae pectus meum tangit, et ánimam meam sicut flammam combúrens, docens me haec profunda expositionis, sed tamen non docet me litteras in teutónica língua, quas néscio.

Sed tantum scio in simplicitáte légere, non in abscissióne textus, quia homo sum indóctus, de ulla magistratióne cum exterióri matéria; sed intus in áima mea sum docta, unde loquor tibi, de te non dúbiant, sed de sapiéntia et pietáte tua consolábor pro eo, quia multa schismata sunt in hominibus sicut áudio homines dicere. Nam cuídam mónacho. quem scrutáta sum in conversatióne probatióris vitae, haec primum dixi, et illi ómnia secréta mea monstrávi, et consolátus est me, ita quod haec magna et timénda sunt.

Volo, Pater, ut propter amórem Dei in oratióibus tuis mei recordéris. Ego ante duos annos te in hac visióne vidi, sicut hominem in sole

aspicere, et non timére, sed valde audácem; et plorávi quod tantum eru-béscō, et ináudax sum. Bone Pater et mitissime, pono me in ániam tuam, ora pro me, quia magnos labóres in hac visióne hábeo, quátenus, quod video et áudio, dicam. Et interdum in magnis infirmitátibus de hac vi-siónē, in lectum prostérnor, quia táceo, ita quod non possum me erige-re. Ergo cum moerore coram te plango, quia móbilis sum, cum motu in torculári árbore in natúra mea, orta de radice surgénte in Adam, qui factus est exsul in peregrinum mundum de suggestióne diáboli.

Nunc autem surgens, curro ad te. Ego dico tibi: Tu es móbilis, sed semper érigens árborem, et victor in ánima tua es, non tantum te ipsum solum, sed étiam álios hómines in salvatióne érigens. Tu autem áquila es aspiciens in solem. Oro te per serenitátem Patris, et per aius Verbum admiráble, et per suávem humórem compunctionis, scilicet Spiritum veritatis, et per sanctum sónitum, per quem sonat omnis creatura, et per ipsum verbum, de quo ortus est mundus, et per altitudinem Patris, qui Verbum suávi viriditáte in úterum Virginis misit, unde illud car-men, sicut circum aedificátur mel favo, suxit, ut non otiose in verbis meis tórpeas. Sed ea in cor tuum pone, ita ut non césses, tum tráNSEAS per formam ánime tuae, ad Deum pro me aspiciens, quia ipse te vult. Vale, vale in ánima tua, et esto robústus in certámíne in Deo. Amen.

Responsorium

Cf. Mt 25, 1-12; Prov 31, 17

- R. Haec est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit; quae accéptis lampádibus sumpsit secum óleum; * Et veniénte Dómino introiavit cum eo ad nuptias.
V. Accínxit fortitudine lumbos suos, et roborávit bráchium suum.
* Et veniénte.

vel

Ex explicatione Régulae Benedictinae iuxta
sanctam Hildegardem
(PL 197, 1055-1056, 1066)

Beatus Benedictus doctrinam suam in timore Dei hausit

Beatus Benedictus doctrinam suam in timore Dei mitissime háusit, et in pietate praecépta Dei dócuit, et in caritáte murum sanctitatis Régulae constituit, et in castitáte ómnibus pompis et deliciis terréni saéculi peregrinus fuit.

Et quóniam ipse in timore et pietate, in caritáte et castitáte doctrinam suam scripsit, ideo nihil eidem doctrinæ addéndum vel auferéndum est, quia ei nihil deest, quóniam in Spiritu Sancto facta et compléta est. Et quia filius colúmbae erat, "Ausculta, fili, praecépta patris tui", dicébat, et étiam idcirco sanctitáte praedictárum virtútum plenus erat, quemámodum "Móyses vir mitissimus super omnes hómines, qui morabántur in terra".

Quod autem pius iste Pater dicit, mónachi quidam in diversitaté

morum dispérgunt; considerántibus apértum est, unde ipsis secundum mérita óperum suórum merces donábitur. Nam ante témpora beáti Patris huius Benedicti, nulla certa régula mónachi confirmáti, divérsa incertitúdine et instabilitáte hac et illac vagabántur, certo magistério et certa locatióne caréntes. Quapropter ipse vitia instabilitatis morum illórum describens, ut vita eórum a fidélibus mónachis devítetur, monet.

Sed doctrinam eius vere sequéntibus propter taciturnitatis gravitatem rara loquéndi concéditur licéntia, scilicet tunc cum aliqua in consiliis, aliqua in negótiis seu in maióribus necessitatis agénda sunt, in invicem, et non singulátim loquéndo, data licéntia, et módice ac bréviter quae opus, et deinde signo facto, omnes in siléntio secundum consuétum morem sileant; quóniam idem Benedictus licéntiam hanc, statuta hora in quálibet die non praefixerat, sed eam in potestáte sua, quemámodum opórtuit, habébat. Nam licéntiam hanc non dabat, nisi aliqua iusta necessitáte, seu aliqua pia utilitáte compulsus.

Attamen quia inhumánum est hóminem in taciturnitáte semper esse, et non loqui, idem Pater in potestáte et discretiōne abbátis dimittit, quemámodum ália plúrima ei concédit, ut discípulis suis horam competéntem praevideat, qua ipsi haec, quae honésta et necessária sunt, ad invicem loquántur, et ne in indiscréto siléntio taédio afficiántur, quóniam post huiúsmodi ad invicem loquéndi permissionem, conveniéntius et sevérius ad taciturnitatem siléntii admonéri et coérceri pótentunt.

Ad últimum vero beátor Pater ómnia haec sic affírmāt: 'Faciéntibus haec regna patébunt aetérrna'; quóniam ómnia quae in hac Régula descrip-ta sunt, nec nimis constricta sunt, sed ad déxteram et ad sinistram respiciunt, quapropter ea conservántem, ad caeléstia mox perdúcunt. Unde mansuéti, mites et timoráti, haec ádiant, et pio corde intelle-gant, et húmili devotione suscipiant.

Responsorium

- R. Cóncupit Rex spéciem tuam, quam ipse fecit: Deus tuus est,
Rex tuus est: * Rex tuus et ipse est Sponsus tuus.
V. Regi nubis Deo, ab illo dotáta, ab illo decoráta, ab illo redémpta, ab illo sancta. * Rex tuus.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Hildegárdis prophetissa, Spiritus Sancti splendóribus illustráta, vias Dómini revelávit. i T. Prop. Augien.

Oratio

Deus, qui beátam Hildegárdem virginem ad contemplándam tuae claritatem maiestatis amoris tui desidériis accnedisti, ipsa intercedente concéde propitius, ut, spiritális eruditiónis bonaeque conversatiónis increménta percipere valeámus. Per Dóminum.

Ad Magnificat, ant. Súbveni nobis, Hildegárdis virgo sanctissima, aeterni Regis sponsa, in cuius aula spendescis sicut stella fulgentissima. vi T. Prop. Augien.

**IN COMMEMORATIONE FRATRUM, PARENTUM, FAMILIARIUM ET
BENEFACITORUM O. N. AB ANNO DEFUNCTORUM**

Omnia ut in Officio Defunctorum, praeter sequentia:

Ad Vigilias

Lectio prima

2 Cor 4, 16 - 5, 10

De Epistola secunda beati Pauli Apóstoli ad Corinthios

Dissoluta terrestris huius incolatus domo,
aeterna in caelis habitatio comparatur

Fratres, licet is, qui foris est, noster homo corrumpitur, tamen is, qui intus est, noster renovatur de die in diem. Id enim, quod in praesenti est, leve tribulacionis nostrae supra modum in sublimitatem aeternum gloriae pondus operatur nobis, non contemplantibus nobis, quae videntur, sed quae non videntur; quae enim videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna sunt.

Scimus enim quoniam si terrae domus nostra huius tabernaculi dissolvatur, aedificationem ex Deo habemus domum non manufactam, aeternam in caelis. Nam et in hoc ingemiscimus habitacionem nostram, quae de caelo est, superindui cupientes, si tamen et expoliati, non nudi inveniamur. Nam et, qui sumus in tabernaculo, ingemiscimus gravati, quo quod nolumus expoliari sed supervestiri, ut absorbeatur, quod mortale est, a vita. Qui autem effecit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis arrabonem Spiritus.

Audientes igitur semper et scientes quoniam, dum praesentes sumus in corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus et non per speciem. Audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et praesentes esse ad Dominum. Et ideo contendimus sive praesentes sive absentes placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque pro eis, quae per corpus gessit, sive bonum sive malum.

Responsorium

R. Dómine, secundum actum meum noli me iudicare; nihil dignum in conspectu tuo egi; ideo deprecor maiestatem tuam, * Ut tu,

Deus, deleas iniquitatem meam.

y. Amplius lava me, Dómine, ab iniustitia mea, et a delicto meo munda me. * Ut tu.

Lectio altera

Ex Sermónibus beati Guerrici abbatis Ignaciensis
(De Resurreccióne Domini 2: PL 185, 144-146)

Per Christum et in ipsum resurgimus

"Ego sum, inquit Iesus, resurrección et vita". Ipse útique resurrección prima, ipse et resurrección secunda. Resurgens quippe a mórtuis primiae dormientium Christus, et sacramento suae resurrectionis operatus est nobis resurrectionem primam, et exemplo eiusdem suae resurrectionis operabitur nobis secundam. Prima est animarum, cum eas sibi conresuscitans in novitatem vitae; secunda erit corporum, cum reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae. Recte igitur resurrectionem et vitam Christus se profitetur, quandoquidem per ipsum et in ipsum resurgimus, ut secundum ipsum et apud ipsum vivamus; nunc quidem secundum ipsum, in sanctitate et iustitia; postmodum apud ipsum in beatitudine et gloria.

Porro sicut resurrección primi capituli nostri Domini Iesu Christi causa est et argumentum secundae resurrectionis, quae erit totius ipsius corporis, sic unicuique nostrum prima resurrección animae, qua reviviscit a morte peccati, argumentum est et causa suae resurrectionis, qua corpus liberabitur non modo a corruptione mortis, sed etiam ab omni corruptibilitate mortalitatis.

Bene igitur dicitur: "Beatus et sanctus qui habet partem in prima resurrectione". Sanctus videlicet propter primam, quam iam adeptus est per innovationem animae, beatus propter secundam, quam feliciter expectat in corporis restitutio. Denique unde beatus sit, eadem aperit Scriptura, cum subdit: In his scilicet "qui partem habent in prima resurrectione", mors secunda non habet potestatem, etiam primum mors visa est ad horam in eis exercuisse dominacionem. Regnavit quippe mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae.

Sed sicut Christus, sic et christianus "resurgens a mórtuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur". Itaque in beatis illic nec mors secunda potestatem habebit, nec prima potestatem quam ad tempus habuit, retinabit; quoniam mors una Christi utramque nostram triumphavit, ab ista liberans iam captos, ab illa capiendos; ne videlicet in illam incidamus, nec in ista remaneamus. Quam vera, quam pia simul et magnifica illa morientis communatio: "Ero mors tua, o mors!". Quam pulchre et mirifice triumphavit, qui, mortem pro omnibus gustans, tam suam quam omnium omnimodam mortem absorbut! Prorsus absorta est mors in victoria.

Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam tam peccati quam mortis, útique per Dominum Iesum Christum, qui prorsus a peccato immunit.

ac per hoc liber a débito mortis, hanc tamen ultro, pro nobis exsólvit móriens, et peccáto nos absólvit resúrgens.

Responsorium

Rom 6, 8-9. 11

- R. Si mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum eo; * Scíentes quod Christus suscitátus ex mórtuis iam non móritur.
 V. Ita et vos existimáte vos vivéntes Deo in Christo Iesu.
 * Scientes quod.

Oratio

Deus, véniae largitor et humánae salútis amátor, quaésumus cleméntiam tuam, ut nostraræ congregatiónis fratres, propinquos et benefactóres, qui ex hoc saéculo transiérunt, beáta María semper Virgine intercedénte, cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitudinis consórtium pervenire concédas. Per Dóminum.

Die 30 septembris

S. HIERONYMI, presbyteri et Ecclesiae DoctorisMemoria

Stridone, in Dalmatia, natus est circa annum 340; Romae littoris studuit ibique baptizatus est. Vitam asceticam amplexus, in Orientem perrexit et presbyter ordinatus est. Romam reversus, a secretis fuit Damasi papae, ibique coepit vertere sacros Libros in linguam latinam et vitam monasticam promovit. Bethlehem constitutus, mirum in modum Ecclesiae necessitatibus particeps fuit. Multa conscripsit opera, praesertim commentaria in sacram Scripturam. Mortuus est Bethlehem anno 420.

De Communi doctorum Ecclesiae.

Ad VigiliasHymnus

1. Nunc sancte nostra Spiritus
intérra tange péctora,
largire nos Hierónymum
effére iustis láudibus.
2. Mentis refúlget lúmine,
ardóre cordis cónflagrat,
illústrat orbis cárddines
divinus iste lúcifer.
3. Christi tuétur dójmata,
adórat, et praesepium,
crucémque gestat córpore,
quam scripto et ore praeédicat.
4. Quae lingua te, Hierónyme,
laudáre, quae vox sufficit?
Iam cuncta felix cónspicis,
quae pánderas mystéria.

5. Deo Patri sit glória,
eiúsque soli Filio,
cum Spíritu Paráclito,
et nunc, et omne in saéculum. Amen.

E Proprio Ord. S. Hieronymi

Lectio altera

Ex Prólogo commentariórum sancti Hierónymi presbýteri
in Isaiam prophétam
(Nn. 1. 2: CCL 73, 1-3)

Ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est

Reddo quod débeo, oboédiens Christi praeceptis, qui ait: "Scrutámini Scriptúras", et: "Quaérите, et inveniétis", ne illud áudiam cum Iudaéis: "Errátis, nesciéntes Scriptúras neque virtútem Dei". Si enim iuxta apóstolum Paulum, Christus Dei virtus est Deique sapiéntia, et qui nescit Scriptúras nescit Dei virtútem eiúsque sapiéntiam: ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est.

Unde imitábor patremfamilias, qui de thesáuro suo profert nova et vétera; et sponsam dicéntem in Cántico canticórum: "Nova et vétera, fratrellis meus, servávi tibi"; sicut expónam Isaiam, ut illum non solum prophétam, sed evangelistam et apóstolum dóceam. Ipse enim de se et de céteris evangelistis ait: "Quam speciosi pedes evangelizántium bona, evangelizántium pacem". Et ad ipsum quasi ad apóstolum lóquitur Deus: "Quem mittam, et quis ibit ad pópulum istum?". Et ille respóndit: "Ecce ego, mitte me".

Nullúsque putet me volúminis istius arguméntum brevi cùpere sermóne comprehéndere, cum univérsa Dómini sacraménta praeiens Scriptúra contineat; et tam natus de Virgine Emmánuel, quam illústrium petrátor óperum atque signórum, mórtuus ac sepúltus, et resúrgens ab inferis, et Salvátor universarum géntium praeedicétur. Quid loquar de phýsica, éthica et lógica? Quidquid sanctarum est Scripturarum, quidquid potest humána língua proférre et mortálium sensus accipere, isto volúmine continétur. De cuius mystériis testátur ipse qui scripsit: "Et erit vobis visio ómnium, sicut verba libri signáti, quem cum déderint sciénti litteras, dicent: Lege istum. Et respondébit: Non possum, signátus est enim. Et dábitur liber nesciénti litteras dicetúrque ei: Lege; et respondébit: Nescio litteras".

Quod si cui vidétur infirmum, illud eiúsdem Apóstoli áudiatur: "Prophétae duo aut tres loquántur, et álli diiúdicent; si autem álli fúerit revelátum sedénti, prior taceat". Qua possunt ratione reticére, cum in dicio sit Spíritus qui lóquitur per prophétas, vel tacére vel dicere? Si ergo intellegébant quae dicébant, cuncta sapiéntiae rationis que sunt plena. Nec aer voce pulsátus ad aures eórum perveniébat; sed Deus loquebátur in ánimo prophetarum, iuxta illud quod álius Prophéta dicit: "Angelus qui loquebátur in me", et: "Clamantes in córdibus nostris, Abba, Pater", et: Audiam quid loquátur in me Dómine Deus".

Responsorium

Cf 2 Tim 3, 16-17; Prov 28, 7

R. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum,
ad erudiendum in iustitia, * Ut perfectus sit homo Dei ad omne
opus bonum instructus.
y. Qui custodit legem, filius sapiens est. * Ut perfectus.

vel

Ex Epistola sancti Hieronymi presbyteri ad Eustochium virginem
(Epist. 22: CSEL 54)

Descriptio monachorum coenobitorum Aegypti

Veniamus ad monachos qui plures sunt, et in communione habitant, id est, quos vocari Coenobitas diximus. Prima apud eos confoederatio est, oboedire maioribus, et quidquid iussuerint, facere. Divisi sunt per decurias atque centurias, ita ut novem hominibus decimus praesit. Et rursus decem praepositos sub se centesimus habeat. Manent separati seiuntis cellulis.

Usque ad horam nonam, ut institutum est, nemo pergit ad alium, exceptis his decanis, quos diximus, ut si cogitationibus forte quis fluctuat, illius consoletur alloquiis. Post horam nonam in communione concurritur, Psalmi resonant, Scripturae recitantur ex more. Et completis orationibus, cunctis residentibus, medius, quem Patrem vocant, incipit disputare. Quo loquente, tantum silentium fit, ut nemo alium respicere, nemo audeat excreare. Dicentes laus in fletu est audiendum. Tacitae volvuntur per ora lacrimae, et ne in singultus quidem erumpit dolor.

Cum vero de regno Christi, et de futura beatitudine, et de gloria cooperit annuntiare ventura, videoas cunctos moderato spiratio, et oculis ad caelum levatis, intra se dicere: "Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam?".

Post haec concilium solvitur, et unaquaque decuria cum suo parente pergit ad mensas, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant. Nullus in cibo strupitus est; nemo comedens loquitur.

Dehinc consurgunt pariter, et hymno dicto, ad praesepia redeunt; ibi usque ad vesperam cum suis unusquisque loquitur, et dicit: Vidistis illum et illum? quanta in ipso sit gratia? quantum silentium? quam moderatus incensus? Si infirmum viderint, consolantur; si in Dei amore ferventem, cohortantur ad studium. Et quia nocte extra orationes publicas in suo cubiculo unusquisque vigilat, circumeunt cellulas singulorum; et aure apposita, quid faciant, diligenter explorant. Quem tardiorum deprehenderint, non increpant; sed dissimulato quod norunt, eum saepius visitant; et prius incipientes, provocant magis orare quam coquunt.

Opus diei statutum est; quod decano redditum, fertur ad oeconomum, qui et ipse per singulos menses Patri omnium cum magno tremore reddit rationem. Quia non licet dicere cuiquam: Tunicam et sagum textaque iuniores strata non habeo, ille ita universa moderatur, ut nemo quid postulet, nemo dehabeat.



Dominicis diebus orationi tantum et lectionibus vacant; quod quidem et omni tempore completis opusculis faciunt. Cotidie aliquid de Scripturis discitur.

Responsorium

Mt 13, 52; Prov 14, 33

R. Omnis scriba doctus in regno caelorum, * Similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.
y. In corde prudentis requiescit sapientia, et indocitos quoque erudit. * Similis est.

Ad Laudes matutinasHymnus

1. Festiva canimus laude Hieronymum,
qui nobis radiat sidus ut eminens
doctrinae meritis ac simul actibus
vitae fortis et asperae.
2. Hic verbum fidei sanctaque dogmata
scrutando studuit pandere lucide,
aut hostes, vehementes ut leo, concitus
acri voce refellere.
3. Insudans alacer prata virentia
Scripturae coluit caelitus editae;
ex his et locuples dulcia protulit
cunctis pabula gratiae.
4. Deserti cupiens grata silentia,
ad cunas Domini pervigil astitit,
ut carnem crucians se daret intime
Patri munus et hostiam.
5. Tanti nos, petimus te, Deus optime,
doctoris precibus dirige, confove,
ut laetas liceat nos tibi in omnia
laudes pangere saecula. Amen.

Lit. Hor.

Ad Benedictus, ant. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiant multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates, alleluia. vii T. ALC 18

Oratio

Deus, qui beato Hieronymo presbtero suavem et vivum Scripturae sacrae affectum tribuisti, da, ut populus tuus verbo tuo uberioris altetur, et in eo fontem vitae inveneriat. Per Dominum.

Ad Vesperas

Hymnus ut ad Laudes matutinas.

Ad Magnificat, ant. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte Hierónyme, divinae legis amátor, deprecáre pro nobis Filium Dei.
ii T. AC2 28*

Die 6 octobris

S. BRUNONIS, presbyteri

Memoria

Coloniae Agrippinæ (Köln) natus est circa annum 1035; Parisiis educatus et sacerdotio auctus disciplinas theologicas docuit; sed vitam solitariam desiderans, monasterium fundavit Carthusianorum. Urbanum papam II, a quo vocatus erat, adiuvit in Ecclesiae necessitatibus. Mortuus est apud Scylacium in Calabria anno 1101.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad VigiliasHymnus

1. Felix erémi villice,
amoris alti grátia,
nos, Bruno, lenis áccipe
sollémne dantes cáanticum.
2. Iter secútus ártius
quo vita sanctis pánditur,
castus créata tránsigis
Christóque servis único.
3. Doctrinae sacrae Páginae
nec in scholis te cóntinet;
nec cura multa Ecclésiae
tibi suádet infulas.
4. Dum subtus orbis vólvitur,
stat Crux fidélis pérpetim:
quam próximus considerans
exempla tradis frátribus.
5. Desérta suntne flórida?
scis blandiménta cárpare;
expértus haec intéllegis:
fatiscit arcus ténsior.
6. Qui "cor profundum" diceris,
inter beátos émicas;
ambire tu nos édoce
puram Dei praesentiam.
7. In liliórum pásqua
deduc novéllos incolas,
quo subsequántur virginés
Agnum stolis in cándidis.
8. Trinam spnémus glóriam
Prolis, Patris, Parácliti,
quibus coróna caélitum
ovat polórum cúlmina. Amen.

E Proprio Ord. Cart.

Lectio altera

Ex Epistola sancti Brunónis presbýteri ad filios suos Carthusienses
(Nn. 1-3: SC 88, 82-84)

Exsultet spiritus meus in Domino

Cóngito rationabilis et vere laudández disciplinae vestrae inflexibili rigore, ex crebra ac dulci relatióne beatissimi fratris nostri Landovíni; necnon auditó sancto amóre vestro et incessánti stúdio erga ea quae integratíatis et honestatíis sunt, exsúltat spiritus meus in Dómino. Vere exsúltó et feror in laudem et gratiárum actionem Dómino, et tamen amáre suspiro. Exsúltó quidem, ut iustum est, pro increménto frugum vestrárum virtútum, me autem dóleo et erubéscō inértem et socórem iacére in sorde peccatórum meórum.

Gaudéte ergo, fratres mei caríssimi, pro sorte beatitudinis vestrae et pro larga manu grátiae Dei in vos. Gaudéte, quia evasistis fluctuantis mundi multimoda pericula et naufrágia. Gaudéte, quia quiétam et tutam stationem portus secretioris obtinuistis, ad quem cum multi venire desiderent, multi quoque nonnúllo conátu conténdant, non pervenient tamen. Multi vero, postquam potiti fuére, exclúsi sunt, quóniam nullum eórum désuper concéssum est.

Ideo, fratres mei, certum ac probátum sit vobis quod quicúmque hoc optábili usus est bono, si quocúmque modo id amiserit, usque in finem dolébit, si quis respéctus vel cura salútis ánimae suae sibi fúerit.

De vobis, dilectissimi frátribus meis láicis, dico: "Magnificat áima mea Dóminum", quia magnificéntiam misericordiae suae super vos intúeor secúndum intimatióne prióris vestri et patris amantissimi, qui multum gloriátur pro vobis et gaudet. Gaudeámus et nos quóniam cum sciéntiae litterárum expértes sitis, potens Deus dígito suo inscríbit in córdibus vestris non solum amórem, sed et notitiam sanctae legis suae. Opere enim osténditis quid amátis, quidve nostis. Nam cum oboediéntiam veram cum omni cautéla et stúdio observátis, manifestum est vos sapiénter légere ipsum fructum suavissimum et vitálē Scripturæ divinæ.

Responsorium

Ps 54 (55), 7-8; 1 Io 2, 17

- R. Quis dabit mihi pennas sicut colúmbae, et volábo, et requiéscam? * Ecce elongábo fúgiens, et manébo in solitúdine.
y. Mundus transi et concupiscéntia eius; qui autem facit voluntátem Dei, manet in aetérnum. * Ecce elongábo.

vel

Ex Constitutióne Apostólica Pii papae undécimi
(AAS 16/1924/385-388)

Deus Brunonem delegit, qui vitam contemplativam
ad nativae integratíatis laudem revocaret

Umbratilem remotamque a mundi strépitu dementiisque vitam quotquot ex instituto suo ita traducant, ut non modo divina mysteria aeternasque veritates omni acie contemplentur, et, precibus Deo enixe ac continenter adhibitis, florere eius regnum cotidiéque latius propagari postulant, sed etiam non tam suas quam ceterorum culpas, per praescriptam sibi aut voluntariam animi corporisque castigationem, luant atque expient, dicendi profecto ii sunt optimam partem, ut Maria e Bethania, elegisse.

Nulla enim alia perfectior possit condicio ac lex vivendi hominibus proponi, quam, vocante utique Domino, capiant atque amplectantur; arcissima autem cum Deo coniunctione atque interiore sanctitate eorum, qui solitariam vitam in claustris silentio degunt, ea copiose laus sanctitatis alitur, quam immaculata Christi Iesu Sponsa conspiciendam omnibus praebet atque imitandam.

Nec mirari licet si ecclesiastici superiorum aetatum scriptores, ut virtutem atque efficientiam, quae in eorumdem religiosorum virorum precibus inesset, explanando efferrant, eo usque progressi sunt, ut illas cum Moysi precibus compararent, rem commemorando notissimam: scilicet, cum Iosue in planicie proelium cum Amalecitis comisisset, et pro populi sui victoria oraret obsecrareque Deum Moyses in proximi montis cacumine, factum esse, ut, quoad hic tollerat ad caelum manus, Israelitae vincerent; si quando, contra, manus ob lassitudinem demisset, tum Amalecitae Israelitas superarent; quamobrem Aaron et Hur hinc inde Moysi lacertos sustinuisse, donec Iosue superior e pugna discéssit.

Quo quidem exemplo eorum, quos memoravimus, religiosorum Sodálium preces aptissime sane significantur, utpote quae tum augusto altaris sacrificio, tum paenitentiae exercitio, tamquam duobus adminiculis, nitantur, quorum alterum quodammodo exprimit Aaron, alterum Hur refert. Sollémne est enim ac quasi praecipuum solitariis eiusmodi hominibus, quemadmodum supra diximus, ut, munere veluti publico, victimas se placationisque hostias, pro sua proximorumque salute, Deo praébeant ac devóveant.

Iamvero benignissimus Deus, qui Ecclesiae suae necessitatibus commodisque prospicere nullo non tempore consuévit, Brunónem, virum insigni sanctimonia, delégit, qui vitam contemplativam ad nativae integratatis laudem revocaret. Qua de causa is Cartusiensem Ordinem condidit, quem suo penitus imbuit spiritu iisque munivit legibus, quae Sodales ad emetiundam celériter interoris sanctitatis aspermaeque paenitentiae viam, quamvis remota extérii ministérii officiique perfunctio, efficaciter permoverent, itemque ad perseverandum, animis numquam remissis, in eadem vitae severitate atque asperitate stimularent.

Responsorium

- R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.
y. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinentis se ab omni opere malo et permanens in innocentia sua. * Ipse intercedat.

Ad Laudes matutinas

Hymnus

1. Iesu corona célsior
et véritas sublimior,
qui confitenti sérvulo
reddis perenne praeium.
2. Da supplicanti coéltui,
huius rogátu caélitis,
remissionem criminum
rumpendo nexum vinculi.
3. Nil vanitatis diligens,
terrénica sic exércuit,
ut mente tota férvidus
tibi placéret única.
4. Te, Christe, rex piissime,
hic confiténdo iúgiter,
calcávit hostem fórtiter
supérbum ac satellitem.
5. Virtute clarus et fide,
oratióni sédulus
ac membra servans sóbria,
dapes supérnas obtinet.
6. Deo Patri sit glória
tibique soli Filio
cum Spiritu Paráclito,
im sempiterna saécula. Amen.

Ad Benedictus, ant. Iustus cor suum tradet ad vigilandum dilúculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur.
3 T. AC2 34*

Oratio

Deus, qui sanctum Brunónem ad serviendum tibi in solitudine vocasti, eius nobis intercessione concéde, ut, per huius mundi varietates, tibi iúgiter vacémus. Per Dominum.

Ad Vespertas

Hymnus ut ad Vigilias.

Ad Magnificat, ant. Iste cognovit iustitiam, et vidit mirabilia magna, et exoravit Altissimum, et invéntus est in numero Sanctorum. iv T. AC2 31*

Die 9 octobris

B. VINCENTII KADLUBEK, episcopi O. N.

Memoria ad libitum

Vincentius anno 1160 Cracoviae in Polonia ortus est. Episcopi munere per decem annos functus, promotor sollers pacis fovendae cum ab adversariis ipsis aestimaretur, anno 1218 monasticum habitum induit in abbatia cisterciensi Sancti Andreæ apud Jedrzejów. Primus inter rerum scriptores illorum temporum historia Poloniae scripsit. Vincentius in monasterio Sancti Andreæ die 8 martii anni 1223 e vita migravit.

De Communi pastorum: pro episcopis.

Ad Vigilias

Lectio altera

Ex Positione super causae canonizationis reassumptione
S. Rituum Congr. 1962, 2-4)

Vestigiis Sancti Bernardi insistens, praecipue humilitatem adamavit

Vincéntius Cracóviae primis litterárum eleméntis instrúctus est, póstea extra Polóniae fines (Bolóniae et Lutétiae Parisiòrum), magistri titulum adéptus est. Finitis stúdiis, et in suam pátriam regréssus, máxima auctoritáte apud pòpulum flóruit et dignitáte regis consiliárii ornátus est. Eius sapiéntia et morum sánctitas, non solum in contem- poráneos, sed étiam in magnam sériem posterórum salutárem inflúxum ex- ercuérunt.

Primus in dignitatem episcopalem Cracoviensem ab huius sedis capitulo Vincens erat assumptus Innocentio tertio Pontifice Maximo confirmante electionem viri morum integritate insignis et ad lapsae disciplinae ecclesiasticae restitutionem strenue cooperantis.

Praeterea, máximi moménti fuit eius opus "Chrónica Polonórum", quod non solum históriæ manuále, sed étiam encyclopaedia sciéntiae theológicae iusrisque ecclesiástici fuit. In scholis sed imprimis in universitáte Cracoviénsi per tria saécula ad instruéndos Polonórum ánimos in disciplinis ascéticis et áliis sciéntiis adhibebátur et modo singulári ad efformándam Polonórum indolem cónstulit.

Vincéntius, spatiósae dioécesis episcopus, ardénti ánimo boni pa-
stóris múnia explébat. Ecclésias cansacrábat, quinque sýnodis et epi-
scopórum in Polónia comitiis intérfuit. In uno convéntu ad instituéndam
expeditiónem Cisterciénsum propagández fidei causa in régiónibus Pru-
thenórum paganórum férvidis verbis adhortabátur. Etiam Concilio IV La-
teranénsi IV intérfuit, ubi cum Innocéntio III personáliter congréssus
est.

Sine dubio, Beatus Vincéntius Monastérium Andreoviense, "Domus Mariae" appellátum, eo fine ingréssus est, ut tota réliqua vita Mariæ singulári modo serviret. Vestigiis Sancti Bernárdi insistens, praecipue humilitátem adamávit.

Cum persuásüm ei esset, "bonum pastórem ániam suam pónere pro óvi-
bus suis", anno 1218 renuntiávit dignitátibus, tum ecclesiásticis, tum
saeculáribus in aula regis et Honório III Papa consentiente; in coenó-
bium Cisterciense se cóntulit. Ibi vota religiosa persólvit, quae tunc
témporis consimilia martýrio putabántur. Vóluit esse granum trítici
obmórtuum, ut ubérrimos fructus per paeniténtiam, abstinéntiam, perpé-
tuam mortificationem, ex segéte a se olim facta, ferret eique incremén-
ti grátiam a Deo imploráret. Mox appáruit fructus eius sacrificii. Mul-
tos exémplo traxit. Alios ita amóre Dei succéndit, ut vitam suam paráti
essent pro fide dare.

Mt 25, 21. 20

Responsorium

R. Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca suisti fidélis,
supra multa te constituam: * Intra in gáudium Dómini tui.
Y. Dómine, quinque talénta tradidisti mihi, ecce ália quinque
superlucrátus sum. * Intra in.

vel

Ex Epistolis Adámis abbátis de Persiniae
(Epist. 18: PL 211, 644-645)

Discere debes esse mitis et humilis corde

Quam familiáris est Sapiéntiae celesti humilitas, quam ferox virtutum, quam lócuples méritis, quam capax est caeléstium secretórum! Tota quippe acclinis est áctio, tota aviditáte aquis incúmbit vivéntibus, nec áliquo pacto respicere pátitur quidquid sibi vitae desidérium non accéndit. Vivéntes sane aquae pútei sunt, dona multifórmis grátiae Christi, aquae sunt quia lavant, quia refrigerant, quia refocillant; vivéntes sunt, quia negótium mortis extérminant; in púteo sunt, quia secrétum divinae elationis et causas tam secrétae ordinatiónis ómnibus non revélant. Hae quippe abscónditae a sapiéntibus et prudéntibus, et párvulis revelántur, solis nimírum humilibus eórum cognitio vera datur et percéptio, quam praésumens de se supérbia non merétur.

Felix itaque est humilitas, quae in his aquis meréatur habére lavacrum, ne quid in ea contaminationis appáreat vel remáneat. Merétur refocillationem ut in omni certámíne fortis exsistat. Nec enim verus humilis sine certaminibus tentatiónum esse pótuit; praesértim cum supérbia semper contráriae sibi humilitatis et si non spéciem tamen glóriam aemulétur. Nil quidem humilitate gloriósius, cuius glóriae sublimitátem ablicet supérbia usurpativae áppetat, humilitatis tamen spéciem, quia abiéctior est, vix usúpat. Usúpat tamen aliquándo, cum sine illa vanegloriári non praévalet, a quo astútius humilitatis praetéxtu se pállia secretius, ad cuius expletióñem elationis prorúmpat inténtio.

Discite filii esse humiles, et ab illo discite, qui huius magister est efficax disciplinae Christus, siquidem disciplinae huius magister est, quam non modo verbo et lingua prodócut, sed ópere et veritáte tenénda esse monstrávit. "Tóllite", ait magister bonus, "tóllite iugum meum super vos, quia mitis sum et humilis corde". Quátuor tibi, homo, discénda esse propósuit, si bene intelléges, et rétines quae mandávit Propósuit tibi quid discere, a quo discere, quómodo discere débeas et quo fructu. Discere debes esse mitis et humilis corde, et ab illo discere qui est mitis et humilis corde; discéndi modus est tóllere iugum eius super te, discéndi fructus est ánima tuae réquiem invenire "Et inveniétis", inquit, "réquiem animábus vestris". Ars igitur quae discere debet christiánus et Christi discípulus, immo quae facit Christi discípulum mitis humilitas sive mansuetúdo humilis appellátur.

Peritia huius artis non in multitúdine verbórum, non in sermoni elegántia, non in quaestiónum perplexitátibus, non in conflictibus di-

sputationum, sed in morum experientia et in purioris conscientiae testimonio retinetur.

Responsorium

Mt 11, 28-29

- R. Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, * Et invenietis requiem animabus vestris.
V. Tollite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde. * Et invenietis.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Euge serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus. i T. AC2 26*

Oratio

Deus, qui beato Vincencio tribuisti et in episcopali ministerio Ecclesiam aedificare, et in monastica vita tibi humiliter deservire; eius nobis intercessione concede, ut per angustam viam ad aeternam vitam feliciter perveniamus. Per Dominum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Sacerdos et pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum. i T. AC2 24*

Die 16 octobris

S. HEDVIGIS, religiosa O. N.

Memoria ad libitum

Nata est in Bavaria circiter annum 1174; principi Silesiae matrimonio iuncta, septem ei peperit filios. Vitam gessit devotam, beneficam erga pauperes et aegrotos, pro quibus hospitia fundavit. Viro defuncto, monasterium Trebniacense ingressa est ibique mortua anno 1243.

De Communi sanctorum mulierum: pro iis quae opera misericordiae exercuerunt, vel pro religiosis, vel de Communi monialium.

Ad VigiliasHymnus

1. Caeli sonant, nos canamus,
laetetur Ecclesia,
generosae recolamus
Hedwigis sollemnitas,
prece cuius ascendamus
ad aeterna gaudia.
2. Haec Hedwigis, Christi rosa,
flore florens gratiae,
sibi spina stimulosa
paenitentiae,
alienis fructuosa
nardus alimoniae.
3. Corpus extra castigavit
zona cum cilicio,
intus carnem maceravit
fletu cum iejunio,
cor in fine roboravit
vera contemplatio.
4. Ad quid loquar, quos gustavit
panes, cibos, pocula?
Sic luctando terminavit
huius vitae saecula,
pro qua Deus tot monstravit
in terris miracula.
5. Gloria et honor Deo
usquequo altissimo,
una Patri Filioque
inclito Paracclito,
cui laus est et potestas
per aeterna saecula. Amen.

Hauterive p. 2

Lectio altera

E Vita sanctae Hedvigis a quodam coaevo auctore conscripta
(Acta Sanctorum Oct. 8, 201-202)

Semper tendebat in Deum

Sciens famula Dei quod illi lapides vivi, in aedificio caelestis Ierusalem collocandi, expoliri debarent in hoc mundo tunsiōibus et pressūris, per multasque tribulaciones oportéret transire ad illam supernam gloriam et patriam gloriōsam, totam se aquis passionum expōsuit, corpūisque suum absque compassione multis iugiter castigationum flagellis attrivit. Maceravit enim se ieuniis et abstinentiis cotidie adeo magni, quod multi mirabantur quomodo femina tam débilis et delicata poterat huiusmodi cruciamina sustinere.

Afflictione assidua mortificationi carnis, discretione tamen prævia, quanto invigilabat attētius tanto magis in vigore spiritus et profectu gratiae succurrebat, devotionis quoque ac divini amoris incendium in ea sumebat abundantius incrementum. Ferebatur namque saepius iam ardenti desiderio sursum et agebatur in Deum, ut effecta insensibilis, quae circa ipsam erant non advertéret.

Quemadmodum mentis devotione semper tendebat in Deum, ita benefica pietate inclinabat se ad proximum, liberaliter indigentibus eleemosynas

tribuendo, quia et collégiis et religiosis personis, intra vel extra monastéria commorántibus, viduis et pupillis, infirmis et debilibus, leprósis et reclúsis in vinculis aut in carcéribus, peregrinántibus quoque et nutriéntibus párvulos féminis indigéntibus, subventionis beneficia impendébat, et universáliter néminem ad se pro auxilio veniéntem, inconsolátum abire permisit.

Et quia haec Dei fámla quaecúmque póterat exercére bonórum óperum non negléxit, hanc étiam ei Deus grátiam cóntulit, ut ubi humána sibi défuit in operatióne facúltas et deficiébat in agéndis propriis viribus, divína passionisque Christi virtúte posset perficere quod proximorum ab ea in necessitatibus desidéria flagitábant. Ad se ergo recurréntibus, tam pro cárporis quam spiritus removéndo incómodo, potens fuit auxiliári secúndum divínae beneplácitum voluntatis.

Cf. Prov 31, 17. 18

Responsorium

- R. Accinxit fortitudine lumbos suos, et roborávit bráccium suum;
* Ideóque lucérna eius non extingüetur in sempitérnum.
V. Gustávit et vidit quia bona est negotiatio sapiéntiae Dei.
* Ideóque lucérna.

vel

Ex Tractátu de Vita coenobítica seu communí
Balduini de Fórdia Cantuarién sis Archiepiscopi
(PL 204, 557-558)

Ubi plena est dilectio, plena est communio

Unitas spiritus, quae in caritáte Dei invenitur in nobis, per dilectionem próximi servátur in nobis, ut manéamus simul in dilectione Dei; et manéntes in hac dilectione manéamus in Deo, et Deus in nobis. In dilectione Dei innotescit, et convaléscit, et coaléscit diléctio Dei. Deus quidem seipso conténtus esse potest, et in omni bono ipse sibi sufficiens est, et bonorum nostrorum non eget, nec ei quisquam nocére potest, si non amat, nec prodésse, vel praestáre, si amat.

Deus qui beneficiis in se non indiget, quasi delegávit nobis fratres et próximos nostros, qui indigent, ut vice ipsius beneficia a nobis praestánda suscipiant. Nemo igitur de dilectione Dei sibi blandiatur, nemo se decipiatur, putans se amáre Deum, quem non amat, si próximum non amat. Si non habet omnis homo unde experiméntum cápiat sui, unde seipsum probet; si non diligit próximum quem videt, quem praeséntem habet, quasi a Deo sibi delegátum, cui caritatis débitum solvat; Deum, quem non videt, qui se praeséntem non exhibet, quippe qui non indiget, quómodo potest diligere?

Deus enim in membris suis petit et áccipit, diligitur et contémnitur. In dilectione ergo próximi, sicut per nexum amóris et vinculum pacis, cáritas Dei et unitas Spiritus retinétur a nobis, et conservátur a nobis. Qui enim non diligit fratrem, ab unitate Spiritus recédit, nec Deum diligit nec Spiritu Dei vivit, sed suo spiritu, quia iam sibi vivit, et non Deo.

Ad dilectionem próximi communio pertinet, et ubi plena est dilectio, plena est communio; plena communio non est, quam ómnium communio, sicut scriptum est: "Erant ómnia communia". Sed móvere nos potest, quod séquitur: "Dividebátur singulis, prout cuique opus erat". Quid communióni et divisioni? Quid communióni et proprietati? Si singula dividebátur, prout cuique opus erat, in singulórum usum et proprietátem cedébat, quod cuiusque nécessitas requiriébat. Si habébant singuli várias necessitátes, et propter illas propria subsídia, si proprias infirmitátes, et contra illas propria remédia; si aliquam propriam desolatiónen, et contra illam propria solátia: quómodo erant illis ómnia communia, cum singulis nonnulla essent propria?

Videámus tamen si nodus amóris, qui solvi non debet, sólvere possit nodum huius quaestiónis. Potest útique. Novit enim cáritas suo arbitrio proprietátem ad communiónem redúcere; non ita tamen ut proprieas non sit, sed ita ut proprieas ad communiónem condúcet, ut communióni non obsistat, ut communiónis bonum non impédiat.

Responsorium

Mt 25, 35. 40

- R. Esurivi, et dedistis mihi manducáre; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me: * Amen dico vobis: Quádiu fecistis uni ex his frátribus meis minimis, mihi fecistis.
V. Fenerátur Dómino, qui miserétur páuperi. * Amen dico.

Ad Laudes matutinas

Hymnus

1. Exsúltent hódie iúgiter ómnium mentes altisone cármina córdium, cum Christus fámulam véxit ad aéthera Hedwigem sanctam, inclitam.
2. Verus sol Slésiae splénduit in nube donans terrigenis múnera plúrima; signis mirifice fúlgida sédulis haec sancta suis méritis.
3. Oret haec, Dómine, sancta sua prece pro nobis, fámulis humilibus tuis, ne nos fraus daemónis artet in inferis vel pungat suis iáculis.
4. Huius nos, Dómine, festa fac cólere hac die condigne, rex bone glóriae, ut cum caelicolis láudibus hýmnis fruámur in caeléstibus.
5. Praesta hoc, Génitor óptime, máxime, hoc tu, Nate Dei, et bone Spiritus, regnans perpétuo fúlgida Trinitas, per cuncta pie saécula. Amen.

Hauterive p. 7

Ad Benedictus, ant. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam
in portis opera eius, alleluia. 7 T. Hauterive 8

Oratio

Concéde, quaésumus, omnipotens Deus, ut veneranda nobis beatæ Hedvigis intercessio tribuat caeleste subsidium, cuius vita mirabilis omnibus humilitatis praestat exemplum. Per Dominum.

Ad Vesperas

Hymnus

1. Fortem virili pectore
laudémus omnes féminam,
quae sanctitatis glória
ubique fulget inclita.
 2. Haec sancto amore saúcia,
huius cadúca saéculi
dum calcat, ad caeléstia
iter perégit árduum.
 3. Carnem domans ieíuniis,
dulcique mentem pábulo
orationis nūtriens,
caeli potitur gáudiis.
 4. Rex Christe, virtus fórtium,
qui magna solus éfficis,
huius precátu, quaésumus,
audi benignus súpplices.
 5. Iesu, tibi sit glória,
qui nos beátae sérvulae
speráre das suffrágia
et sempitérna praémia. Amen.

Ad Magnificat, ant. Manum suam apéruit inopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit, allélua. iv T. Hauterive

Die 25 octobris

S. BERNARDI CALBO', episcopi O. N.

Memoria ad libitum

Bernardus cognomento Calbó a Manso Calbo eius natalis solo, dioecesis Tarragonensis in Catalaunia, iudicis munere functus est. Anno 1214 in monasterium de Sanctis Crucibus Ordinis Cisterciensis ingressus, abbas electus est anno 1225. Postea episcopus Vicensis consecratus, ecclesiam suam strenue contra haereticorum insidias Albigensium et Poenitensium defendit, Inquisitor fidei a Gregorio papa IX anno 1235 nominatus. Anno 1243 de vita decessit.

De Communi pastorum: pro episcopis.

Ad Vigilias

Lectio altera

Ex Sermónibus sancti Bernárdi abbátis Claraevallénsis
super Cántica Canticórum
(Sermo 64: Opera omnia, Edit. Cist. II, 170-171)

Haeretici revocentur ad veram fidem

Si iuxta allegoriam ecclésias vineas, vulpes haeréses vel pótius haeréticos ipsos intellegámus, simplex est sensus, ut haerétici capiántur pótius quam effugéntur. Capiántur, dico, non armis, sed arguméntis, quibus refellántur erróres eórum; ipsi vero, si fieri potest, reconciliéntur Cathólicae, revocéntur ad veram fidem. Haec est enim volúntas eius, "qui vult omnes hómines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire". Hoc déniique velle se perhibet, qui non simpliciter "cápite vulpes", sed "cápite", inquit, "nobis vulpes". Sibi ergo et Sponsae suae, id est Cathólicae, iubet acquiriri has vulpes, cum ait: "Cápite eas nobis".

Itaque homo de Ecclésia exercitátus et doctus, si cum haerético homine disputáre aggreditur, illo suam intentionem dirigere debet, quatenus ita errántem convincat, ut et convértat, cōgitans illud apóstoli Iacóbi, quia "qui convérti fécerit peccatórem ab errore viae suae, salvabit ánimam eius a morte, et óperit multitúdinem peccatórum". Quod si revérti noluerit, nec convictus post primam iam et secúndam admonitionem, útpote qui omnino subvérsus est, erit, secúndum Apóstolum, devitandus. Ex hoc iam mélius, ut quidem ego árbitror, effugátur, aut étiam religátur, quam sinitur vineas demoliri.

Nec propterea sane nihil se egisse putet qui haereticum vicit et convincit, haereses confutavit, verisimilia a vero clare aperteque distinxit, prava dogmata, plana et irrefragabili ratione prava esse demonstravit, pravum denique intellectum, extollentem se adversus scientiam Dei, in captivitatem rededit. Nempe cepit nihilominus, qui talia operatus est, vulpem, etsi non ad salutem illi; et cepit eam Sponso et Sponsae, quamvis aliter. Nam si haereticus non surrexit de faece, Ecclesia tamen confirmatur in fide; et quidem de profectibus Sponsae Sponsus sine dubio gratulatur. "Gaudium etenim Domini fortitudo nostra". Denique non putat a se aliena lucra nostra, qui se nobis tam dignanter associat, dum iubet capi vulpes non sibi, sed nobis secum: "Capite", iugiens, "nobis".

Vides quam sociáliter lóquitur qui sócium non habet? Póterat dice-re: "mihi", sed máluit "nobis", consórtio delectátus. O suavitátem! O grátiam! O amórís vim! Itane summus ómnium, unus factus est ómnium? Quis hoc fecit? Amor, dignitátis néscius, dignatióne dives, afféctu potens, suásu éfficax. Quid violéntius? Triúmphat de Deo amor. Quid tamen tam non violéntum? Amor est. Quae ista vis, quaeso, tam violénta ad victóriam, tam victa ad violéntiam? Dénique semetipsum exinanivit, ut scias amórís fuisse, quod plenitúdo effusa est, quod altitúdo adae-quáta est, quod singuláritas associáta est.

Responsorium

Cf. Act 20, 28

R. Atténdite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus pósuit episcopos, * Pásclere ecclésiam Dei, quam acquisivit sanguine Filii sui.

y. Intrábunt lupi graves non parcéntes gregi. Propter quod vigílate et consumáte ministérium quod accepistis. * Pásclere ecclésiam.

vel

Ex Epistolis sancti Bernárdi abbátis Claraevallénsis

(Epist. 42: Opera omnia, Edit. Cist. VII, 108-109)

Nihil suum quaerat episcopus sed tantum Dei honorem

Púritas cordis in duóbus consistit: in quaerénda glória Dei et utilité próximi, ut in ómnibus vidélicet actis vel dictis suis nihil suum quaerat episcopus, sed tantum aut Dei honórem, aut salutem proximorum, aut utrúmque. Hoc enim agens implébit non solum pontificis officium, sed et etymologiam nómínis, pontem útique seipsum fáciens inter Deum et próximum. Pertingit pons iste usque ad Deum ea fidúcia, qua non suam, sed illius glóriam querit. Pertingit usque ad próximum illa pietáte, qua et ipsi, non sibi prodésserat desiderat.

Offert Deo bonus mediátor preces et vota populórum, repórtans illis a Deo benedictióñem et grátiam. Súpplicat maiestáti pro excéssibus delinquéntium, vindicat in peccántes iniúriam Dei. Ingrátis impróperat beneficia pietátis, contemnentibus poténtiae severitátem insinuat, utrisque tamen nihil minus placare studet indignántis furórem, nunc quidem hóminum obténdens infirmitátem, nunc divinae magnitúdinem pietatis. Dénique sive excédat Deo, sive sóbrios sit nobis, aut Deo semper, quantum in ipso est, praestáre gestit, aut nobis, non quod sibi omnino útille est quaerens, sed quod multis.

Fidélis pónífex qui bona quaélibet per manus suas transeúntia, sive divina beneficia ad hómines, sive hóminum vota ad Deum, columbino intuens óculo, nihil sibi reténtat ex ómnibus. Nec pópuli requirit datum, sed lucrum, nec Dei glóriam usúpat sibi. Accéptum taléntum non ligat in sudário, sed partitur nummuláriis, a quibus et usúras récipit, non sibi, sed Dómino. Non habet fóveam ut vulpes, non tamquam vólucres nidum, non lóculos quómodo Iudas, non dénique, sicut nec María, locum in diversório. Imitátur profécto illum qui non habebat ubi reclináret caput, factus impáresentiárum tamquam vas pérditum: quandóque procul dúbio futúrum vas in honórem et non in contuméliam. Dénique perdit ániam suam in hoc mundo, ut in vitam aetérnam custódiat eam.

Hoc tanto puritatis intimae bono gloriári non potest veráciter, nisi qui extrinsecas gloriolas perfécte respúerit. Nec enim pure valet Dei vel próximi quaérere lucra, qui propria non contémperit. Is tantum puritatis interiórís glória non fraudátur, qui dicere potest cum Dómino: "Si ego quaero glóriam meam, glória mea nihil est", et cum Apóstolo: "Mihi vivere Christus est, et mori lucrum", et cum Prophéta:

"Oblivióni datus sum, tamquam mórtuus a corde", id est a própria volun-táte. Bona oblivio, si te ipsum néscias, ut próximo prosis. Bene "mórtuus a corde", si iam non tibi vivere stúdeas, sed ei qui pro te mórtuus est.

Responsorium

1 Cor 4, 1-2; Prov 20,6

R. Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatóres mysteriorum Dei: * Hic iam quaéritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniáatur.

y. Multi hómines misericórdes vocántur, virum autem fidélem quis invéniet? * Hic iam.

Ad Laudes matutinasHymnus

1. Vetústa laus, et saéculi antiquioris glória,
quam prorsus admirábilem
mirácula facta compróbant.

4. Nostri patres te nóverant:
dum tu studeas incógnitus
vixisse, prodit lúmine
ipsam suo se sánctitas.

2. Bernárdus olim, milite
forti coácto, réppulit
ab oppidis fidélium
lunae ferócis ágmina.

5. Eléctus es, voléntibus
cunctis; places et ómnibus:
ovile Christum tráditur,
mandátur et custódia.

3. Non te cadéntem praélio
calcábit hostis ímpius,
virtúte numquam córrues
subníxa divi praésidis.

6. Honor, decúsque máximo
Patri, decúsque Filio;
Laus aequa sit Paráclito,
per cuncta prorsus saécula. Amen.

E Proprio Vicensi.

Ad Benedictus, ant. Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fui-sti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus. i T. AC2 26*

Oratio

Deus, qui beátum Bernárdum episcopum, fidélem in Evangélii praedi-catione et defensióne Ecclésiae tuae ministrum tribuísti, dirige in caritáte tua et confirma corda nostra, ut et fidem serváre, quam verbo dócuit, et viam sequi valeámus, quam exémplo monstrávit. Per Dóminum.

Ad Vesperas

Hymnus ut ad Laudes matutinas.

Ad Magnificat, ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradisi coronávit eum. i T. AC2 27*

Die 11 novembris**S. MARTINI, episcopi**

Festum

Natus est in Panonia circa annum 316 ex parentibus gentilibus. Baptismo suscepto et militia abdicata, monasterium fundavit apud Locogiacum (Ligugé), in Gallia, ubi vitam monasticam egit, moderante sancto Hilario. Deinde sacerdotio insignitus est et episcopus Turonensis electus. Exemplum boni pastoris p[re]se ferens, alia monasteria fundavit, clerum eruditivit, pauperes evangelizavit. Mortuus est anno 397.

De Communi pastorum: pro episcopis.

Ad Invitatorium

Ant. Iustus florébit in domo Dómini plantátus: * Gaudéamus et exultémus in eius sacra festivitáte. iv T. AC1 337

Ad Vigilias**Hymnus**

- | | |
|---|--|
| 1. Rex Christe, Martini decus,
hic laus tua, tu illius:
Tu nos in hunc te cólere,
quin ipsum in te tribue. | 3. En pauper hic et móicus
caelum dives ingréditur;
caeli cohórtes óbiant,
linguae, tribus, gentes ovant. |
| 2. Qui das per orbis cárddines,
quod gemma fulget Praesulum;
da quos premunt culpae graves,
solvat per ingens méritum. | 4. Ut vita, fulget tránsitus,
caelis et arvo spléndidus;
gaudére cunctis pium est,
cunctis salus sit haec dies. |
| | 5. Sit Trinitati glória,
Martinus ut conféssus est,
cuius fidem per ópera
in nos et ipse róboret. Amen. |

S. Odo, Abb. Clun. (Hauterive 2)

Psalmodia I Nocturni

Ant. 1 Martinus adhuc catechúmenus hac me veste contéxit. vii T.
AC1 431

Psalmi de Communi pastorum.

Ant. 2 Sanctae Trinitatis fidem Martinus conféssus est, et baptismi
grátiam percépit. vii T. AC1 431

Ant. 3 Beátus Martinus dixit Iuliáno: Christi enim sum miles, pugnare mihi non licet. viii T. AC1 431

Ant. 4 Ego signo Crucis, non clýpeo protéctus, aut gálea, hóstium cùneos penetrábo secúrus. 7 T. AC1 432

Ant. 5 Martíne, misit nos Dóminus tibi auxilium ferre, et rústicam multitudinem effugáre. vii T. AC1 432

Ant. 6 Impósita manu púero beátus Martinus immundum ab eo spiritum eiécit. viii T. AC1 432

y. Sacerdótes tui, Dómine, induántur iustitiam.

R. Et sancti tui exsúltent.

Lectio prima

1, 7-11; 2, 1-8

De Epistola beáti Pauli apóstoli ad Titum

Doctrina Apostoli de episcoporum dotibus et officiis

Carissime: Opórtet episcopum sine crímene esse, sicut Dei dispensatorem: non supérbum, non iracundum, non vinoléntum, non percussórem, non turpi lucri cùpidum; sed hospitálem, benignum, sóbrium, iustum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum qui secúndum doctrinam est fidélem sermonem, ut potens sit exhortári in doctrina sana, et eos qui contradicunt argúere.

Sunt enim multi étiam inoboediéntes, vanilóqui et seductóres, máxime qui de circumcisíone sunt, quos opórtet redárgui; qui univérsas domos subvértunt, docéntes quae non opórtet turpis lucri grátia.

Tu autem lóquere quae decent sanam doctrinam.

Senes ut sóbri sint, pudici, prudéntes, sani in fide, in dilectione, in patientia; anus similiter in hábitu sancto, non criminatrices, non multo vino servíentes, bene docéntes; ut prudéntiam dóceant adulescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benignas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei.

Iúvenes similiter hortáre ut sóbri sint. In ómnibus te ipsum praebe exemplum bonórum óperum, in doctrina, in integritaté, in gravitaté, verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est vereáatur, nihil habens malum dicere de nobis.

Responsorium

R. Beátus Martinus óbitum suum longe ante praescivit, dixítque frátribus: * Dissolotiónem sui córporis imminére; quia iudicabat se iam resólvi.

y. Viribus córporis coepit repénte destitui, convocatisque discipulis in unum dixit: * Dissolotiónem sui.

Psalmodia II Nocturni

Ant. 1 Confido in Dómino, quod filia mea précibus tuis reddénda sit sanitati. viii T. AC1 433

Psalmi de Communi pastorum.

Ant. 2 Tetrádius, cónita Dei virtute, ad baptismi grátiam pervénit. 7 T. AC1 433

Ant. 3 O ineffábilem virum, per quam nobis tanta mirácula corúscant! 8 T. AC1 433

Ant. 4 Dóminus Iesu Christus non se (inquit) purpurátum, nec diadéma te renitentem ventúrum esse praedixit. viii T. AC1 433

Ant. 5 Dum Sacramenta offérret beátus Martinus, globus igneus appáruit super caput eius. viii T. AC1 434

Ant. 6 Sacérdos Dei Martine, pastor egrégie, ora pro nobis Deum. viii T. AC1 434

V. Audies de ore meo verbum.

R. Et annuntiábis eis ex me.

Lectio secunda

Ex Epistolis Sulpicii Sevéri

(Epist. 3, 6. 9-10. 11. 14-17. 21: SC 133, 336-344)

Martinus pauper et modicus

Martinus óbitum suum longe ante praescivit, dixitque frátribus dissolutiōnem sui cóporis imminére. Intérea causa éxstítit qua Condacéns dioecésim visitáret. Nam cléricis inter se ecclésiae illius discordántibus, pacem cùpiens reformáre, licet finem diérum suórum non ignoráset, proficisci tamen ob istius modi causam non recusávit, bonam hanc virtútum suárum consummatiōnem existimans, si pacem Ecclésiae réditam relinquisset.

Aliquándiu ergo in vico illo vel in ecclésia ad quam ierat commorá-
tus, pace inter cléricos restitúta, cum iam régredi ad monastérium co-
gitáret, viribus cóporis coepit repénte destitui, convocatisque frá-
tribus indicat se iam resólvi. Tum vero maeror et luctus ómnium et vox
una plangéntium: "Cur nos, pater, déseris? aut cui nos desolátos relin-
quis? Invádēt gregem tuum lupi rapáces; quis nos a mórsibus eórum,
percússio pastóre, prohibébit? Scimus quidem desideráre te Christum,
sed salva tibi sunt tua praemia nec diláta minuéntur; nostri pótius
miserére, quos déseris".

Tunc ille motus his flétibus, ut totus semper in Dómino misericór-
diae viscéribus affluébat, lacrimásse perhibétur; conversúsque ad Dómi-

num hac tantum fléntibus voce respóndit: "Dómine, si adhuc pôpulo tuo sum necessárius, non recuso labórem; fiat volúntas tua".

O virum ineffábilem, nec labóre victum nec morte vincéndum, qui in nullam se partem prónior inclináverit, nec mori timúerit nec vivere recusárit! Oculis tamen ac mánibus in caelum semper inténtis, invictum ab oratiōne spiritum non relaxábat; et cum a presbýteris, qui tunc ad eum convénerant, rogarétur ut corpúsculum láteris mutatione releváret: "Sinite, inquit, sinite me, fratres, caelum pótius respicere quam terram, ut suo iam itinere iturus ad Dóminum spíritus dirigátur". Haec locútus diábolum vidit prope assistere. "Quid hic, inquit, astas, crúenta béstia? nihil in me, funéste, repéries; Abrahae me sinus r'écipit". Cum hac ergo voce spíritum caelo réddidit. Martinus Abrahae sinu laetus excipitur, Martinus pauper et módicus caelum dives ingréditur.

Responsorium

R. O vere beátum, in cuius ore dolus non fuit, néminem iúdcans, néminem damnans! * Numquam in illius ore, nisi Christus, nisi pax, nisi misericórdia inerat.

V. O virum ineffábilem, nec labóre victum nec morte vincéndum, qui nec mori timuit nec vivere recusávit! * Numquam in.

vel

Ex Sermónibus sancti Bernárdi abbátis Claraevallénsis
(In festivitaté S. Martini: Opera omnia, Edit. Cist. V, 408-410)

Quia vere pauper spíritu fuit Martinus,
pauper et modicus meruit nominari

Ut pauca virtútum Martini indicia promam, páuperem illum spíritu beátus novit Hilárius, cum, impónere ei diaconátus officium tentans nec praévalens, quod indignum sese vociferarétur, exorcistam eum esse praecépit: in quo quidam locus iniúriae viderétur, sciens nimírum quod humiliórem ordinatiōnem minime repudiáret. Pauper fuit, veste sórdidus, crine incultus, fácie despicábilis: quae quidem, licet in electione eius a quibúdam malévolis obiécta fuissent, in ipso tamen episcopátu, sicut scriptum est, pénitus non mutávit. Dénique, quia vere pauper spíritu fuit Martinus, pauper et módicus mérit nominári.

Audi vero mansuetudinem eius, suo illo Sulpitio sic scribente: Tantam advérsus omnes iniúrias patiéntiam assúmpserat, ut cum esset summus sacérdos, impúne étiam ab infimis cléricis laederétur, nec propter id eos aut loco umquam amóverit, aut a sua, quantum in ipso fuit, caritáte repúlerit.

Crebro siquidem homo Dei, útpote terram despiciens, caelum suspi-
ciébat. Nempe sciébat ad hoc sese, ut supra meminimus, rectam et in
ipso córpore accepisse statúram. Sciébat illic esse thesáurum suum,
sciébat illic sedére in Patris déxteram Christum suum, sciébat numquam
sese, donec illuc perveniret, quod desiderábat assecutúrum. Unde et

hoc ipsum, quod delirius vocabatur in terra, mérito non atténdit, cuius nimirum conversatio esset in caelis, cuius óculi in capite suo. Sane illuc étiam lácrimae eius a maxilla ascéndere consuéverant, quibus sic abundábat, ut sóleret pro illórum quoque, qui obtrectatóres sui videbántur, flere peccátis.

Nam misericórdem eum in páupere se expértum Salvátor ipse apud ángelos gloriabátur, datam sibi medietátem vestis osténtans. Utinam autem nobis étiam miseris apud summum Iúdicem, in cuius admirábile tabernáculum introivit, misericórdiam illam exhibére dignétur, qua et illos olim morti deputátos et torméntis váriis deputátos eripuit, pro quibus ante terréni iúdicis iánuam nocte média scribitur iacuisse. Quómodo enim non áudiet eum nunc, qui tunc quoque fecit audiri? Porro munditiam cordis eius illud vel máxime indicat, quod non est confúsus inimico lóquens in porta: "Nihil in me funéste repéries, Abrahæ me sinus récipit". Nam in ópere pacificórum feliciter plane consummáns labóres suos, licet diérum suórum finem non ignoráret, cléricos ádiit dissidéntes, inter quos reformáta pace, in pace ipse quiévit.

Responsorium

- R. O beátum virum Martinum Antistitem, *Qui nec mori timuit, nec vivere recusávit.
V. In cuius tránsitu Sanctórum canit númerus, Angelórum exúltat chorus. * Qui nec.

Psalmodia III Nocturni

Ant. O Martine! o pie! quam pium est gaudére de te! o Martine, Prophé-tis compar, Apóstolis consérte, praésulum gemma, fide et méritis egrégie, pietáte, misericórdia, caritáte ineffábilis, sucúrre nobis nunc et ante Deum. i T. AC1 434

Cantica de Communi pastorum.

- V. Non erubéscō Evangélium.
R. Virtus enim Dei est in salútem.

Evangelium

Lc 11, 33-36

Qui lucernam accendit, ponit eam super candelabrum

+ Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

In illo témpore: Dixit Iesus discipulis suis: "Nemo lucernam accéndit, et in abscondito ponit, neque sub módio; sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen videant.

Lucerna cóporis tui, est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit; si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósrum erit. Vide ergo ne lumen, quod in te est, ténebrae sint.

Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérra fulgórís illuminábit te.

Verbum Dómini.

Homilia

Ex Sermónibus sancti Bernárdi abbátis Claraevallén sis
(In festivitate S. Martini: Opera omnia, Edit. Cist. V, 407-408)

Martinus lucerna erat ardens et lucens

Martinus Christus non fuit, sed tamen Christum hábuit, non quómodo ángeli in praeséntia maiestatis, non quómodo Apóstoli in visiónē humánitatis, non quómodo olim est in visiónē sanctis suis, sed quómodo eum étiam nunc habet Ecclésia, in fide et sacraméntis. "Non erat ille lux, sed lucérra plane ardens et lucens", de Ioánne dictum est. Et Martinus lucérra erat ardens et lucens: eum saltem non pígeat imitári, sed imitári in eo quod imitábile, non autem quod mirábile exhibétur.

Ad mensam dívitíis sedes hódie: "Diligénter considera quae tibi apponúntur". Discérne inter cibos et vasa cibórum. Illos enim iubéris tollere, sed non illa. Dives est iste Martinus, dives in méritis, dives in miráculis, dives in virtútibus, dives in signis. Diligénter ergo considera quae apponúntur tibi, quaenam vidélicet ad admiratióne, quae vero ad imitationem. Suscitávit Martinus tres mórtuos, quantos nimirum Salvatórem légerat suscitásse. Réddidit visum caecis, surdis auditum, mutis loquélam, claudis gressum, áridis sospitátem. Evasit divina virtúte pericula, próprii cóporis óbice flammas répulit, immánem sacrilegæ máchinae mollem colúmna párlili caelo descendénte prostrávit, leprósum mundávit ósculo, curávit paralýticum, daémones vicit, ángelos vidit, futúra praevidit.

Verum haec quidem, ceteraque eiúsmodi altissima quae fecit magnália, quidni mirifica quaedam vasa dixerim dívitíis huius, áuro grávia, gemmis micántia, paritérque matéria et ópere pretiósā? Noli in his sapórem quaérere, sed mirare splendórem. Lúceat in huiúsmodi lucérra nostra, ut in lúmine eius videas lumen, quod quidem purum, prout in se est, neclum praeváles intúeri. Non enim est ite lux, sed ut testimónium perhíbeat de lúmine, et appáreat tibi interim gloriósus Deus in Sancto suo, dum non potes ad glóriam eius, sicut est in seipso.

Céterum ne putáveris ornátas quidem Martini lámpades, sed vácuas inveniri: non est fátua virgo, habet in vasis óleum. Habet vinum in phíalis, habet intre parópsides istas cibórum cópiam, delicias útique spirituáles, ut non modo videant et miréntur, sed edant páuperes et saturéntur, atque in illis quidem Dóminum laudent, porro in his vivant corda eórum. Alióquin quómodo mórtui laudábunt te, Dómine?

Ut ergo sit iucúnda decoráque laudátió in admiratióne, étiam vivant ex imitatione, ut avidius sumant delicias, ipsas quoque dívitias curiósius contempléntur. Sic nimirum inter splendórem et fervórem lúcerne huius vicáriis quibúsdam afféctibus discurréndum, ut nobis alter ex altero commendéetur et ex mútua collatione utérque complacitior fiat.

Siquidem humilis fuit et spiritu pauper iste Martinus, sicut evidentissime probat effectus ipse divinae gratiae, quam profecto tam multam nisi multum humili non dedisset.

Responsorium

- R. Martinus Abrahae sinu laetus excipitur, Martinus hic pauper et modicus, * Caelum dives ingreditur, hymnis caeléstibus honoratur.
V. Martinus episcopus migravit a saeculo, vivit in Christo gemma sacerdotum. * Caelum dives.

Hymnus Te Deum laudamus.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinasHymnus

1. Martine, par apóstolis,
festum colentes tu fove;
qui vivere discipulis
aut mori vis, nos respice.

2. Fac nunc quod olim gesseras,
nunc praesules clarifica,
auge decus Ecclesiae,
fraudes relide Sátanae.

3. Qui ter chaos evisceras,
mersos reátu suscita;
diviseras ut chlámydem,
nos indue iustitiam.

4. Ut specialis gloriae
quondam tuae memineris,
pontificum nunc ordini
pio favore subveni.

5. Sit Trinitati glória,
Martinus ut conféssus est,
eius fidem qui iugiter
in nos per actus inserat. Amen.

S. Odo, Abb. Clun. (Lit. Hor.)

Psalmodia

Ant. 1 Dixérunt discipuli ad beatum Martinum: Cur nos pater déseris?
aut cui nos desolatos relinquis? invadent enim gregem tuum lupi rapaces. vii T. AC2 535

Psalmi et canticum pro diebus festivis.

Ant. 2 Dómine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recusso labore rem, fiat voluntas tua. 7 T. AC2 535

Ant. 3 O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum!
qui nec mori timuit, nec vivere recusavit. viii T. AC2 536

Ant. 4 Oculis ac manibus in caelum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat, alleluia, alleluia. vii T. AC2 538

Ant. 5 Martinus Abrahae sinu laetus excipitur, Martinus hic pauper et modicus, caelum dives ingreditur, hymnis caeléstibus honoratur. viii T. AC2 536

Lectio brevis

Hebr 13, 7-9a

Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem. Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula. Doctrinis variis et peregrinis nolite abduciri.

Responsorium breve

- R. Super te, Ierusalem, * Constitui custodes. Super te.
V. Die ac nocte non tacebunt praedicare nomen Domini. * Constitui.

Ad Benedictus, ant. O beatum virum, cuius anima paradisum possidet: unde exultant Angeli, laetantur Archangeli, chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum invitat: Mane nobiscum in aeternum. ii T. AC2 536

Preces ut de Communi pastorum.

Oratio

Deus, qui beato Martino episcopo sive per vitam sive per mortem magnificatus es, innova gratae tuae mirabilia in cordibus nostris, ut neque mors neque vita separare nos possit a caritate tua. Per Dominum.

Ad Tertiam

Ant. O ineffabilem virum, per quam nobis tanta miracula coruscant! 8 T. AC1 433

Lectio brevis

1 Tim 4, 16

Attende tibi et doctrinae; insta in illis: hoc enim faciens, et te ipsum salvum facies, et eos qui te audient.

V. Elegit Dominus servum suum.

R. Pascere Iacob hereditatem suam.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Sextam

Ant. Sacerdos Dei Martine, pastor egregie, ora pro nobis Deum. viii T. AC1 434

Lectio brevis

1 Tim 1, 12

Grátias ago ei, qui me confortávit, Christo Iesu Dómino nostro,
quia fidélem me existimávit, ponens in ministério.

V. Non erubéscō Evangélium.

R. Virtus enim Dei est in salútem.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Nonam

Ant. O quantus luctus ómnium! quanta praecipue laménta monachórum et
vírginum! quia et pium est gaudére Martino, et pium est flere Martinum.
i T. AC2 537

Lectio brevis

1 Tim 3, 13

Qui bene ministráverint, gradum bonum sibi acquirent, et multam
fidúciam in fide, quae est in Christo Iesu.

V. Nisi Dóminus aedificáverit domum.

R. In vanum laboravérunt qui aedificant eam.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad VesperasHymnus

1. Iste conféssor Dómini sacrátus,
festa plebs cuius célebrat per orbem,
hódie laetus mérit sécréta
scándere caeli.
2. Qui pius, prudens, húmílis, pudicus,
sóbrius, castus fuit et quiétus,
vita dum præsens vegetávit eius
córporis artus.
3. Ad sacrum cuius túmulum fréquenter
membra languéntum modo sanitáti,
quólibet morbo fúerint gravati,
restituúntur.
4. Unde nunc noster chorus in honórem
ipsius, hymnum canit hunc libénter,
ut piis eius méritis iuvémur
omne per aevum.

1 Tim 1, 12

5. Sit salus illi, decus atque virtus,
qui supra caeli résidens cacúmen,
tótius mundi máchinam gubérrnat
trinus et unus. Amen.

Psalmodia

Ant. ut ad Laudes matutinas.

Psalmi et canticum de Communi pastorum.

Lectio brevis

1 Petr 5, 1-4

Seniores, qui in vobis sunt, ósecro consénior et testis Christi
passiónum, qui et eius, quae in futúro revelánda est, glóriae communi-
cátor; páschte, qui in vobis est, gregem Dei, providéntes non coácte,
sed spontánee secúndum Deum; neque turpis lucri grátia, sed voluntárie;
neque ut dominántes in cleris, sed forma facti gregis ex ánimo. Et cum
apparúerit princeps pastórum, percipiétis immarcescibilem glóriae co-
rónam.

Responsorium breve

R. Hic est fratrū amátor, * Qui multum orat pro pôpulo. Hic
est.

V. Et ániam suam trádidit pro frátribus suis. * Qui multum.

Ad Magnificat, ant. O beatum pontíficem, qui totis viscéribus diligé-
bat Christum Regem, et non formidábát impérii principátum! o sanctis-
sima ánima, quam etsi gládius persecutóris non abstuli, palmam tamen
martýrii non amisit. i T. AC2 538

Preces de Communi pastorum.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Die 12 novembris

S. THEODORI STUDITAE, abbatis

Memoria ad libitum

Theodorus anno 759 Constantinopoli natus, anno 780 monachus
monasteriis de Sakkudion factus, deinde anno 787 sacerdos ordinatus
et anno 794 abbas electus est. Inde ab anno 798 monasterium de
Stoudion direxit, quod vere in schola sapientum, sanctorum et
martyrum mutavit, qui in persecutione ab iconoclastis (ab everso-
ribus sanctarum imaginum) exagitata victimae occubuerunt. Ipse ter

in exilium pulsus est. Theodorus Studita traditiones patrum Ecclesiae magno in honore habuit ac Ordinis monastici mutuae erga Ecclesiam fidei conscius, scripsit celebres illas Catecheses quae nuncupantur "Christianae doctrinae institutiones". Inter maximos theologos ac monachos Ecclesiae orientalis floruit ac Constantinopoli die 11 novembris anni 826 mortuus est.

De Communi sanctorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad Vigilias

Lectio altera

E Testamento sancti Theodóri Stúditae abbátis
(PG 99, 1814-1823)

Abeo ad Dominum ac Deum meum, quem dilexit anima mea

Instante iam migrationis ex hac vita meae articulo, testaméntum hoc vobis prius condére institui; rem cóngruam atque útilem me factúrum arbitrátus; ut cognoscant qui supréquam meam vocem áudent, quemámodum credam et sétiam; et qualem post me futúrum praepósitum relinquam; tum ut concordiam inde, pacémque in Christo servétis, quam ascensurus in caelos Dóminus sanctis discípulis suis et apóstolis reliquit.

Adéste et vos, filii mei ac fratres, et audite misérrimam vocem meam. Suscipe dómum praepósitum, sicut elegisti ipsum omnes. Amplectimini illum tamquam successórem meum, cum reveréntia et honórem intuéntes in eum, et legitimam oboediéntiae régulam erga illum serváte, tamquam erga me ipsum, novam eius in Dómino promotiónem minime spernéntes, nec plus quidquam in eo requiréntes, quam ei a Spíritu Sancto concéssum sit: quandoquidem ei sufficit, ut ea obsérvet, quae ab humilitáte mea praecépta sunt.

Humilitátem sectántes, voluntátem própriam abnegáte, ad ea solum vos conformántes, quae a praepósito vestro fúerint approbáta. Et si quidem haec scitis, beáti éritis, si ad finem usque illa servábitis. Vos enim mártirum chorus excipiet, coronisque in regno caelórum redimi-
ti, sempitérnis bonis fruémimi.

De caétero, fratres, valéte. Iter enim ingrédior, unde réditus non patet; quod omnes ab aevo ingrési sunt; quod et vos póstmodum, hac vita perácta, ingressúri estis. Ignoro autem, fratres mei, quo pergam, et quale iudicium me máneat, aut quisnam me locus excipiet; opus enim bonum in conspéctu Dei nullum egi, ne unum quidem; at contra reus sum omnis peccáti. Verúmtamen laetor et gáudeo, quod ex hoc mundo in caelum ábeo, a ténebris in lucem, a servitúte in libertátem, ab incolátu in veram habitatióñem et pátriam.

Confidéntius adhuc dicam, quod ad Dóminum meum ábeo, ad Dóminum ac Deum meum, quem diléxit ánima mea; quem agnóvi Patrem, tamétsi non cólui ut filius; quem possédi pree ómnibus, tamétsi ut germánus servus non servivi. Haec ut insípiens dixi, sed propter vos dixi, ut propensióres sitis, et orétis pro salute mea; quam ubi adéptus fúero (ecce

ea spóndeo in óculis veritatis), non desitúrum me confidénter oráre Deum ac Dóminum meum pro ómnibus vobis, ut bene vobis sit, ut salvémini, ut impleámini; exspéctans unumquémque sigillátim, cum ex mundo mi- grábit, ut videam, et excipiam, et amplectátur.

Fidúciam enim hanc hábeo, quod bónitas in idipsum nos omnes hic servábit et in futúro saéculo, eius mandátis obsecútus, ad celebrándam eius summam poténtiam. Recordámini humilium sermónum méorum, filii. Depósitum custodite in Christo Iesu Dómino nostro, cui glória et impé- rium in saécula saeculórum. Amen.

Responsorium

1 Tim 1, 12; 2 Tim 4, 7-8a

R. Grátiam hábeo ei, qui me confortávit, Christo Iesu Dómino no-
stro, * Quia fidélem me existimávit ponens in ministério.
V. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi; in
réliquo repósita est mihi coróna iustitiae. * Quia fidélem.

vel

E Sermónibus catechéticis sancti Theodóri Stúditae abbátis
(Sermo 128: PG 99, 678-679)

Alacritate firmemur, mutuo sustinentes, mutuo onera portantes

Contemplémur, si lubet, quibus in rebus pósita sint quae nos con-
tristent. Quod cogitáta ingruant impúra, quae hóstium vicem sério arie-
tent in mentem? Etenim scriptum est: "Si consistant adversum me castra,
non timébit cor meum, si exsúrgat adversum me praelium, in hoc ego spe-
rábo". An quod grave est oboediéntiae iugum? Etenim exstat haec sentén-
cia rursum: "Bonum est viro cum portáverit iugum ab adolescéntia sua,
qui solitarius insimul Deo sérviet". Iterúmque: "Iugum meum suáve est,
et onus meum leve". An quod nihil habet oboediéntia privum? At hoc enim
apostólicum quoque est: "Ecce enim, ait, nos reliquimus ómnia, et secú-
ti sumus te, quid ergo erit nobis? Ac promissum quam venerábile et il-
lustre.

Scilicet non autem et vos aequa ómnibus dimissis herum comitáti,
álius paréntes deséruit, álius fratres, álius cóniugem, atque liberos,
álius aedes, álius agros, cunctis ómnibus præstántius, voluntátes?
Quod árduum est cum primis hominibus; enimvero seu conténtum ieíunium
dicas, seu pervigilium, seu solícubium, seu insoléntiam lavándi, seu
solitúdinem, seu quod áliud stúdium divinum, libera quadam fungéntis
voluntáte obeúntur; porro autem quod libera voluntáte obeáatur, quámli-
bet grave est natúra, voluntáte quidem certe léviter confit quod fra-
genda voluntáte, quantúmvis leve videátur, difficúler tamen confi-
citur.

Ac fácinus id ádeo sancti Patres obtruncatióñem scivérunt, quod
in álium cadat néminem quam subditum genuinum, qui et fari cum Apóstolo
queat: "Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus"; nam qui
nequáquam ex sua libidine vivat, tamquam sequéstra præféceti voluntáte,
Deo vivit. Quin imitátur et eum qui dixerit: "Descéndi de caelo non
ut fáciam voluntátem meam, sed voluntátem qui misit me, Patris".

Igitur gaudéte et tremiscite, partim ob Dei beneficium, partim ob ingénii conversiónem, qui non iidem perpétuo maneámus. Atque ut apostólice loquar: "Considerémus invicem, in provocatióne caritatis, ac bonorum óperum", qui haud defetiscámur frangénda voluntáte, in qua omnis véritat oratio, nec dissolvámur officiis obeúndis, quin alacritaté pótius firmémur, mútu sustinéntes, mútuó ónera portántes, ceu confrátres, ceu unánimes, ceu concórpores. Quo agitando in dies certámine, cursúmque peragéndo, nihil dúbito quin corónam glóriae ferétis, quae minime marcéscat, per Christum Iesum Dóminum nostrum: cui glória et impérium, cum Patre ac Sancto Spiritu, nunc et semper, in omnémque perpetuitatē. Amen.

Responsorium

1 Petr 1, 22; 3, 8

R. Animas vestras castificántes in oboediéntia veritatis ad fraternitatis amorem non fictum, * Ex corde invicem diligite atténtius.

V. In fine omnes unánimes, compatiéntes, fraternitatis amatóres, misericórdes, húmiles. * Ex corde.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Iustus cor suum tradet ad vigilandum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altissimi deprecábitur.
3 T. AC2 34*

Oratio

Deus, qui per beatum Theodórum abbátem coenobítiae vitae disciplinam et decus confirmásti, concéde nobis, quaésumus, eius exémplo et auxilio, ut passióibus Christi per patiéntiam configuráti, regno eius mereámur esse consórtes. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Ad Magnificat, ant. Vos qui reliquistis ómnia, et secuti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam aetérnam possidébitis. i T. AC2 541

Die 13 novemboris

OMNIUM SANCTORUM QUI SUB REGULA S.P.N. BENEDICTI MILITAVERUNT

Festum

Est festum omnium sanctorum monachorum et monialium, qui perfectionis vitae monasticae gratiam necnon sanctitatis in schola Patris nostri sancti Benedicti abbatis adepti sunt. Itaque nobis exemplar sunt et intercessionem præbent apud Deum fontem totius sanctitatis.

Omnia de Communi monachorum, praeter sequentia:

Ad VigiliasHymnus

- | | |
|---|---|
| 1. Fratres, coróna caélica
qua Patriárcha légifer
magnúsque doctor cingitur,
nostris adéste láudibus. | 4. Oboediéntes Spiritus
ad alta vexit culmina,
pacis, precum dulcédine
et caritatis imbuens. |
| 2. Christum secuti principem,
nil hoc putásitis cárius,
certum tenéntes trámitem
sanctae fidéles Régulæ. | 5. Mercéde compti céntupla
viaéque nostra cónciui,
nunc ferte robur frátribus,
levámen atque gáudium. |
| 3. Vos cláustra quantis grátiae
impléstis hic odóribus,
dum grata per siléntia
mens haeret immortálibus! | 6. Sit Trinitati glória,
quae vestra nos consórtia
per dura det, per áspera
gressu valénti conseguí. Amen. |

Lentini p. 71.

Lectio prima

Sir 44, 1-15

De libro Sirácidis

Nomen sanctorum vivit in generationem et generationem

Laudémus viros gloriósos et paréntes nostros in generátione sua. Multam glóriam fecit Dóminus, magníficéntiam suam a saéculo.

Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte et prudéntia sua praédicti, nuntiántes in prophetiis, regéntes pópulum in consiliis et peritia scriptúrae pópulos; verba sapiéntiae in disciplina eórum, requiréntes modos músicos et narrántes cármina scripturárum; hómines divites innixi virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes, pacificántes in dómibus suis.

Omnes isti in generátionibus gentis suaé glóriam adépti sunt et a diébus suis habéntur in láudibus.

De illis nati sunt, qui reliquérint nomen narrándi laudes eórum. Et sunt quórum non est memória: periérunt quasi qui non fúerint; et nati sunt quasi non nati, et filii ipsórum post ipsos.

Sed hi viri misericórdiae sunt, quorum pietátes non fuérunt in oblivíone. Cum sémine eórum pémanent, bona heréditas, nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum; et filii eórum propter illos. Usque in aetérnum manet semen eórum, et glória eórum non derelinquéatur.

Córpora ipsórum in pace sepulta sunt, et nomen eórum vivit in generationem et generationem; sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núnctiet ecclésia.

Responsorium

Sir 44, 14-15

- R. Corpora sanctórum in pace sepulta sunt, et nómina eórum vi-
vent, * In generatióne et generatióne.
y. Sapiéntiam eórum narrent pópuli, et laudem eórum núnctiat Ec-
clésia. * In generatióne.

Lectio secunda

E "Meditativis oratióibus" Guliélmi abbátis sancti Theodorici
(Meditatio XII: PL 180, 247-248)

Vita et conversatione sanctorum simplices
pronuntiant mirabilia Domini

O Pater, qui es in caelis, eos qui multitúdinem dulcédinis tuae, quam abscondisti timéntibus, sperant, tu ipsa perficis, máxime eos quorum ópera lucent in conspéctu filiórū hóminum, ad glóriam tuam. Hii sunt qui te amant, quorum sapiéntia non est de spiritu huius mundi, vel de prudéntia huius saéculi; sed quia non cognovérunt litteratúram, introiérunt in poténtiam Dómini, et páuperes spiritu memorántur iustitiae tuae solius. Propter quod docuisti eos, ut vita et conversatione sua pronúntient mirabilia tua.

Ipsi sunt simplices servi tui, cum quibus esse solet sermocinatio tua; qui in eundo ad te non in cùrribus ingeniórum suórum, vel in equis virium suárum spem habent, sed tantum in nómine Dómini. Ideo sapiéntia tua suáviter eis ómnia disponénte, compéndio brevi, sárcina levi, ad destinátum finem pervénint, ubi currus et équites deficiunt.

Qui non formant vel confórmant sibi amórem tuum subtiliter indagán-
do; sed ipse amor tuus simplicem in eis invéniens matériam, format eos,
et confórmat sibi et afféctu et efféctu, ut absque eo quod intrínsecus latet, glória scilicet et divitiis in domo bonae consciéntiae, non artificiáli conámíne, sed quasi naturáli quadam complexióne, lux intérior in vultu eórum exterióri relúceat, intántum ut de vultus et hábitus eórum venústa quadam simplicitáte, quaedam provocatio caritatis tuae procédens, rudes étiam nonnúmquam ac bárbaros ánimos solo visu ad amórem tuum compúngat.

Siquidem redeúnte natúra ad suam originem, absque doctóre fiunt docibiles Dei, et cum spiritus eórum, adiuvánte infirmitátem eórum tuo Spiritu, in divinas tránseunt affectiones, spirituáli quadam disciplina modificátis sénsibus, étiam córpora eórum spirituáles quasdam induunt effigies, et fácies plusquam humánas, et singulárem quasdam grátiam habéntes.

Sed et caro ex stúdiis boni exercitii seminata in corruptionem, iam incipit resúrgere in glóriam, ut páriter et cor et caro exsúltent in Deum vivum, et sitiénte in te ánima, quam multipliciter sitiat et caro. Póssident enim beáti mites córporis sui terram, quae spirituálium exercitiórum stúdiis fecundáta, bono usu étiam dimissa sibi et inculta, sponte fructificat in ieiuniis, in vigiliis, in labóribus; paráta ad omne opus bonum absque contradictione, vel pigritia. Indeclinábili con-

stántia sic ad te proficiéndo proficiscúntur; sic cooperánte eis grátia tua in proficiscéndo prosperátur, ut non deficiant donec tu perficias.

Responsorium

- R. Propter testaméntum Dómini, et leges patérnas Sancti Dei per-
stítérunt in amóre fraternitátis: * Quia unus fuit semper spi-
ritus in eis et una fides.
y. Memória eórum non derelinquéatur, et nomen eórum in aetérnum
manet. * Quia unus.

vel

Ex Tractátibus ascéticis Gillebérti de Hoilandia
(Tract. III: PL 184, 263-265)

Vos sedetis in pulchritudine pacis et in tabernaculis fiduciae

Laetáre, Ierúsalem, erúmpe et lauda; lauda maiestátem, munífico refer grátiam. Hoc a te votum semper exsolvitur, et semper exigitur: prompte exsolvitur, et pie exigitur. Exáctio ipsa delectátio est. Com-méndat se ipsam beatæ veritatis votiva percéptio, et, serénitas afflátta sénsibus, simul cum luce laetitiam infundit. "Lux orta est iusto, et rectis corde laetitia. Laetámini iusti in Dómino". Quam pro laetitia vicem repéndent? "Et confitémini, inquit, memóriae sanctificationis eius". Ergo laetitia de luce, laus de laetitia; laetitia excréscens erúmpit in laudem.

O beáti spiritus et ánime iustórum! O Ecclésia primitívorum, qui conscripti estis in caeléstibus! Vos vere primitivi, qui praelibátis benedictiónis futúrae primitias. "Comédite, amici, et bibite; et ine-briámini, caríssimi". Bibite de cistérra vestra; et fluénta pútei ve-stri excréscant et exuberent; affluant et discúrrant in platéis cordis vestri aquae deliciárum vestrárum. Non participant vobiscum aliéni; sed nec omnes admittántur doméstici. Nos enim cives sanctórum, et doméstici Dei; cives conscripti, sed nondum suscépti; cives exsultantes, cives peregrinántes, cives vagi et palántes.

Siquidem iniquitátes nostrae quasi ventus abstulérunt nos. Vos au-
tem sedetis in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciae, et in réquie opuléntiae. Vae habitatóribus terrae, ubi rara pax, secúritas nulla, iugis labor, et is egestátem partúriens! Nam et militia est vita hóminis super terram, quámdiu caro conscupiscit advérsus spiritum; et adversárius noster circuit quasi leo, quaerens quem dévoret.

Irróra inde huc; praeténde misericórdiam sciéntibus te, etsi nondum totum te; praeténde misericórdiam, infunde grátiam, effunde Spiritum tuum super nos, qui innóvet spiritum nostrum in viscéribus nostris, Spiritum principálem, qui refórmet et confórmet nos sibi, confórmet et confirmet, laetificet et illúminet. Iustitiae enim Dómini, rectae, laetificántes corda; praecéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos, sic-ut est nostrum hic illuminári et laetificári. Alióquin plane laetábi-

mur coram te, sicut qui laetantur in messe, sicut exsultant victores capta praeda, quando dividunt spolia.

Laetabimur ibi quasi possidentes, hic quasi proponentes et praesumentes, et prosequentes donec consequemur. Ibi ergo de possessione, hic de promissione; illic de plenitudine, istic de portione. Quod enim inde huc aspergitur, stilla est, non fluvius; scintilla, non caminus. Heu! quam cito et scintilla haec evanescit, et stilla arescit! memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate, et laetandum in laetitia, ut laudaris cum hereditate tua. Visita nos ad videndum, laetandum, laudandum; visita nos in salute et lumine, in laetitia et laude? Bona sunt haec stillicidia, quamvis rara, et quasi rorantia. Rorate, caeli, desuper; aeterni montes distillate nobis dulcedinem; in stillicidiis vestris laetabitur germinans.

Responsorium

Cf. Ps 132 (133), 1

R. Haec est vera fraternalitas, quae numquam potuit violari certamine, qui devicto hoste secuti sunt Dominum. * Contemnentes aulam regiam pervenerunt ad regna caelastria.

V. Ecce quam bonum et quam iucundum, habitare fratres in unum!
* Contemnentes aulam.

Evangelium

Mt 11, 25-30

Iugum meum suave et onus meum leve est

+ Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

In illo tempore, respondens Iesus dixit: "Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit plecitum ante te.

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo; et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.

Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Tollite iugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave et onus meum leve est.

Verbum Domini.

Lectio tertia

Ex Sermónibus super Cántica Ioánnis abbátis de Forda
(Sermo IX: CCL Cont. Med. 17, 92-94)

Legamus in corde Iesu et simus docibiles Dei

Videamus ingressus Dei mei regis mei, qui est in sancto, ingrediá-

mur ad cor Iesu, quoniam ad illud, quoniam ad illud nos trahit Magister bonus. "Discite, inquit, a me quia mitis sum et humilis corde". Eia ergo, apériat ipse nobis librum hunc novi testamenti, librum vitae, librum sapientiae, ut legamus in corde Iesu et simus non iam discipuli hominum, sed docibiles Dei. Et trinae quidem humilitatis apices vivos ac dígo Dei scriptos in eo mihi legisse videor, quos si potuero transcribere in cor meum, vere philosophus ero. Sunt autem apices isti, si nosse vultis et vos, divinae maiestati subici per timorem, divinae voluntati subici per oboediéntiam, divinae gloriae subici per gratiarum actionem. Nam in his omnibus, o Domine Iesu, quis similis tui?

Numquid non vox illa soliloquii tui loquenter cum anima tua et ad animam tuam: "Nonne Deo subiecta erit anima mea"? Verumtamen Deo subiecta erit anima mea. Porro si de timore agitur testem habemus Isaiam: "quia replavit te spiritus timoris Domini". Constat quippe quia in omni creatura Dei, quae sub sole est aut in caelo, anima Iesu perspicacissime novit, quam reverenda quantoque timore adoranda atque admiranda sit maiestas creatoris. Certe et absque omni ambiguo secundum scientiam eius, ita est et reverentia eius. Nec enim timor iste de genere est timor illius, quem caritas quasi servum de domo eicit, sed magis filius regis carissimus inclitus in omni domo patris sui.

Audi deinde de oboediéntia Iesu, audi et admirare et quantum oportet imitare. "Non veni, inquit, facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me". Ecce quam sancta et pia, quae nihil habet de proprio sed totum subicit et expónit Iesum ei, qui misit illum. Item, "ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui et legem tuam in medio cordis mei". Ecce quam spontanea et devota, tristitiae aut murmuri dans nihil sed totam in voluntarium se rápiens affectum. Audi adhuc: "Paratum cor meum Deus, paratum cor meum". Ecce quam promptus et alacer Jesus, qui et imperantem praeoccupat et ad quaélibet agenda vel perforanda priusquam vocetur, occurrat. Audi etiam illud: "Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei, ut perficiam opus eius". Ecce quam laeta et dulcis oboediéntia, quae se cibari reputat, dum obséquitur et dum exséquitur saturari.

Audisti de timore, audisti de oboediéntia Iesu, audi adhuc quam fuerit gloriae creatoris devotus quamque in gratiarum actione profusus. Exsultans in Spiritu Sancto Jesus, "confiteor, ait, tibi, Pater, Domine caeli et terrae, qui abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis". Scimus item quia ipse est verus David egrégius psalmistes Israel, cuius tanta vociferatio, tanta iubilatio tantaque modulatio auditur in psalmis.

Responsorium

Mt 11, 29-30

R. Tollite iugum meum super vos, dicit Dominus, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: * Iugum enim meum suave est, et onus meum leve.

V. Et invenietis requiem animabus vestris. * Iugum enim.

Oratio

Deus, qui pro te relinquenteribus omnia centuplum in hoc saeculo,

et in futuro vitam aeternam promisisti, da nobis, intercedente beato Benedicto abbate, et omnibus, qui eius disciplinam sunt secuti, sanctis monachis, sic a mundanis desideriis abstinere, ut caritatis tuae divitiis repleri mereamur. Per Dominum.

**IN COMMEMORATIONE OMNIUM DEFUNCTORUM
QUI SUB REGULA S.P.N. BENEDICTI MILITAVERUNT**

Omnia ut in Officium Defunctorum, praeter sequentia:

Ad Vigilias

Lectio prior

Rom 8, 1-8

Ex Epistola beati Pauli apostoli ad Romanos

Qui suscitavit Iesum vivificabit et mortalia corpora vestra

Nihil ergo nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu; lex enim Spiritus vitae in Christo Iesu liberavit te a lege peccati et mortis. Nam, quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudine carnis peccati et pro peccato, damnavit peccatum in carne, ut iustitia legis impleretur in nois, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum.

Qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt, sapiunt; qui vero secundum Spiritum, quae sunt Spiritus. Nam sapientia carnis mors, sapientia autem Spiritus vita et pax; quoniam sapientia carnis inimicitia est in Deum, legi enim Dei non subicitur, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.

Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vita propter iustitiam. Quod si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Christum a mortuis, vivificavit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum in vobis.

Ergo, fratres, debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, morierintur; si autem Spiritu opera corporis mortificatis, vivetis. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: "Abba, Pater!". Ipse Spiritus testimonium reddit una cum spiritu nostro quod sumus filii Dei. Si autem filii, et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi; si tamen compatis, ut et conglorificemur. Existimo enim quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelanda est in nobis.

Responsorium

Rom 8, 12-13. 11

R. Debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus. * Si autem Spiritu opera corporis mortificatis, vivetis.
V. Qui suscitavit Iesum a mortuis vivificavit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum in vobis. * Si autem.

Lectio altera

Ex Sermónibus beati Oglérii abbatis Locédii
(Sermo VI de Verbis Domini in Cena: PL 184, 903-905)

Dominus Iesus cotidie fidelibus suis locum praeparat

"Non turbétur cor vestrum": ego qui resuscitavi Lázarum, possum resuscitare hoc corpus meum; ego qui resuscitavi filium viduae, ultra tres dies non detinébor a morte. "Créditis in Deum; et in me crédite". Nolite timére pro morte carnis meae: ego sum Deus, qui suscitabo carnem. Opera quae ego feci, testimónium pérhibent de me. Si créditis in Deum, séquitur ut in me crédere debeatis, quia ego sum Deus. Et ne dubitárent se apud Deum in aeterna vita cum Christo mansúros, séquitur et dicitur: "In domo Patris mei mansiónes multae sunt".

Et est sensus: in aeterna vita vos mecum regnábitis, in qua sunt multae mansiónes, id est multae dignitátes; quia ibi ália est cláritas solis, ália lunae, ália stellárum. Domus Dei Patris, est ista praedestinatio et praesciéntia eius. In hac domo unusquisque perféctus habet mansiónem pro numeráto denário, qui idem ómnibus datur; qui denarius est una, et non divérsa in aeternitatē vivéndi mensúra. Vel áliter: Domus Patris mei est templum Dei, regnum Dei, homines scilicet iusti; in quibus multae sunt differéntiae. Et hae sunt mansiónes ipsius domus, scilicet illae dignitátes, quae sunt parátae in praedestinatio, sicut Apóstolus ait: "Qui elégit nos ante mundi constitutiónem" praedestinatio; sed sunt sperández in operatio; unde Apóstolus: "Quos praedestinávit, hos et vocávit; et quos vocávit, hos et iustificávit".

In domo Patris mei habétis mansiónem per praedestinatio; sed vado ad Patrem, et illas vobis praeparábo per operatio. In domo Patris mei habétis aeternam mansiónem; sed iam non potéstis ad illam venire, nisi per magnum labórem. In domo Patris mei mansiónes habétis tantum ex grátia Dei et dono, sed volo ut illas iam habére debeatis ex me.

Dóminus Iesus cotidie fidélibus suis locum préparat, dum carnem suam Deo Patri pro salúte géneris humáni fuisse passam démonstrat; et sic nobis locum, quem paráverat per divinitatē, iam illum nobis tridubuit per suam humanitatē. Quotiescúmque áliqua bona fácimus, iejunando, orando, legendo, meditando, pro peccatis sive pro desiderio Christum vidéndi lugendo, visitando infirmum, saturando famélicum, et sic de réliquis bonis quae longam est enarrare; semper ille locus beatus, ab illo nobis praeparátur in caelis qui dixit: "Sine me nihil potéstis facere"; sed tunc nos introducet in illas beatissimas mansiónes, si in eius fide et dilectione vixérimus cum vénérerit reddere unicuique se-

cúndum ópera sua. O summa, o felix beatitúto, habitáre cum Christo! Quis ad hanc felicitátem, ad hanc tam gloriósam beatitúdinem pervenire valébit? Quis erit tam felix, quis sic summe beátus, ut possit regnare cum Christo, vidére glóriam eius et pulchritúdinem eius?

Responsorium

Io 14, 1-3

- R. In domo Patris mei mansiones multae sunt. * Et accipiam vos ut, ubi sum ego, et vos sitis.
V. Non turbétur cor vestrum. Créditis in Deum et in me crémite.
* Et accipiam.

Oratio

Omnipotens sempiterne Deus, cui numquam sini spe misericordia supplicátur, propitiare fámulis et famulábus tuis, ut, qui de hac vita in tui nóminalis confessióne discessérunt, Sanctórum tuórum número fáciat aggregári. Per Dóminum.

S. GERTRUDIS DE HELFTA, virginis O. N.

Memoria

(Pro Monialibus: Festum vel Memoria)

Islebii (Eisleben) in Thuringia anno 1256 nata est; puellula apud moniales Cistercienses Helfiti (Helfta) recepta, strenue studiis incubuit, litteras et philosophiam apprime discens. Ad Deum conversa, mirum in modum viam perfectionis cucurrit, orationibus et contemplationi se devovens. Mortua est anno 1301 die 17 novembris.

De Communi virginum, vel de Communi monialium.

Ad VigiliasHymnus

1. Ad sacros Virgo thálamos anhélans,
núptias caelo celebrare gestit,
et piis votis nímium morántem
próvacat horam.

2. Aegra cum lánguet, maniféstus adstat,
caélitum turma comitante Christus,
atque divini récreat iacéntem
lúmine vultus.

3. Surge, conclámat, soror atque sponsa,
en tibi pando penetrále cordis,
ut triumpháli reseráta scandas
sidera curru.

4. Ista vox omnes pénétrat medúllas,
atque compágés ánimi resólvit:
spiritus liber volat in reclúsa
viscera Christi.

5. Régios Agni thálamos peténtem
iúbilans stipat súperum coróna,
atque compléxus et amica cantat
óscula Sponsi.

6. Virginum Sponsum, superúmque Regem,
virginum sanctae célebrent choréae,
et sacra supplex Triadem per aevum
orbis adóret. Amen.

Lectio prima (pro monialibus)

1 Cor 1, 18-31; 2, 1-5

Ex Epistola prima beáti Pauli apóstoli ad Corinthios

Nos autem praedicamus Christum crucifixum

Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultitia est, his autem, qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est. Scriptum est enim: "Perdám sapiéntiam sapiéntium et prudéntiam prudéntium reprobábo".

Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi conquisitor huius saéculi? Nonne stulta fecit Deus sapiéntiam huius mundi? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultitiam praedicationis salvos fácere credéntes.

Quóniam et Iúdaeí signa petunt, et Graeci sapiéntiam quaérunt, nos autem praedicámus Christum crucifixum, Iudaéis quidem scándalum, géntibus autem stultitiam; ipsis autem vocátis, Iudáeis atque Graecis, Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam, quia quod stultum est Dei, sapiéntius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fórtius est hominibus.

Vidéte enim vocatióne vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles; sed, quae stulta sunt mundi, élégit Deus, ut confúndat sapiéntes, et infírmata mundi élégit Deus, ut confúndat fórtia, et ignobilia mundi et contemtibilia élégit Deus, quae non sunt, ut ea, quae sunt, destrúeret, ut non gloriétur omnis caro in conspéctu Dei. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est sapiéntia nobis a Deo et iustitia et sanctificatio et redémpcio, ut quemádmodum scriptum est: "Qui gloriátur, in Dómino gloriétur".

Et ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non per sublimitátem sermonis aut sapiéntiae annúntians vobis mystérium Dei. Non enim iudi-

cávi scire me áliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifixum. Et ego in infirmitáte et timóre et tremóre multo fui apud vos, et sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus sapiéntiae verbis, sed in ostensióne Spiritus et virtútis, ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum sed in virtúte Dei

Responsorium

1 Cor 2, 2. 5; 1, 27

R. Non iudicávi scire me áliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifixum. * Ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum sed in virtúte Dei.

y. Quae stulta sunt mundi élégit Deus, ut confundat sapiéntes.
* Ut fides.

Lectio secunda

E Libris Insinuationum divinae pietatis sanctae Gertrudis virginis
(Lib. 2, 23, 1. 3. 5. 8. 10: SC 139, 330-340)

Cogitasti super me cogitationes pacis

Benedicat tibi áнима mea, Dómine Deus, créator meus, benedicat tibi áнима mea, et ex medúllis intimárum meárum confiteántur tibi miseratiónes tuae, quibus incontinentissima pietas tua tam indébite circumvénit me! Grátias ago, ut undecúmque possum, imménsae misericórdiae tuae, cum qua laudans glorifico longánimem patiéntiam tuam, qua dissimulásti, cum annos omnes infántiae et puerítiae, adulescentiae et iuventútis meae, usque paene ad finem vigésimi quinti anni tam caecáta deméntia pertransirem, ut cogitaciónibus, verbis et factis perficerem absque remorsione conscientiae, ut mihi nunc vidétur, omne quod libébat, ubi cùmque licébat, non te praecavénte, sive per naturáliter mihi insitam mali detestatióñem et boni delctatióñem, sive per exteriórem proximórum redargutióñem, ac si pagána inter pagános vixisse, et numquam intellexisse quod tu, Deus meus, vel bonum remunerátes vel malum punires; cum tamen ab infántia, a quinto scilicet anno, me inter devotíssimos amicos tuos in triclinio sanctae religiónis tibi éligeris habilitári.

Unde pro emendatióne óffero tibi, Pater amantissime, omnem passióñem tui dilectissimi Filii, ab illa hora qua in praesépio super fenum reclinátus vagitum dedit, et deinceps pertulit per infantiles necessitátes, pueriles deféctus, adulescentiles adversitátes et iuveniles pasiónes, usque post horam illam qua, inclináto cápite, in cruce cum clámore válido spiritum emisit. Item in suppletiónem ómnium neglegentiárum meárum, óffero tibi, Pater amantissime, omnem conversatióñem illam sanctissimam, quae in ómnibus cogitaciónibus, verbis et factis perfectissima ab hora qua missus ab arce throni introivit in régiónem nostram tuus Unigénitus, usque post illam horam qua tuis patérnis vúltibus praesentávit glóriam carnis victricis.

Pro gratiárūm actiōne, in profundissimam abyssum humilitatis me demérgens, cum superexcellénti misericórdia tua simul colláudo et adóro illam dulcissimam benignitatem qua, me sic dispérdite vivente, tu, Pa-

ter misericórdiarum, cogitasti super me cogitatiónes pacis et non afflictiónis, quómodo scilicet me sic multitúdine et magnitúdine beneficiórum tuórum exaltáres. Addidisti étiam inter haec mihi in aestimáibilem amicitiae familiaritatem impéndere, divérsis modis illam nobilissimam arcam divinitatis, scilicet deificátum Cor tuum praebéndo in cópiam ómnium delectatiónum meárum.

Insuper tam fidélibus promissiōnibus allexisti ánimam meam, quáliter mihi in morte et post mortem velles benefácere; quod iure étiam si nullum áliud donum a te habérem, pro hoc solo iúgiter viva spe anhelaret ad te cor meum.

Responsorium

Cf. Ier 31, 3; Os 2, 14. 19

R. In caritáte perpétua diléxit Gertrúdem Dóminus; ideo attráxit eam ab infántia et duxit in solitúdinem, * Et locútus est ad cor eius.

y. Sponsávit eam sibi in sempitérnum, in fide et in misericórdia.
* Et locútus.

vel

E Libro Exercitiórum sanctae Gertrudis virginis
(Exert. VII: SC 127, 214. 216. 224)

Ecce ut video, super glóriam tuam dilexisti me

Rex meus et Deus meus, amor Deus et gáudium, tibi iúbilat áнима mea et cor meum. Te vitam ánimae meae, Deum meum, Deum vivum et verum, fontem sempiternórum lúminum, cuius mellifluae fáciei lumen super me indignam est signátum, te salutare, laudare, magnificare et benedicere desiderat cor meum; et medúllam virium et sensum meórum tibi óffero, in novae laudatióñis et intimae gratiárūm actiōnis holocáustum.

Et quid retríbuam tibi, Dómine mi, pro ómnibus bonis tuis quae retríbuisti mihi? Ecce ut video, super glóriam tuam dilexisti me, nec tibimetipsi pepercisti propter me, et ad hoc creásti me ad te, et tibi redemisti et elegisti me, ut ad temetipsum perdúcas me, et dones beáte vivere in te, et in aetérnum felicissime pérfrui te. Quid enim mihi nunc a te est in caelo, aut quid ultra de ómnibus bonis tuis praeter te, vel volo vel cúpio?

Tu es, Dómine mi, spes mea, tu glória, tu gáudium, tu beatitudo mea. Tu es sitis spíritus mei. Tu vita ánimae meae. Tu iúbilus cordis mei. Quo me super te, Deus meus, mea ducet admiratio? Tu es tótius boni initium et consumatio, et sicut ómnium simul laetantum in te est habitatio. Tu es laus mei cordis et oris. Tu totus rútilas in vernáti amoénitáte tui festivi amoris. Praestantissima divinitas tua te magnificet et glorificet, quia tu es origo lucis perpetuae et fons vitae. Nec ulla creatura sufficit digne laudare te. Te solus tibi sufficis, qui in te numquam déficiis. Tua mellifluæ fácies super mel et favum ánimás sanctórum impinguat.

Deus vitae meae, o quando introibo in tabernáculum glóriæ tuae,

ut et ego proclamem tibi 'Alleluia' splendidissimum, et coram omnibus sanctis tuis confiteatur tibi anima mea et cor meum, quia magnificasti misericordias tuas tecum? Deus meus, praeclera hereditas mea, o quando contrito laqueo mortis huius, sine medio videt et laudabit te unica mea? O quando inhabitabo in tabernaculo tuo in saecula, ut laudem nomen multituum assidue, et hymnum novum dicam magnificentiae tuae super multitudine misericordiae tuae?

Deus, Deus meus, tu solus admirabilis es et gloriósus. Tu solus magnus et laudabilis, solus dulcis et amabilis, solus pulcher et amoenus, solus speciosus et deliciis plenus, solus tantus et talis, cui in omni gloria caeli et terrae non invenitur aequalis. Lumen tuum admirabile, cordi meo super omnem gloriam est amabile, quod solum meum potest laetificare spiritum, et vitae huius taedium commutare in exultationem et gaudium.

Responsorium

Ps 70 (71) 23. 16-17

- R. Exsultabunt labia mea, cum cantavero tibi, et anima quam redemisti. * Domine, memorabor iustitiae solius.
V. Deus docuisti me a iuventute mea, et usque nunc annuntiabo mirabilia tua. * Domine, memorabor.

Evangelium (pro monialibus)

Lc 10, 38-42

Maria optimam partem elegit

+ Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Intravit Iesus in quoddam castellum, et mulier quaedam Martham nomine excipit illum. Et huic erat soror nomine Maria, quae etiam sedens secus pedes Domini audiébat verbum illius.

Martha autem satagébat circa frequens ministérium; quae stetit et ait: "Domine, non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi ut me adiuvet".

Et respóndens dixit illi Dominus: "Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plúrima, porro unum est necessarium; Maria enim optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea".

Verbum Domini.

Lectio tertia (pro monialibus)

Ex Sermónibus sancti Aelredi abbatis Rievallensis
(In Assumpt. B.M.V.: PL 195, 303-308)

Non auferetur a nobis pars Mariae

Audistis de Evangelio magnam felicitatem duarum mulierum. Vere, fratres, magna felicitas Marthae, quae talem suscepit hospitem, quae illi ministravit, quae circa obsequium suum occupata fuit. Magna felicitas

citas Mariae, quae recognovit excelléntiam huius hospitis, quae audivit sapientiam eius, quae gustávit dulcedinem eius. Istae sine dubio mulieres beatæ fuérunt, quae Dóminum corporaliter suscepérunt; sed omnino ideo beatiores, quia eum mente suscepérunt.

Videte, fratres. Si sola Maria esset in domo illa, non esset qui pásceret Dóminum. Si sola Martha, non esset qui delectarétur in sermonibus et praesentia Dómini. Ergo, fratres, Martha significat actionem illam, qua homo labórat pro Christo; Maria autem réquiem illam, qua homo vacat ab opéribus corporalibus, et delectátur in dulcedine Dei, sive per lectiónem, sive per orationem, sive per contemplationem.

Nullo modo enim debétis negligere Mariam propter Martham; nec iterum Martham propter Mariam. Si enim neglégitis Martham, quis pascet Iesum? Si neglégitis Mariam, quid vobis prodest quod Iesus intravit domum vestram, quandoquidem nihil de eius dulcedine gustatis. Scitote, fratres, quia numquam in ista vita debent istae mulieres separari.

Quando illud tempus vénérat, quo Iesus neque pauper erit, neque esúriens, nec sitiens, nec iam pótterit tentari, tunc sola Maria, id est actio spirituális, occupabit totam domum istam, id est animam nostram. Hoc vidi sanctus Benedictus, immo Spiritus Sanctus in sancto Benedicto. Ideo non tantum dixit et státuit, ut essémus inténti circa lectiónem, quasi Mariam, et praetermisit labórem, quasi Martham; sed utrumque commendávit nobis, et deputávit certa témpora ad opus Marthae, et certa témpora ad opus Mariae.

Evéniet aliquando ut Martha velit in labóre suo habere Mariam, sed non est ei consentiéndum. Tentatio est. Videte ergo, fratres, quia quando in illo tempore quo debémus vacare lectónibus et orationibus, súggerit nobis cogitatio nostra, ut eamus ad illum, vel ad illum labórem, quasi hoc sit necessarium, tunc quodammodo Martha vocat Mariam, ut illam adiuvet; sed Dominus bene iudicat et iuste. Non iubet, ut Martha sédeat cum María, nec iubet, ut María surgat, et ministret cum Martha.

Considerandum est autem quod ait Dominus: "Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea". Magnam consolationem dedit nobis Dominus in his verbis. Auferetur a nobis pars Marthae, sed non auferetur pars Mariae. Sed non auferetur a nobis pars Mariae, immo augabitur.

Responsorium

Ps 44 (45) 11-12. 2

- R. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui; et concupiscet rex spéciem tuam. * Quóniam ipse est Dominus Deus tuus.
V. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego ópera mea regi. * Quóniam ipse.

Ad Laudes matutinasHymnus

1. Gertrúdis, ipse Spiritus
nos te coléntes áudiad,
qui te suam dulcissime
lyram sonántem cóndidit.

2. Te grátiae monilibus
sic ille largus induit,
ut iam dicáta párvula
sis visa Christo amábilis.

3. Annos agébas ábdita,
Sponso sed haerens, péclore
ex tanto amóris múnera
felix trahébas intima.

Lentini p. 70

Psalmodia

Ant. 1 Sanctissima Christi sponsa dilécto suo iúgiter adhaerébat, et unus cum illo spiritus erat. ii T. AM 1128

Psalmi et canticum de feria currente.

(Por monialibus: Psalmi et canticum pro diebus festivis)

Ant. 2 Ego autem in Dómino gaudébo, et exsultábo in Deo Iesu meo.

v T. AC2 300

Ant. 3 Ancilla fidélis et sponsa elécta intrávit in cor et gáudium Dómini sui, cuius amóre languébat. i T. AM 1132

Ant. 4 Mihi vivere Christus est, et mori lucrum, gloriári me opórtet in Cruce Dómini nostri Iesu Christi. i T. AC1 318

Ant. 5 Gaude et laetáre, sponsa dilécta, quia ecce vénio, et habitábo in médio tui, dicit Dóminus. i T. cf. AC2 8

Lectio brevis

Cant 3, 4

Invéni, quem diligit ánima mea; ténui eum, nec dimittam, donec intróducam illum in domum matris meae et in cubiculum genetricis meae.

Responsorium breve

Ps 26 (27), 8

R. De te dixit cor meum: * Exquirite fáciem meam! De te.
V. Fáciem tuam, Dómine, exquiram. * Exquirite.

Ad Benedictus, ant. Quam pulchra es Gertrúdis, et quam decóra in deliciis! in qua iucundam sibi Deus habitaciónem praeparávit. iii T. AM 1128

.

4. In corde Verbi cónmorans,
exhauriébas mýstica
quae dulce scriptis aureis
mundo dedisti pábulum.

5. Adépta miro iúbilo
aeternítates nuptias,
da per pudica et sóbria
nos regna lucis cónsequi.

6. Dilécti ab ore cónferas
quod corda nostra róboret,
hymnos ut illi pérpetim
tecum canámus glória. Amen.

Oratio

Deus, qui iucundam tibi mansiónem in corde beatae Gertrúdis virgini praeparásti, ipsius intercessióne, cordis nostri ténebras cleménter illústra, ut te in nobis praeſentem et operántem laetánter experiámur. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Hymnus

1. Gertrúdis, arca Núminis,
Sponsóque iuncta virginum,
da nuptialis pángere
castos amóres foéderis.

4. Qui vivit in sinu Patris
cinctus perénni glória,
amánter, ut sponsus, tua
recúbit inter úbera.

2. Quadírma Christo nóbilis
in claústra prompte cónvolans;
spretóque nutricis sinu,
Sponsi requiris óscula.

5. Amóre Christum vúlneras,
hic te vicissim vúlnerat,
tuóque cordi própria
inúrit alte stigmata.

3. Candéntis instar lilií
odore mulces sidera,
et virgináli caélitum
Regem decóre pértrahis.

6. O singuláris cáritas,
et mira commutátio!
hic corde respirat tuo,
tu vivis huius spiritu.

7. Te sponsa Iesu virginum
beáta laudent ágmina:
Patri, simul Paráclito,
par sit per aevum glória. Amen.

Psalmodia

Ant. 1 Sanctissima Christi sponsa dilécto suo iúgiter adhaerébat, et unus cum illo spiritus erat. ii T. AM 1128

Psalmi et canticum de feria currente.
(Pro monialibus: Ps 109 (110)).

Ant. 2 Ego autem in Dómino gaudébo, et exsultábo in Deo Iesu meo.
v T. AC2 300

(Pro monialibus: Ps 110 (111)).

Ant. 3 Ancilla fidélis et sponsa elécta intrávit in cor et gáudium Dómini sui, cuius amóre languébat. i T. AM 1132

(Pro monialibus: Ps 116 (116)).

Ant. 4 Mihi vivere Christus est, et mori lucrum, gloriári me opórtet

in Cruce Dómini nostri Iesu Christi. i T. AC1 310

(Pro monialibus: Ps 132 (133)).

Ant. 5 Gaude et laetáre, sponsa dilecta, quia ecce vénio, et habitábo
in medio tui, dicit Dóminus. i T. cf. AC2 8

(Pro monialibus: Cant. Eph 1, 3-10)).

Lectio brevis

Eph 3, 14-17

Flecto génuia mea ad Patrem, ex quo omnis patérnitas in caelis et
in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriae suae virtúte
corroborári per Spíritum eius in interiórem hóminem, habitáre Christum
per fidem in córdibus vestris, in caritáte radicáti et fundáti.

Responsorium breve

Ps 44 (45) 15-16

R. Adducéntur Regi virginés * In laetitia et exsultatióne.
Adducéntur.
V. Adducéntur in domum Regis. * In laetitia.

Ad Magnificat, ant. O dignissima Christi sponsa! quam lux prophetiae
illustrávit, zelus apostólicus inflammávit, láurae virginum coronávit,
divini amóris incéndium consummávit. iv T. AM 1133

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Die 19 novembris

S. MECHTILDIS DE HACKEBORN, virginis O. N.

Memoria ad libitum

Mechtildis anno 1241 nobilissimo genere de Hackeborn orta, a
Cisterciensibus monialibus de Rodersdorf educata, celebre asce-
terium Helfhti in Saxonia ingressa est, ubi sororem maiorem natu,
Gertrudem de Hackeborn abbatissam habebat. Donis divinis, ut di-
scipula eius, sancta Gertrudis Magna, illustrata, Mechtilde
cantrix Divinae maiestatis, Sacratissimi Cordis Iesu, et Mariae
Dominae nostrae, fuit. Quid mystice experta sit, ab ipsa narratur
in opere quod inscribitur "Liber specialis gratiae". Scholam asce-
terii direxit, cantricis officio fungens.

De Communi virginum, vel de Communi monialium.

Ad Vigilias

Lectio altera

E Libro Speciális grátiae sanctae Mechtildis virginis
(Lib. III, 5: Edit. Solesmensis)

Speciali dilectione de mundo vocavi te

Item instrúctor eius, ómnium óptimus magistrórum, dixit ei: "Tria
te docébo, quae cotidie meditándo ánimo revólvas, et multa tibi inde
provéniant bona.

Primo igitur, récole in gratiárum actiōne quanti tibi bona feci
in creaciōne et redemptiōne: scilicet, quod te hóminem ad imáginem et
similitúdinem meam creávi, et propter te homo factus, post innúmera
quae sustinui torménta, amarissimam pro amóre tui súbii mortem.

Secundo, cum gratitúdine récole quanta tibi beneficia exhibui, ab
hora nativitatis tuae usque ad praesens; scilicet, quod speciális dilec-
tiōne de mundo vocávi te, et multóties me ánime tuae inclinávi, re-
plens et inébrians eam dulcédine meae divinae grátiae, illúminans
cognitiōne, et inflammandis dilectiōne; et quod cotidie in Missa ad te
vénio, parátus ómnia desidéria tua et voluntátem tuam adimplére.

Tértio in gratiárum actiōne laudans, récole quanta tibi in caelo
aeternáliter datúrus sum, affluéntiam ómnium bonórum, cum longe supra
quam crēdere aut aestimáre possis, ómnibus te bonis cumulábo.

Et hoc dico tibi vere, quia multum placet mihi ut hómines de me con-
fidénter magna praeſumant; nam quisquis mihi crediderit quod post hanc
vitam supra méritum suum illi benefáciam, et proinde me laudans grátias
égerit in hac vita, in tantum mihi accéptum erit, quod eum in quantum
cumque crēdere aut parsúmere potest, tantum et in infinitum amplius
supra omne méritum suum remunerábo; quia impossibile est hóminem non
percipere ea quae crēdidit et sperávit. Ideóque útile est hómini ut
a me magnum sperándo, bene mihi credat".

Responsorium

R. Cum gratitúdine récole quanta tibi beneficia exhibui, * Re-
plens et inébrians ánime tuam dulcédine divinae grátiae.
V. Speciális dilectione de mundo vocávi te. * Replens et.

vel

Ex Sermónibus sancti Bernárdi abbátis Claraevallénsis
super Cántica canticórum
(Sermo 74: Opera omnia, Edit. Cist. II, 240-241)

Verbi causa, cum sentit gratiam, agnoscit praeſentiam

Nos autem in expositione sacri mysticique elóquii caute et simpli-
citer ambulantes, gerámus morem Scriptúrae, quae nostris verbis sapién-

tiam in mysterio absconditam loquitur; nostris affectibus Deum, dum figurat, insinuat; notis rerum sensibilium similitudinibus, tamquam quibusdam vilioris materiae poculis, ea quae pretiosa sunt, ignota et invisibilia Dei, mentibus propinat humanis.

Sequamus proinde et nos eloqui casti consuetudinem, dicamusque Verbum Dei, Deum, sponsum animae, prout vult et venire ad animam, et iterum dimittere eam: tantum ut sensu animae, non verbi motu, ista fieri sentiamus. Verbi causa, cum sentit gratiam, agnoscit presentiam; cum non, absentiam queritur, et rursum praesentiam quaerit, dicens cum Prophet: "Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram". Quini requirat? Nempe enim, subducto sibi tam dulci sponso, interim aliquid aliud, non dico desiderare, sed nec cogitare libebit.

Restat igitur ut absentem studiose requirat, revocet abeuntem. Ita ergo revocatur Verbum, et revocatur desiderio animae, sed eius animae, cui semel inducerit suavitatem sui. Numquid non desiderium vox? Et valida. Denique "desiderium pauperum, inquit, exaudivit Dominus". Verbo igitur abeunte, una interim et continua animae vox, continuum desiderium eius, tamquam unum continuumque "reveterere", donec veniat.

Et nunc da mihi animam, quam frequenter Verbum sponsus inviseré soleat, cui familiarietas ausum, cui gustus famem, cui contemptus omnium otium dederit: et ego huic incunctanter assigno vocem pariter et nomen sponsae, nec ab ea penitus locum, qui in manibus est, censuerim alienum. Talis nempe inducit lóquens. Quem enim revocat, eius absque dubio probat se meruisse praesentiam, etsi non copiam. Alioquin non revocasset illum, sed vocasset. Porro revocationis verbum "reveterere" est. Et forte ideo subtraxit se, quo avidius revocaretur, teneretur fortius. Nam et aliquando simulabat se longius ire, non quia hoc volerbat, sed volerbat audire: "Mane nobiscum, quoniam advesperascit".

Et rursum alia vice super mare ambulans, cum Apostoli navigarent et laborarent in remigando, quasi volens praeterire eos, ne tunc quidem istud volerbat, sed magis probare fidem et elicere precem. Denique, sicut ait Evangelista, turbati sunt et clamaverunt, putantes phantasma esse. Ergo istiusmodi piam simulationem, immo salutarem dispensationem, quam tunc corporaliter Verbum corpus interdum exhibuit, non cessat identidem Verbum spiritus, modo suo spirituali, cum devota sibi anima sedulo actitare. Praetériens teneri vult, abiens revocari.

Responsorium


Cant 8, 6-7

R. Fortis est ut mors silencio, dura sicut infernus aemulatio;
* Lampades eius lampades ignis atque flammæ divinae.

V. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illa. * Lampades eius.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Gaude et laetare, sponsa dilecta, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, dicit Dominus. i T. AC2 8

Oratio

Deus, qui pietatis tuae gratia supernae claritates dispositionis beatae Mechtildi virginis revelasti, praesta, quaesumus, ut, quod iam fidei veritate cognoscimus, in caelesti visione, revelata facie, perfrauamur. Per Dominum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus preparavit in aeternum. viii T. AC2 37*

S. COLUMBANI, abbatisMemoria ad libitum

Ante medium saeculi VI in Hibernia natus, sacris et humanis litteris eruditus fuit. Vitam monasticam secutus, in Galliam transmigravit et plurima monasteria fundavit quae arcta disciplina rexerunt. Exsulare coactus, in Italiam profectus est et monasterii Bobiensis conditor fuit. Optime meritus de vita christiana et religiosa, mortuus est anno 615.

De Communi pastorum, vel sanctorum virorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.

Ad VigiliasLectio altera

Ex Instructib. sancti Columbani abbatis
(Instr. 11, 1-2: Opera omnia, Dublin 1957, 106-107)

Magna dignitas homini Dei similitudo, si conservetur

Moses in lege scripsit: "Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam". Considerate, quae, dicti huius dignitatem; Deus omnipotens, invisibilis, incomprehensibilis, inenarrabilis, inestimabilis de limo hominem fingens, imaginis suae dignitate nobilitavit. Quid homini ad Deum? Quid humus spiritui? "Deus, enim, spiritus est". Grandis dignatio, quod Deus suae aeternitatis imaginem et morum suorum similitudinem homini donavit. Magna dignitas homini Dei similitudo, si conservetur.

Si enim animae insitis virtutibus usus fuerit in rectum, tunc Deo erit similis. Quascumque ergo Deus in nobis in prima nostra condizione virtutes seminavit, ipsas ei reddere nos praecipit docuit. Hoc est

primum: "Diligere ex toto corde Dóminum nostrum, quia ipse prior diléxit nos" ab initio et antequam essémus. Dei enim diléctio imáginis eius renovatio. Deum autem diligit qui eius mandata custódit; dixit enim: "Si diligitis me, mandata mea serváte". Hoc est mandatum eius, diléctio invicem, iuxta illud: "Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem, sicut et ego diléxi vos".

Diléctio autem vera "non verbo" est tantum, "sed ópere et veritáte". Reddámus itaque Deo nostro, Patri nostro, suam imáginem inviolátam in sanctitáte, quia ille sanctus est, iuxta illud: "Sancti estote, quia ego sanctus sum"; in caritáte, quia cáritas est, iuxta illud Ioánnis: "Deus cáritas est"; in pietáte et veritáte, quia ille pius est et verax. Ne simus aliénae imáginis pictóres; tyránnicae enim imáginis pictor est qui feras est, qui iracundus est, qui supérbus est.

Ne forte itaque nobis tyránnicas introducámus imágines, Christus in nobis suam pingat imáginem, quippe dicendo: "Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis". Sed quid prodest quod scimus quia pax bona est, si non bene servétur? Solet enim óptimum quodque fragilissimum fieri, et pretiosa quaeque maiore cautela et diligentiore custódia indigent; nimium enim frágile est quod levi sermóne pérditur et minima fratri laesióne déperit. Nihil enim suávius est hominibus, quam aliéna loqui et aliéna curáre, et otiosa passim verba proférre, et de abséntiibus detrahere; et ideo qui non possunt dicere: "Dóminus dedit mihi lassus eruditam, ut possim sustinére eum qui lassus est verbo", taceant, et si quid dicant pacíficum sit.

Responsorium

Lc 6, 47-48; Sir 25, 15

R. Omnis qui venit ad me et audit sermónes meos et facit eos, osténdam vobis cui similis sit: * Similis est hómini aedificanti domum, qui fodit in altum et pósuit fundaméntum supra petram.

V. Beatus homo, cui donátum est habére timórem Dei; qui tenet illum, cui assimilábitur? * Similis est.

vel

Ex Régula ad móñachos sancti Columbáni abbátis
(PL 80, 209-216)

Monachus in monasterio vivat sub unica disciplina patris

Primo ómnium docémur Deum diligere ex toto corde et ex tota mente et ex totis viribus, et próximum tamquam nosmetípsos. Deinde ad primum verbum seniórís omnes ad oboediéndum audientes súrgere opórtet; quia oboediéntia Deo exhibétur, dicente Dómino nostro Iesu Christo: "Qui vos audit, me audit. Oboediéntia autem usque ad mortem certe praecépta est; quia Christus usque ad mortem oboedivit Patri pro nobis. Nihil itaque recusándum est oboediéntibus, veris Christi discipulis, quamvis durum et ásperum sit, sed cum fervore et laetitia accipiéndum est. Quia si talis non fuerit oboediéntia, non erit acceptábilis Deo.

Siléndi régula diligénter custodiénda decérnitur; quia scriptum est: "Cultus autem iustitiae siléntium, et pax". Et ideo ne reáutus de verbosítate conqueríatur, excéptis utilitátibus et necessáriis, opus est ut taceátur, quia, iuxta Scriptúram, "In multilóquio non déerit peccátum".

Mónachis, quibus pro Christo mundus crucifixus est, et ipsi mundo, cupiditas calcánda est; nimirum dum non solum supérflua eos habére damnabile est, sed étiam velle; quorum non census, sed volúntas quaéritur; qui relinquéntes ómnia, et Christum Dóminum cum timóris cruce cotidiáni sequéntes, in caelis habent thesáuros. Idcirco dum in caelis multum sunt habitúri, parvo et extrémo necessitátis censu in terris debent esse conténti.

Vera orándi traditio, ut possibilitas ad hoc destináti sine fastidio voti praevaléat, sive sua perféctio possibilítatis permittat, vel capácitas mentis illius cum necessitátum consideratióne, vel vitae quálitas possit admittere, et quantum uniuscuiúsque fervor exégerit, si liber ac solus sit, aut eruditiónis eius quántitas postuláverit, aut status ótium, aut magnitúdo stúdii, aut óperum quálitas, aut aetátum diuersitas permiserit; ita várie licet unius rei perféctio aestimánda est, quia cum labóre adoratiónis partitur; et ideo, licet longitúdo standi aut cantandi sit vária, unius tamen perfectiōnis erit aaequálitas orándi in corde, ac mentis cum Deo iugis inténtio.

Mónachus in monasterio vivat sub unius disciplina patris, consortioque multórum, ut ab álio discat humilitátem, ab álio patientiam; unus eum siléntium, alter dóceat mansuetudinem; non fáciat quod vult; cómedat quod iubétur; hábeat quantum accéperat; óperis sui pensum persólvat; subiiciátur cui non vult; lassus ad stratum véniat; ambulánsque dórmitet, nec dum expléto somno súrgere compellátur; passus iniúriam taceat; praepósito monastérii timeat ut dóminum, diligat ut paréntem; credat sibi hoc esse salutare quidquid ille praecéperit, nec de maiórum senténtia iúdicet, cuius officium est, oboedire et implére quae iusta sunt.

Responsorium

Act 2, 42. 47; 4, 32

R. Erant perseverántes in doctrína apostolórum et communicatióne, in fractiōne panis et oratióibus, * Collaudántes Deum et habéntes grátiam ad omnem plebem.

V. Multitúdinis credéntium erat cor et ánima una. * Collaudántes Deum.

Ad Laudes matutinasHymnus

1. A solis ortu ad vésperum
nomen abbátis pésonet,
et facta quisquis grándia
ornáre certet láudibus.

2. Opes iuvénta in flórida
spernens, sapit caeléstia,
matréisque linquens óbviam
erémi ad antra cónvolat.

3. Corpus flagélla sácient,
dat vile silva pábulum,
Moses et alter ásperis
dedúcit undam cántibus.
4. Sacro mónte hic Flámine,
percúrrit agros, óppida,
ovémque tergo pérditam
portans redúcit ánxius.

5. Deo Patri sit glória
eiúsque soli Fílio
cum Spíritu Paráclito,
nunc et per omne saéculum. Amen.

E Proprio Bobbiensi

Ad Benedictus, ant. Ambulávit Columbánus iter rectum et a iuventúta
sua investigávit sapiéntiam. viii T. Hauterive 6 (Prop. Augien.)

Oratio

Deus, qui in beáto Columbáno evangelizándi munus et monásticae
vitae stúdium mirabiliter coniunxisti, praesta, quaésumus, ut, eius
intercessióne et exémplo, te super ómnia quaérere et credéntium pópulum
augére studeámus. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Hymnus

1. Adéste omnes: ánnua
laus est canénda caéliti,
Hibérnia quem próditum
virtus ad astra sústulit.
3. Quid possit ore, séntiunt
Galli, Británni et Itali,
novo repléntur lúmine
ipso loquénte péctora.

2. Christi docéntem dógmata
advérsa nulla détent,.
famem, sitimque et vérbera,
vultu seréno déspicit.
4. Quocúmque gressus dirigit
mores sequúntur áurei,
fides viréscit púlchrior,
triúmphat ardens cáritas.

5. Deo Patri sit glória
eiúsque soli Fílio
cum Spíritu Paráclito,
nunc et per omne saéculum. Amen.

E Proprio Bobbiensi

Ad Magnificat, ant. Agébat Columbánus fiduciáliter in Dómino, testi-
mónum perhibénte verbo grátiae suae, dante signa et prodigia fieri
per manus eius. 1 T. Hauterive 12 (Prop. Augien.)

Oratio ut ad Laudes matutinas.

S. SABBAE, abbatis

Memoria ad libitum

Sabbas Mutalaska in Cappadocia anno 439 natus, cognomentum
"Margarita Orientis" adeptus est. Fundator et gubernator monasterii
quod postea ab eo denominatum est anno 483, ipse Sabbas unus ex
primis patrius fuit qui monachatum in Palaestina ordinaverunt. Eius
cultus Romae a septimo inde saeculo a filiis spiritualibus quos
Persae et Arabes expulerunt institutus est. Sabbas anno 532 in Mar
Saba apud Hierosolymam obiit.

De Communi sanctorum virorum: pro religiosis, vel de Communi mo-
nachorum.

Ad Vigilias

Lectio altera

E Vita sancti Sabbae a Cyrillo Scythopolitáno conscripta
(Cotelier, Ecclesiae Graecae Monumenta, III, 220ss.)

Pater noster Sabbas non mortuus est sed dormit

Nunc me vocat tempus ad páuca quaedam de celebérissimo patre nostro
Sabba conscribénda quae cum cura et labóre decérpsi a veridicis sanctis
viris, qui ipsius fuérunt discipuli necnon certáminum sócii, et usque
in praesens eiúsdem vivéndi ratiónem imitántur.

Terréstris ángelus, homo caeléstis Sabba, sápiens et peritus
doctor; orthodóxi dógmatis patrónus, malae doctrinæ accusátor fidélis
et prudens dispensátor osténsus, divinórum talentórum multiplicátor,
ex alto virtútem indútus, beneplácito Dei et Patris, cooperatióne
Christi, inspiratióne sanctissimi Spíritus solitúdinem multitudine
monachórum frequentávit, septem celébria monastéria in ea constituit;
non minus tamen duo vétera coenóbia sustentábat, nempe sanctórum patrum
Euthýmii et Theoctisti.

Horum monasteriów providéntiam curámque dum gerit, réditum áli-
quem omnino comparáre non sustinuit; sed fidéli erga Deum fidúcia inni-
xus, numquam in sollicitúdinis moerórem delápsus est, máxime vero famis
témpore. Tunc sanctus pater noster Sabbas suórum monasteriów praési-
des adhortabátur ne solliciti umquam essent de rebus carnálibus ac Dó-
mini vocem illis memorábat, hanc: "Nolite sollicite esse, dicéntes:
quid manducábimus aut quid bibémus aut quo operiémur? Scit enim pater
vester caeléstis, quia his ómnibus indigétis". Itaque divinus hic senex
tália sentiébat et docébat. Deus vero cuncta necessária áffatim suppe-
ditábat ei, ita ut carérent magis qui ópibus redditibúsque confidébant,
quam monastéria quae ipse procurábat.

, Pater noster Sabbas, qui bonum certámen certávit, cursum consummá-

vit, fidem servávit, coróna étiam iustitiae decorátus est. Atque ipsius mors contigit die quinta mensis decémboris. Ráto autem témporis vitae ipsius in córpo haec est: in Palaestinam venit annos natus decem et octo, mansit in coenóbio annis septémdecim, et in solitudinibus maximá que laura annos transégit quinquaginta novem; óbit vero aetatis suae anno nonagésimo quarto.

Caéterum obdormitionis eius fama per omnem finitínam régionem per vagáta, coit imménsa turba monachórum et laicorum; ádfuit quoque sanctissimus Patriárcha Petrus cum episcopis qui invénti sunt et Sanctae Civitatis primóribus; atque in eum modum honorábile ipsius corpus in máxima laura depósitum est.

Verútam non mórtuus est sanctus hic, sed dormit, úptote qui vitam irreprehénsam duxerit, sicut scriptum est: "Animae iustórum in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis". Corpus eius étiam ipsius salvum nec dissolutum in sepulcro ad hanc usque diem conservatum est.

Responsorium

1 Cor 7, 29-31; 2, 12

R. Tempus breviátum est; reliquum est ut qui gauden, tamquam non gaudéntes sint; et qui utuntur hoc mundo tamquam non abuténtes; * Praéterit enim figura huius mundi.

y. Nos autem non spiritum huius mundi accépimus. * Praéterit enim.

vel

Ex Litteris Adámi abbátis de Perséniae
(Epist. V: Sources Chrétiennes 66, 118-122)

Magister dura et aspera per quae itur ad Deum praédicat

Convérsi de saéculo, quantálibet devotíone pólleant, acédiae tamen vicio saepe labórant, ac per hoc amica et fréquens de spiritálibus collocúcio magistri, fastidio quod ex acédia nasci solet, debet oppóni. Intérdum de spirituálibus debet esse collóquium scilicet aut de mystériis Scripturárum, aut de exémplis sanctórum, seu de caeléstibus praémiis, qómodo acquirúntur opéribus bonis, vel certe de torméntis gehénnae. De his frequénter collóqui, ista iúgiter meditári, multum movet ánimum et accéndit, ut a vitiis et peccátis supersédeat, et virtútum opéribus inhiánter inténdat.

Náscitur étiam ex amica frequénti et honésta collocutíone commendabilis quaedam familiáritas, per quam magister efficitur ad corripiéndum audáctor, corréptus ad disciplinam patiéntior, utérque ad intellegéntiam Scripturárum eruditior, novitus exercitátor in observántia regulári. Ex hoc iam magister secúndum régulam debet ei, non inférre quidem, sed praedicáre dura et aspera per quae itur ad Deum. Hoc ei praedicáre non est áliud quam ex Scripturis aut ex propriis exémplis osténdere arctam et árdua esse viam quae ducit ad vitam, quam viam procul dúbio non incédit qui intráre per angústam portam iuxta praecéptum Dó-

mini non conténdit. Quid, óbsecro, dúrius esse potest in via Dómini quam seipsum abnegáre, crucem suam tollere, totam voluntátem suam voluntati subicere aliénae? Quid, inquam, aspérius esse potest in via qua itur ad Deum quam carnem suam cum vitiis et concupiscéntiis affliger, quam sibi mundum et mundo seipsum crucifixum exhibére? quod sine dúbio cuncti fáciunt qui esse veráciter Christi volunt.

Igitur magister novitio dura et aspera per quae itur ad Deum praédicat, cum ei viam salútis arctam et árdua esse et exémplo óperis et verbo praedicationis démonstrat. Haec siquidem salútis via tam arcta, tam árdua, Dóminus Christus est: arcta, propter assúmpta carnis humilitátem, árdua, propter peccáti immunitátem. Peccátum quippe non fecit, nec invéntus est dolus in ore eius. Hanc vitam pénitus non incédit qui ad humilitátem eius imitationem párvulus non exstiterit; nec pótterit ad árduum istud ascéndere qui se peccatórum onéribus aut visibilius rerum amóribus volúerit sarcinare.

Recte sanctus est et a Dómino mirificátus, qui ab onéribus mundánae misériae non comprimitur; ut dum ei nihil libet in vanis et transitóris, cunta mente transiliens accipiat spiritum libertatis. Ubi enim Spiritus Dómini, ibi libértas; libértas, inquam, a peccáto, a necessitáte, a miséria. Spiritus iste a Deo emittitur, recreántur mores, terrae fácies renovátur. Tunc recte novitii vocabúntur cum de novitáte hac vestis eis nuptialis aptábitur; nec de cétero eiciéntur de nuptiis Agni, cum ad honórem sponsi et sponsae veste fúlgeant nuptiáli.

Responsorium

Prov 2, 1a-2. 5-6

R. Fili mi, si suscéperis sermónes meos, inténdens ad sapiéntiam aurem tuam, inclinans cor tuum ad cognoscéndam prudéntiam,

* Tunc intélleges timórem Dómini et sciéntiam Dei invénies.

y. Quia Dóminus dat sapiéntiam, et ex ore eius sciéntia et prudéntia. * Tunc intélleges.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Iustus cor suum tradet ad vigilánum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altissimi deprecábitur.

3 T. AC2 34*

Oratio

Deus, qui beátum Sabbam monásticae vitae fautórem insignem rectaé que assertórem fidei providisti, da nobis in caritaté semper facere veritátem, ac tibi soli in gáudia servire perpétua? Per Dóminum.

Ad Vespertas

Ad Magnificat, ant. Iste sanctus digne in memóriam véritutis hominum, qui ad gáudium tránsiit angelórum, quia in hac peregrinatione solo córpore constitútus, cogitatione et aviditáte in illa aetéerna pátria, conservátus est. i T. AC2 34*

B. DAVID HEMMENRODENSIS, monachi O. N.Memoria ad libitum

David anno circiter 1100 Florentiae natus, Claramvallem anno 1131 ingressus, a sancto Bernardo quadam cum haesitatione susceptus est, propter infirmam eius valetudinem. Post professionem vero peracto tempore beatus David anno 1134 cum fratribus ad condendum monasterium Hemmenrodense missus est, ubi iam aliquot post annos sanctitate clare eminebat. Regulae vitaeque communi summopere fidelis hilarique caritate fervens omnes fratres recreabat. Beatus David die 11 decembris anni 1179 in monasterio Hemmenrodi in Germania obiit eiusque corpus a fratribus in capitulo sepultum est.

De Communi sanctorum virorum: pro religiosis, vel de Communi monachorum.


Ad VigiliasHymnus

1. Felix David, singuláre sidus Hemmenródi:
laudes tuas praedicáre
cupit voce gáudii
coetus præsens monachórum
nostri monastérii.

2. Flos tenéllus, David pie,
natus es Floréntiae;
arma sumis Christi regis
Claraválle Gálliae;
sat probátus iam in fines
mitteris Germániae.

3. Rara mirae sanctitatis
scandis illic cùlmina,
corde puro contemplari
non cessas caeléstia,
ardentique zelo cantas
sacra chori cármina.

P. Csizmazia, Hauterive 1

Lectio altera

E Vita beáti Dávid mónachi a coaévo auctóre conscripta
(Edit. Analecta S.Oнд.Cist. 11/1955/33-35)

Contemplationi et lectioni fletibusque vacabat

Fuit in quadam domo Cisterciénsis órdinis, nómíne Hemmenróde álias Claustrum, tempóribus beáti Bernárdi vir vitae venerábilis, David nómíne, virtútem nómínis servans in ópere. Omnes namque ánimi sui motus compónens, rationique subiciens, vere manu fortis erat, aspectúque de-siderábilis, inhaeréndo iúgiter aetérnis. Qui quidem natióne transal-pinus, de Floréntia civitáte Langobardórum, témpore adulescéntiae suae in Gálliam stúdii grácia venit,, ubi cum moram fáceret, pervénit ad aures eius supradicti Cisterciénsis órdinis novélla religio; statimque divino Spiritu afflátus, eumque, quem quasi in mundo posúerat retráxit pedem, incéptum iam stúdium derelinquens, reguláribus disciplinis in-strui præelegit, malens nescire secúre, quam cum periculo discere.

Christum igitur sequi studens nudus, ardens seipsum sibi abnegándo, crucem suam baiuláre volens, quasi quodam divino ductu véniens ad Claramvállem, póstulans ingréssum ibidem obtinuit. Probáta interim et per-spécta eius imbecillitaté, viri timoráti metuéntes, ne aliqúando sub ónere deficeret, reniténtem et invitum libertáti pristinae restituérunt. Venerábilis itaque et prudens iúvenis, gustáta semel spirituális vitae suavitáte, ad portam perseverábat, quos prece non póterat improbitáte vincere sperans, haud secus accípiens repúlsam hanc, quasi de paradiso et ab ipso intróitu glóriae se expélli vidéret. Beátus igitur Bernárdus, praedicti coenóbii tunc abbas, tantam adulescéntis constán-tiam eximiae sanctitatis præságam et indicem divinitus advértit, mise-ratúsque eum denuo introdúxit ac áliis reniténtibus mónachum ordinávit.

In Hemmenróde loco servivit Dómino fidélis et perféctus mónachus vir Dei David usque in finem vitae suae. Qui, vidélicet David, cum es-set córpore débilis, ut supra dictum est, idcirco máxime ad hunc locum missus est, ut sibi in hoc consúltum esset te remissióris iugum disci-plinae lévius ferret. Tandem fidélis sui dulcis misérta Divinitas, tan-ta divini múnneris eum largitáte perfúdit, quae omnem deféctum sanáret, intus caritáte accéndens, foris ad quaélibet faciénda fortitúdinem præbens in tantum, ut consúmpta vetustáte pristina in novum resúrgeret hóminem, virtúte indútus ex alto.

Noctes saepissime insómnes ducébat, in oratióne pernóctans, non minus strénué agens in labóre diúrno. Numquam in meridie dormiébat, sed contempnatióne et lectíoni fletibúsque vacábat. Si quando ad collatiónes fratrum vocabátur, nihil audire, nihil reférre volébat nisi ea tantum, quae ad ánima salutem spectábant. Eius enim ori numquam Chri-stus ábfuit sive iustitia vel quidquid ad veram iustitiam pertinet.

Responsorium

Lam 3, 25. 22b. 27

- R. Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánime querénti illum;
* Quia non defecérunt miseratioñes eius.
y. Bonum est viro, cum portáverit iugum ab adulescéntia sua. *
Quia non.

vel

Ex Tractátu "De Consideratióne" sancti Bernárdi

abbátis Claraevallénsis

(Lib. I, 7-8: Opera omnia, Edit. Cist. III, 403-404)

Consideratio divinarum et humanarum rerum scientiam confert

Si licéret quod debéret, absolúte per ómnia et in ómnibus praeferéndam, et vel solam, vel máxime coléndam eam, quae ad ómnia valet, id est pietátem, prorsus irrefragabilis rátio monstrat. Quid sit pietas quaeris? Vacáre consideratióni. Dicas fórsitan me in hoc disséntire ab illo, qui pietátem deffinivit cultum Dei. Non est ita. Si bene consideras, illius sensum meis expréssi verbis, licet ex parte. Quid enim tam pértinens ad cultum Dei, quam quod ipse hortátur in Psalmo: "Vacáte et vidéte quóniam ego sum Deus", quod quidem in pártibus consideratiónis praecipuum est? Quid déníque tam ad ómnia valens quam quae ipsius quoque actionis partes benigna quadam praesumptióne suas fácit, praeagéndo quodámmodo et praeordinándo quae agénda sunt.?

Et primum quidem ipsum fontem suum, id est mentem, de qua óritur, purificat consideratio. Deinde regit afféctus, dirigit actus, cōrrigit excéssus, compónit mores, vitam honéstat et órdinat, postremo divinárum páriter et humanárum rerum sciéntiam confert. Haec est quae confusa distérminat, hiántia cogit, sparsa cólligit, secréta rimátur, vera vestigat, veri similia exáminat, ficta et fucáta explórat. Haec est quae agénda praeórdinat, recogitat acta, ut nihil in mente resideat aut incorréctum, aut correctione egens. Haec est quae in prósperis advérsa praeésentit, in advérsis quasi non sentit, quorum áltérum fortitúdinis, áltérum prudéntiae est.

Ibi étiam advertére tibi est suavissimum quemdam concéntum comple-xumque virtútum, atque áltérā pendere ex áltera, sicut hoc loco vides fortitúdinis matrem esse prudéntiam, nec fortitúdinem, sed temeritátem esse quélibet ausum, quem non parturívit prudéntia. Haec item est, quae inter voluptátes et necessítates média, quasi quaedam árbitra, sedens, utrimque certis limitibus distérminat fines, istis assignans et praebens quod sat est, illis quod nimis est demens, et sic ex altérutro tértiam formans virtútem, quam dicunt temperántiam.

Nempe intemperántem ipsa consideratio censem, tam eum, qui necessáriis pertináciter demit, quam qui indúlget supérfluis. Non est ergo temperántia in solis resecándis supérfluis: est et in admitténdis necessáriis. Huius senténtiae Apóstolus non fautor tantum, sed auctor esse vidétur, qui curam carnis nostrae docet non perfici in desidério. Dicens siquidem "curam carnis non perfici", supérflua cōhibet; addens "in desidério", necessária non exclúdit. Unde mihi vidétur non omnino absúrde deffinire temperántiam, qui hanc nec praeecidere necessitátem, nec excédere dicat, iuxta illud Philósophi: "Ne quid nimis".

Iam de iustitia, quae una ex quattuor est, nonne constat consideratióne mentem praeveniri, ut se formet in ea? Se enim necésse est prius cōgitet, ut ex se normam ducat iustitiae, nec factúra útique

álteri, quod sibi fieri nolit, nec quod sibi velit fieri negatúra. In his nempe duóbus liquet integrum esse iustitiae statum. Sed nec ipsa solitária est.

Responsorium

Mt 11, 28-29

- R. Venite ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, * Et inveniétis réquiem animábus vestris.
V. Tóllite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde. * Et inveniétis.

Ad Laudes matutinasHymnus

1. Láudibus dignis celebrando festum Dávidis, vitae páriter sequámur, quae iste nobis imitanda tradit facta beatae.
2. Tempus attingens iuvenile fugit mundi honóres et temptationes, ut in eremo pénitit dicáret ómnia Christo.
3. Iussu Bernárdi liquit Claramvallem pergit in densos némorum recéssus, atque fundávit una cum Randulfo Claustrum Sanctórum.
4. Hic inops, lugens humulisque vivit, semper insistens manuum labóri; sólvitur curis, Dominóque soli, solus adhaéret.
5. Súpplices nos Te, Trinitas, precámur, ut viri tanti méritis pacáta, Ordini nostro tribuas eódem flámine ferri. Amen.

A. Schneider, Hauterive 10

Ad Benedictus, ant. In schola Bernárdi apprehéndit vitam et cognóvit Christum crucifixum. i T. Hauterive 4

Oratio


Deus, qui fámulum tuum David, mónachum, relictis ómnibus, in via salútis aetérnae tibi se totum devóvere dedisti; praesta, quaésumus,

ut nos quoque in spiritu paupertatis et cordis humilitatis tibi in fratribus deservire valeamus. Per Dóminum.

Ad Vespertas

Hymnus ut ad Laudes matutinas.

Ad Magnificat, ant. Postquam sexaginta annos in sacra militia perégerat, imminente iam morte vir Dei dixit: Concupiscit et déficit áнима mea in átria Dómini. viii T. Hauterive 14

**COMMUNE SANCTORUM MONACHORUM**Ad I VespertasHymnus1. Pro sancto monacho

1. Miles, qui fide lúmine prófluo
angústo séqueris trámite principem
Christum, te méritis dicere láudibus
nos laetos modo cóndecet.

2. Audis cum lóquitur verba ter áspéra;
pares non trépidus, déseris ómnia;
nam tanto Dómino iam tibi compláceret
vires trádere péctoris.

3. Quae iustos déceant súscipis ímpiger,
exérces dócilis casta siléntia;
his armis fruéris te quibus instruis
áudax in nova proélia.

4. Tu Patri assíduis psállere caélico
dum gaudes stúdiis, cordis anhélitu
orans asséqueris spléndida frátribus
eius dona poténtius.

(Si fuerit abbas, additur:)

5. Abbas discípulos sédulus erúdis,
praecláris sápiens móribus edócens
quae fortes cúpiant, quae Deus árdus
scandi cúlmina póstulet.

6. Exémplis, prémibus nos quoque cóncita,
ut caeli liceat praémia pérsequi,
ac tecum Dómino dicere ovántia
laudis cántica pérpetim. Amen.

Lentini p. 49

2. Pro pluribus sanctis monachis

1. Avéte solitúdinis
claustrique mites incolae,
oboediéntes, ímpigri
et caritáte férvidi.

2. Gemmas et auri póndera
et dignitátum cùlmina
calcástis et nutántia
quae mundus offert gáudia.

3. Rebus procul mortálibus
mens avolábat férvida,
divúmque iuncta coétui,
haerébat inter sidera.

4. Adéste nobis, Régulae,
quam vos amástis, ásseclis,
ut hanc tenéntes séduli
Christum sequámur principem.

5. Summo Parénti caélitum,
magnaéque Proli Virginis,
Sancto simul Paráclito,
sit summa laus et glória. Amen.

Psalmodia

Ant. 1 Gaudent in caelis ánime sanctórum, qui Christi vestigia sunt secuti; et quia pro eius amore saéculum sprevérunt, ideo cum Christo exsúltant sine fine (T.P. allelúa). vi T. AC2 540

Ps 109 (110).

Ant. 2 Fulgébunt iusti; et tamquam scintillae in arundinéto discúrrent. Iudicábunt natiónes, et regnábunt in aetérnum (T.P. allelúa). i T. AC2 539

Ps 112 (113).

Ant. 3 Iusti autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum (T.P. allelúa). iv T. AC1 43*

Ps 146 (147).

Ant. 4 Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustitiam, adépti sunt repromissiónes (T.P. allelúa) i T. AC1 44*

Ps 147 (147).

Ant. 5 O quam gloriósus est regnum, in quo cum Christo gaudent sancti mónnachi; amicti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque ierit (T.P. allelúa). vi T. AC2 540

Cant Ap 11, 17-18; 12, 10b-12a

Lectio brevis

2 Cor 4, 6-7

Deus illúxit in córdibus nostris ad illuminatiómem sciéntiae claritatis Dei, in fácie Christi. Habémus autem thesáurum in vasis fictili-bus, ut sublimitas sit virtútis Dei, et non ex nobis.

Responsorium

R. Sint lumbi vestri praecinti, et lucérnae ardéntes in mánibus

vestris. * Et vos similes hominibus exspectántibus dómínum suum, quando revertátur a núptiis (T.P. allelúa).
y. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. * Et vos.

1. Pro sancto monacho

Ad Magnificat, ant. Iste cognóvit iustitiam, et vidit mirabilia magna, et exorávit Altissimum, et invéntus est in número sanctórum. iv T. AC2 31*

T. P. ad Magnificat, ant. Beátus vir, qui métuit Dóminum, allelúa, in mandátis eius cupit nimis, allelúa. i T. AC2 32*

2. Pro pluribus sanctis monachis

Ad Magnificat, ant. Hi sunt viri misericórdiae, quorum iustitiae obli-viónem non accepérunt, cum sémine eórum pérmanent bona, haeréditas sancta nepótes eórum (T.P. allelúa). iv T. AC1 336

Preces

Iesum, qui sperántes in se non derelinquit, húmili deprecatione rogémus:

Deus noster, exáudi nos.

Iesus, custódi monastéria nostra cum habitatóribus suis,
- ut sit in eis domicílium tranquillitátis et pacis.

Iesus, qui fundátóres Ordinis nostri inspirásti, ut monastéria vin-culo caritatis inter se uniántur,
- fac, ut unánimo stúdio vitam regulárem colant et se oratióne et ópere adivent.

Iesus, qui Ecclésiam tuam civitátem in monte pósitam statuisti,
- fac, ut fervóre accénsi opéribus bonis ita studeámus, ut Pater caeléstis glorificétur coram homínibus.

Iesus, qui Patrem deprecáta es, ut omnes in te credéntes unum sint,
- da ut omnes in nómíne tuo baptizáti ad uniómem pervéniant per-féctam.

Iesus, glória et vita aetéerna fidélium,
- propinquos et benefactóres defúnctos sanctis tuis accénde et nos beátis aliquándo consócia.

Pater noster.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Invitatorium

Ant. Christum usque ad mortem oboediéntem, quem mónachi imitáti sunt,
* Venite adorémus.

Ad VigiliasHymnus1. Pro sancto monacho

1. Gaude, mater ecclésia,
Christi suffúlta grátia,
ob huius sancti mérita
nova deprómens cántica.
2. Athléta Christi válidus,
pauper, castus, oboédiens,
mundum calcans sub pédibus,
manum misit ad fórtia.
3. Pius, pudicus, húmilis
vivéndi normam praébuit;
in lege Christi dócilis
verbis, exémplis micuit.
4. Iesu, dulce refúgium,
spes nostra, te laudántium,
ob tanti viri méritum,
peccáti solve débitum.
5. Sit, Christe, tibi glória
pro multifórmī grátia,
qui mundi post haec stádia
das iustis vitae praémia. Amen.

HIBR n. 172

2. Pro pluribus sanctis monachis

1. Sanctórum chorus, Deus, tuo múnere
florifer campus, pace, bello fétilis:
lilia pace rosaéque militia
matúra messe condúntur manipulis.
2. Hi nempe viri bellatóres fúlgidi,
improbus praedo quibus non praevaluit,
secuti Christum cándido vestigio
ipsóque duce adépti felicia.
3. Agmina sancta, vinculátos córpore
súpplices vestro precum adiutorio,
spiritus iusti, sólvite compédibus,
finem felicem ut possimus cérnere.
4. Glória summae Trinitati débita,
simplici Deo honor, iubilatio
Patri Prolique Sanctóque Spiritui,
qui totum subdit suis orbem légibus. Amen.

Psalmodia I Nocturni

Ant. 1 Novit Dóminus viam iustórum, qui in lege eius meditántur die
ac nocte (T.P. allelúa). viii T. AC1 416

Ps 1.

Ant. 2 Praedicántes praecéptum Dómini constitúti sunt in monte sancto
eius (T.P. allelúa). i T. AC1 38*

Ps 2.

Ant. 3 Scuto bonae voluntatis tuae coronásti eos, Dómine (T.P. alle-
lúa). ii T. AC1 24*

Ps 5.

Ant. 4 In unívrsa terra glória et honóre coronásti eos (T.P. alle-
lúa). ii T. AC1 39*

Ps 8.

Ant. 5 Dómine, qui operáti sunt iustitiam, habitábunt in tabernáculo
tuo, et requiéscet in monte sancto tuo (T.P. allelúa). vi T. AC1
417

Ps 14 (15).

Ant. 6 Mirificávit Dóminus sanctos suos, et exaudívit eos clamántes
ad se (T.P. allelúa). vii T. AC1 416

Ps 15 (16).

Y. Respicite ad Dóminum, et illuminámini (T.P. allelúa).
R. Et fácies vestrae non confundéntur (T.P. allelúa).

Lectio prima

1. Sir 44, 1-15: "Nomen sanctorum vivit in generationem et generatio-
nem", cf. p. 264.

Responsoriū Corpora sanctórum, p. 264.

2. Eph 4, 1-7. 11-24: "Obsecro ut digne ambuletis vocatione qua vocati
estis", p. 147.

Responsoriū

Rom 12,2; Eph 4, 23-24

R. Reformámini in novitáte spiritus vestri, * Ut probétis

Psalmodia II Nocturni

Ant. 1 Haec est generatio quaerentium Dominum, quaerentium faciem Dei Iacob (T.P. alleluia). iii T. AC1 1*

Ps 23 (24).

Ant. 2 Exsultate, iusti, et gloriamenti, omnes recti corde (T.P. alleluia). viii T. PsM 858

Ps 32 (33).

Ant. 3 Clamaverunt iusti, et Dominus exaudivit eos (T.P. alleluia). 7 T. AC1 2*

Ps 33 (34).

Ant. 4 Beati, quos elegisti, Domine, habitabunt in atris tuis (T.P. alleluia). viii T. AC1 6*

Ps 64 (65).

Ant. 5 Domine Deus virtutum, beati omnes, qui sperant in te; non priu- vabis bonis eos, qui ambulant in aequitate; in saecula saeculorum laudabunt te (T.P. alleluia). vi T. AC1 422

Ps 83 (84).

Ant. 6 Plantati in domo Domini, in atris Dei nostri florebunt (T.P. alleluia). iv T. (Hauterive)

Ps 91 (92).

y. Haec est generatio quaerentium Dominum (T.P. alleluia).

r. Quaerentium faciem Dei Iacob (T.P. alleluia).

Lectio secunda

Textus proprius

vel

Ex Sermibus beati Guerrici abbatis Ignaciensis.
(In festo Omnia Sanctorum: PL 185, 205-207)

Prima virtus inchoantium est renuntiatio saeculi

Prima virtus inchoantum est renuntiatio saeculi, qua pauperes efficiuntur spiritu; secunda, mansuetudo, qua nos oboedienciae subdimus, et assuescimus; deinde, luctus, quo peccata plorantur, vel virtutes implorantur. Ibi nimis gustamus, unde amplius esuriamus, et sitiamus iustitiam, tam in nobis quam in aliis, zeloque contra peccantes incipimus commoveri. Sed ne zelus immoderatior in vitium feratur, sequitur misericordia, qua temperetur.

His ergo studiis, vel exercitiis, cum quis iustus et misericors esse didicerit, idoneus erit fortassis contemplationi vacare, et mundando cordi, quo Deus videatur, operam dare. Exercitatus autem et probatus tam in actione, quam in contemplatione, tum demum dignus erit, qui nomen et officium Filii Dei gerens, pater et minister factus aliorum, tamquam mediator et sequester pacificet inter ipsos et Deum; pacificet ipsos ad invicem, vel etiam ad eos qui foris sunt, sicut scriptum est in laude sanctorum patrum: "Pacificantes in domibus suis". In hoc officio qui fidelis et constans fuerit, saepe virtutem et meritum sibi martyrii comparabit, persecutionem patiens propter iustitiam.

Quantae autem gloriae, quamque copiose mercedis in caelo sit culmen huius perfectionis, inde utcumque licet aestimare, quod ipsa etiam abrenuntiantum saeculo primordia tantae Dominus praedicat felicitatis, ut dicat: "Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum". Plane beati qui, proiectis vilibus, sed gravibus sarcinulis huius mundi, nolunt divites fieri, nisi de solo Creatore mundi, propter ipsum, tamquam nihil habentes, et per ipsum omnia possidentes. An non possident omnia qui possident continentem et disponentem omnia, quorum Deus portio est et hereditas; qui ut nihil desit, timentibus eum, cetera prout expedire novit, dispensat ad utendum, et seipsum servat ad frumentum?

Hoc enim licet scientes tamen commonere vos velim, fratres, quod vera ac beata paupertas spiritus, plus est in humilitate cordis, quam in angustia rei familiaris; plus consistit in abdicatione superbiae, quam in contemptu substancialiae. Substantialia nonnumquam utiliter habetur; superbia numquam nisi damnabiliter retinetur. Parum igitur prodest renuntiare saeculi possessionibus, nisi renuntietur et moribus; immostultum ac ridiculum est nudari divitiis, et divitum implicari vitiis; pauperem fieri rebus, nec ditari virtutibus; relinquere omnia nec sequi Christum.

O praeclara hereditas pauperum! O beata possessio nihil habentium! quoniam non solum omnem sufficientiam nobis subministras, sed etiam ad omnem gloriam abundas, ad omnem laetitiam redundas, tamquam in sinu reposita superffluens mensura. Prorsus tecum sunt divitiae et gloria, opes superbae et iustitia.

Responsorium

r. Iste sanctus digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium trasit angelorum, * Quia in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione et aviditate in illa aeterna patria conversatus est (T.P. alleluia).

y. Vinculis carnis absolutus talentum sibi creditum Domino suo
cum lucro reportavit. * Quia in.

Psalmodia III Nocturni

Ant. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos (T.P. alleluia). 7 T. AC2 21*

Cant Sap 3, 1-6

Cant Sap 3, 7-9

Cant Sap 10, 17-21

y. Exsultent iusti in conspectu Dei (T.P. alleluia).

R. Et delectentur in laetitia (T.P. alleluia).

Evangelium et tertia lectio

1. Mt 11, 25-30: "Iugum meum suave et onus meum leve est", cf. p. 200.

Ex Sermónibus super Cántica Ioánnis abbátis de Forda, cf. p. 200.

Responsorium Tollite iugum meum, cf. p. 200.

2. Mt 19, 27-29: "Vos qui reliquistis omnia et secuti estis me, centum accipietis", cf. p. 72.

Ex Sermónibus sancti Bernárdi abbátis Claraevallensis, cf. p. 72.

Responsorium 1 Petr 1, 13. 15; Lev 11, 44

R. Succinti lumbos mentis vestrae, secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum: * Et ipsi in omni conversatione sancti sitis (T.P. alleluia).

y. Ego enim sum Dominus Deus vester: sancti estote, quia ego sanctus sum. * Et ipsi.

Ad Laudes matutinasHymnus1. Pro sancto monacho

1. Te, Christe, laude fulgida
beatus hic confessus est,
monasticae qui semitam
vitae petivit asperam.

3. Oratione per vigil
haerébat inter angelos,
crucemque portans strenuus
est aemulatus martyres.

(Si fuerit abbas, additur:)

2. Domo, propinquis, irritis
rebus relictis saeculi,
contendit ad aceléstia
Deumque solum quaesit.

4. Sic forma factus lúcida
gregemque pascens prvidus,
prodésse rite maliuit
quam praesidere subditis.

5. E pace demum céllulae,
messem repórtans uberem,
ad regna pacis pérpetis
te convocante tránsiit.

6. Sit, Christe, laus et glória
tibi, Patri cum Spíritu,
qui te fide sequéntibus
das tanta lucis prémia. Amen.

Lentini p. 48

2. Pro pluribus sanctis monachis

1. Salvéte, cedri Libani,
plantae viréntes Ordinis,
quae prata nunc caeléstia
implétis almo gérmine.

3. Vos angelórum cūriae
cingunt choréa pérpetim,
et irrigant purissimi
aeternitatis rivuli.

2. Vos Trinitatis glória
aeterna circumpléctitur;
vos aura Matris Virginis
mulcet piis favóniis.

4. O inclytæ propágines,
vestros iuváte filios;
in valle maesta débiles
nos roboráte súrculos.

5. Sit laus Patri, cum Filio,
similque dulci Flámini:
laeti quibuscum vivitis
in sempiterno lúmine. Amen.

AM 1124

Psalmodia

Ant. 1 Fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum, alleluia.
ii T. AC1 44*

Psalmi et canticum pro diebus festivis.

Ant. 2 Via ióstorum recta facta est, et iter sanctórum praeparatum
est (T.P. alleluia). ii T. AC1 43*

Ant. 3 Beati mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt (T.P. alleluia).
1 T. AC2 4*

Ant. 4 Sancti Domini Dominum benedicte in aeternum (T.P. alleluia).
i T. AC2 542

Ant. 5 Dabo sanctis meis locum nominatum in regno Patris mei, dicit
Dominum (T.P. alleluia). viii T. AC1 44*

Lectio brevis

Sir 44, 1-2. 7-8. 10-11

Laudémus viros gloriósos et paréntes nostros in generatiōne sua.
Multam glóriam fecit Dominus, magnificéntiam suam a saeculo. Omnes isti
in generatiōnibus gentis suae glóriam adépti sunt et a diébus suis ha-

bentur in laudibus. De illis nati sunt, qui reliquerunt nomen narrandi
laudes eorum. Sed hi viri misericordiae sunt, quorum pietates non fu-
erunt in oblivioni. Cum semine eorum permanenter, bona hereditas, nepotes
eorum, et in testamentis stetit semen eorum.

Responsorium breve

R. laetamini in Domino, * Et exultate iusti. Laetamini.

y. Et gloriamenti, omnes recti corde. * Et exultate.

T.P. R. Laetamini in Domino, et exultate iusti, * Alleluia, alleluia.

Laetamini.

y. Et gloriamenti, omnes recto corde. * Alleluia.

1. Pro sancto monacho

Ad Benedictus, ant. Iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad
Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur.

3 T. AC2 34*

T. P. ad Benedictus, ant. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert
fructum multum, alleluia. vii T. AC2 33*

2. Pro pluribus sanctis monachis

Ad Benedictus, ant. Vos, qui reliquistis omnia, et secuti estis me,
centuplum accipiatis, et vitam aeternam possidebitis (T.P. alleluia).

i T. AC2 541

Preces

Fratres, Iesum Christum mirabilem in sanctis suis, ut beatos vitae
monachalis assecelas aemulemur, suppliciter deprecemur:

Gratiam tuam nobis concede.

Ut memoris nos a Deo de caelis omni hora repici ab omni peccati
labe praeservemur:

Gratiam tuam nobis concede.

Ut maxime, cum ad opus divinum assistimus, divinae praesentiae con-
sci cum humilitate, et reverentia laudem Patri dicamus:

Gratiam tuam nobis concede.

Ut crucem nostram patienter portantes veri discipuli tui esse me-
reamur:

Gratiam tuam nobis concede.

Ut nos illa caritate qua Te ipsum hostiam Patri pro nobis obtulisti,
prompti simus vitam nostram pro fratribus ponere:

Gratiam tuam nobis concede.

Pater noster.

OratioOratio propria, qua deficiente:

Deus, cuius munere beatus N. omnia sua dereliquit, ut Christum pauperem
seque et humilem corde usque in finem perseveraret imitari, tribue,
quaesumus, eius intercessione, ut opus evangelicae conversationis,
quod in nobis coepisti, ipse perficias usque in diem Christi Iesu. Qui
tecum.

vel

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam sanctorum
monachorum exempla nos provocent; quatenus, quorum sollemnia agimus,
etiam actus imitemus. Per Dominum.

Pro abate

Excita, Domine, in Ecclesia tua Spiritum, cui beatus N., abbas,
servivit; ut eodem nos repleti, studeamus amare quod amavit, et opere
exercere quod docuit. Per Dominum.

Ad Tertiam

Ant. In patientia vestra, possidebitis animas vestras (T.P. alleluia).
i T. AC1 10*

Lectio brevis

1 Cor 13, 4-7

Caritas patiens est, benigna est caritas, non aemulatur, non agit
superbe, non inflatur, non est ambitiosa, non querit, quae sua sunt,
non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitatem, conga-
det autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia
sustinet.

y. gaudete et exultate, omnes sancti (T.P. alleluia).

R. Quoniam merces vestra copiosa est in caelis (T.P. alleluia).

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Sextam

Ant. Si culmen veri honóris quaéritis, ad caeléstem pátriam quantócius properáte (T.P. allelúa). 7 T. AC2 106

Rom 12, 9-13

Lectio brevis

Diléctio sine simulatione, odiéntes malum, adhaeréntes bono; caritáte fraternitatis invicem diligéntes, honore invicem praeveniéntes, sollicitudine non pigri, spiritu fervéntes, Dómino serviéntes, spe gaudéntes, in tribulatióne patiéntes, oratióni instántes, necessitatibus sanctórum communicántes, hospitalitátem sectántes.

Y. Laetámini, iusti, in Dómino (T.P. allelúa).

R. Et confitémini memóriae sanctitatis eius (T.P. allelúa).

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Nonam

Ant. Qui verbum Dei rétinent corde perfécto et óptimo, fructum afférunt in patiéntia (T.P. allelúa). i T. AC2 107

Phil 4, 4-7

Lectio brevis

Gaudéte in Dómino semper. Iterum dico: Gaudéte! Modéstia vestra nota sit ómnibus hominibus. Dóminus prope est. Nihil solliciti sitis, sed in ómnibus oratióne et obsecratióne cum gratiárum actiōne petitiōnes vestrae innotéscant apud Deum. Et pax dei, quae exsúperat omnem sensum, custódiet corda vestra et intellegéntias vestras in Christo Iesu.

Y. Iusti confitebúntur nómini tuo, Dómine (T.P. allelúa).

R. Et habitábunt recti in conspéctu tuo (T.P. allelúa).

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad II Vespertas

Hymnus ut ad I Vespertas.

Psalmodia

Ant. 1 Gaudent in caelis ánime sanctórum, qui Christi vestigia sunt secuti; et quia pro eius amóre saéculum sprevérunt, ideo cum Christo exsúltant sine fine (T.P. allelúa). vi T. AC2 540

Ps 109 (110).

Ant. 2 Fulgébunt iusti; et tamquam scintillae in arundinéto discúrrent. Iudicábunt natiónes, et regnábunt in aetérnum (T.P. allelúa).

Ps 111 (112).

Ant. 3 Iusti autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum (T.P. allelúa). iv T. AC1 43*

Ps 115 (116).

Ant. 4 Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustitiam, adépti sunt repromissiōnes (T.P. allelúa). i T. AC1 44*

Ps 132 (133).

Ant. 5 O quam gloriósum est regnum, in quo cum Christo gaudent sancti mónnachi; amicti stolis albis sequúntur Agnum quocúmque ierit (T.P. allelúa). vi T. AC2 540

Cant Eph 1, 3-10

Lectio brevis

Eph 1, 17-19

Deus Dómini nostri Iesu Christi, Pater glóriae, det vobis Spiritum sapiéntiae et revelatiónis in agnitióne eius, illuminátos óculos cordis vestri, ut sciátis quae sit spes vocatióne eius, quae divitiae glóriae hereditatis eius in sanctis et quae sit superéminens magnitúdo virtútis eius in nos, qui crédimus, secúndum operatióne poténtiae virtútis eius.

Responsorium breve

R. Sancti et iusti, * In Dómino gaudéte. Sancti.

Y. Vos élégít Deus in hereditátem sibi. * In Dómino.

T.P. R. Sancti et iusti, in Dómino gaudéte, * Allelúa, allelúa.
Sancti et iusti.

Y. Vos élégít Deus in hereditátem sibi. * Allelúa.

1. Pro sancto monacho

Ad Magnificat, ant. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntia sanctórum; honestávit illum in labóribus, et complevit labóres illius. iv T. AC2 30*

T. P. ad Magnificat, ant. Hic vir despiciens mundum et terrena triúmphans, divitias caelo cóndidit ore, manu, allelúa, allelúa. viii T. AC2 35*

2. Pro pluribus sanctis monachis

Ad Magnificat, ant. Beati estis sancti monachi, qui meruistis consortes fieri caeléstium virtutum, et perfici claritatis gloriae (T.P. alleluia). i T. AM 877

Preces ut ad I Vespertas.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

COMMUNE SANCTARUM MONIALIUM

Ad I VespertasHymnus

1. Sponsa, quae fidei lumine profluo angusto sequeris trámite principem Christum, te méritis dicere láudibus nos laeto modo condéces.
2. Audis cum loquitur verba ter áspora; pares non trépida, déseris ómnia; nam tanto Dómino iam tibi compláceret vires trádere péctoris.
3. Quae iustos déceant súscipis impigra, exérces dócilis casta siléntia; his armis fruéris te quibus instruis audax in nova proélia.
4. Tu Patri assiduis psállere caélico dum gaudes stúdiis, cordis anhélitu orans asséqueris spléndida ómnibus eius dona poténtius.
5. Exémplis, prémibus nos quoque concita, ut caeli liceat praémia pérsequi, ac tecum Dómino dicere ovántia laudis cántica pérpetim. Amen.

Lentini p. 49

Psalmodia

Ant. 1 Diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própria, amica mea (T.P. alleluia). vii T. AC2 480

Ps 109 (110).

Ant. 2 Quae est ista, quae progréditur sicut acérvus tritici vallátus liliis? (T.P. alleluia). AC1 192

Ps 112 (113).

Ant. 3 Fulcite me flóribus, stipáte me malis, quia amore lángueo (T.P. alleluia). i T. AC2 358

Ps 146 (147).

Ant. 4 Sicut lílum inter spinas, sic amica mea inter filias (T.P. alleluia). ii T. AC1 192

Ps 147 (147).

Ant. 5 Nigra sum, sed formosa, filiae Ierúsalem; ídeo diléxit me Rex, et intródúxit me in cubiculum suum (T.P. alleluia). 3 T. AC2 53*

Cant Ap 11, 17-18; 12, 10b-12a

2 Cor 4, 6-7

Lectio brevis

Deus illúxit in córdibus nostris ad illuminationem scíentiae claritatis Dei, in fácie Christi Iesu. Habémus autem thesáurum istud in va-sis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.

Responsorium

cf. Ps 44 (45)

R. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere pöpulum tuum, et domum patris tui, et concupiscet Rex spéciem tuam: * Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus (T.P. alleluia).

y. Induit te Dóminus vestimento salutis, et indumento laetitiae circúmdedit te. * Quóniam.

Ad Magnificat, ant. Gaude et laetáre, sponsa dilécta, quia ecce vénio, et habitábo in médio tui, dicit Dóminus (T.P. alleluia). i T. AC2 8

Preces ut ad I Vespertas de Communi monachorum, p. 288.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Invitatorium

Ant. Laudémus Deum nostrum, * In confessióne beátae N. (T.P. alleluia). vi T. AC1 83*

Ad VigiliasHymnus

1. Audi, Deus omnipotens, preces tuórum suplicum tuae praeclárae fámulae solímnia coléntium.

2. Insigna miris áctibus haec fulsit et virtútibus, lucérrna lucens ómnibus domo Dei manéntibus.

3. Haec fuit vivens hóstia
per huius vitae spátia,
mactávit in se vitia
crucis feréndo stigmata.

4. Huius, o Christe, glória
iam facta et victória,
ipsius per suffrágia
da nobis vitae gáudia.

5. Sit Trinitáti glória,
virtus, honor per saécula,
quae nos beátis caélitum
semper iuvet suffrágis. Amen.

HIBR n. 173

Psalmodia I Nocturni

Ant. 1 Meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper (T.P. allelúia).
iv T. AC1 276

Ps 18 (19).

Ant. 2 Haec est generátio quaeréntium Dóminum, quaeréntium fáciem Dei
Iacob (T.P. allelúia). iii T. AC1 1*

Ps 23 (24).

Ant. 3 Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium (T.P. allelúia).
iv T. AC1 97*

Ps 26 (27).

Ant. 4 Spécie tua, et pulchritúdine tua, inténde, próspero procede et
regna (T.P. allelúia). 7 T. AC1 66*

Ps 44 (45).

Ant. 5 Adiuvábit eam Deus vultu suo; Deus in médio eius, non commové-
bitur (T.P. allelúia). 7 T. AC1 66*

Ps 45 (46).

Ant. 6 Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui (T.P.
allelúia). viii T. AC1 50

Ps 47 (48).

℣. Notas mihi fecisti vias tuas (T.P. allelúia).
℟. Adimplébis me laetitia cum vulto tuo (T.P. allelúia).

Lectio prima

1. Cant 2, 1-17: "Amor et desiderium Sponsae", cf. p.

Responsorium Iam hiems, cf. p. 41.

Psalmodia II Nocturni

Ant. 1 Misericórdiam et veritátem diligit Deus, grátiam et glóriam
dabit Dóminus (T.P. allelúia). vii T. AC1 277

Ps 83 (84).

Ant. 2 Dóminus dabit benignitátem, loquéatur pacem in plebem suam (T.P.
allelúia). viii T. AC1 281

Ps 84 (85).

Ant. 3 Sicut laetántium ómnium nostrum, habitatio est in te (T.P. al-
lelúia). iv T. AC1 282

Ps 86 (87).

Ant. 4 Lux orta est iusto, et rectis corde laetitia (T.P. allelúia).
viii T. AC1 7*

Ps 96 (97).

Ant. 5 Cantáte Dómino cáanticum novus, laus eius ab extrémis terrae
(T.P. allelúia). vii T. AC2 17

Ps 97 (98).

Ant. 6 Custodiébant testimónia eius, et praecépta eius quae dedit il-
lis (T.P. allelúia). vii T. AC1 7*

Ps 98 (99).

℣. Gaudens gaudébo in Dómino (T.P. allelúia).

℟. Et exsultábit áнима mea in Deo meo (T.P. allelúia).

Lectio secundaTextus propriusvel

E Meditátivis Orationibus Guliélmi abbátis sancti Theodorici
(Meditatio VII: PL 180, 227-229)

Exquirit te facies mea; faciem tuam requiro!

"Tibi dixit cor meum: Exquisivit te facies mea; fáciem tuam, Dómi-
ne, requiram. Ne avértas fáciem tuam a me". Comparáre quidem fáciem

meam faciéi tuae, Dómine Deus, inspéctor et iudex córdium, temerárium nimis vidétur et insolens, cum, si introieris in iudicium cum servo tuo, non hábeat fácies iniustitiae meae, nisi fúgere a fácie iustitiae tuae. Sed, si donánte te, cáritas ardens excusáret, humilitas pia adiutuae. Sed, si paupertátem meam; fúgiant qui odérunt, ego non fúgerem a fácie tua. Altera enim praeſumit, áltera nutrit fidúciam. Harum ergo cónscius mihi non sum, sed amicum profiteor. Si enim intérrogas me, sicut intermihi non sum, sed amicum profiteor. Si enim intérrogas me, sicut intermihi non sum, sed amicum profiteor. Si enim intérrogas me, sicut intermihi non sum, sed amicum profiteor.

Sic interim, o visu desiderábilis! exquirit te fácies mea, fáciem tuam requiro, ne, óbsecro, avértas eam a me. Sed doce me interim, o aetéerna Sapiéntia, illustratione ipsius vultus tui, quae sit ista fáctio et fácies: quia, licet desidério alterius ad álteram contrabéscam, néutram tamen satis novi. Scio enim quia, si non est datum Paulo apóstolo ut vidéret in hac vita te fácie ad fáciem, et dilécto discípulo tuo, sicuti es, quod sic diligénti et sic dilécto non concéditur, non in David fáciem et fáciem, non possum desperáre, quod áudio de te áliquam speráre; non quod oblitus sim, quis sim; sed spero de indulgentia misericórdiae tuae; et quia licet misere in hoc proficiam, nolle te minus amáre ab ullo tuo amánte.

Quam atténtius possum, o Deus cordis mei, cónsulens ipsum vultum tuum, ut de eo super hoc iudicium meum pródeat, conclamante in hoc omni consciéntiae meae assénsu, vultum tuum hunc, et fáciem tuam invénio esse notitiam veritatis tuae; cui beátus pópulus fácies exhibens bonae voluntatis, iúbilat gáudium in Spiritu Sancto, et magni anni iubilaéi festum in contemplatione et fruitione ipsius veritatis tuae; in cuius étiam lúmine ámbulat, gressus suos et ómnia sua dirigens secundum iudicia iustitiae tuae.

Sed, o Dómine, licet ténebras ignorántiae nostrae et cecitatis humánae posúeris latibulum fáciei huius; tamen in circúitu tuo tabernáculum tuum, luminosi scilicet tui, sancti áliquid fuérunt, qui de lúminis et ignis tui contubérnio lucéntes et ardéntes, verbo et exemplo céteros illuminábant et accendébant, et huius supereminéntis notitiae tuae sollémne gáudium in futura nobis vita denuntiabant, qua vidéris sicuti es, vel fácie ad fáciem; interim vero per eos fúlgura veritatis illuxérunt orbi terrae, et illuxérunt coruscationes, ad quas hilatae rescunt, qui sanos habent óculos; commovéntur autem et conturbántur, qui diligunt ténebras magis quam lucem.

Responsorium

Ps 35 (36), 10. 8. 11

R. Apud te, Dómine, est fons vitae, et in lúmine tuo vidébimus lumen. * Quam pretiosa misericórdia tua, Deus (T.P. allelúia).

V. Praeténde misericórdiam tuam scíentibus te et iustitiam tuam his, qui recto sunt corde. * Quam pretiosa.

Psalmodia III Nocturni

Ant. Floréte flores quasi lílum, et date odórem, et frondéte in grátiā, et collaudáte cáanticum, et benedicite Dóminum in opéribus suis (T.P. allelúia). vii T. AC2 510

Cant Sir 39, 17-21

Cant Is 61, 10 - 62, 5

Cant Is 62, 4-7

V. Complácuit Dómino in te (T.P. allelúia).

R. Et in terra tua inhabitátur (T.P. allelúia).

Evangelium et tertia lectio

1. Lc 10, 38-42: "Maria optimam partem elegit", cf. p. 274.

Ex Sermónibus sancti Aelrédi abbatis Rievallénsis, cf. p. 274.

Responsorium Audi, filia, cf. p. 275,Hymnus Te, Deum, laudámus.Oratio ut ad Laudes matutinas.Ad Laudes matutinasHymnus

1. Te, Christe, laude fúlgida
beátae haec conféssa est,
monásticae quae sémitam
vitae petivit ásperam.

3. Oratióne pérvigil
haerébat inter ángelos,
crucémque portans strénuam
est aemuláta mártires.

2. Domo, propinquis, irritis
rebus relictis saéculi,
conténdit ad caeléstia
Deúmque solum quaésiit.

4. E pace demum céllulae,
messem repórtans úberem,
ad regna pacis pérpetis
te convocánte tránsiit.

5. Sit, Christe, laus et glória
tibi, Patri cum Spiritu,
qui te fide sequéntibus
das tanta lucis praémia. Amen.

Lentini p. 48

Psalmodia

Ant. 1 Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum (T.P. allelúia). 3 T. AC2 42*

Psalmi et canticum pro diebus festivis.

Ant. 2 Revértere, revértere, Sulamitis, revértere, revértere, ut in-tueámur te (T.P. allelúia). vii T. AC1 69*

Ant. 3 Ego dórmio, et cor meum vigilat (T.P. allelúia). 3 T. AC2 480

Ant. 4 Adiúro vos, filiae Ierúsalem, ne suscítetis diléctam quoadúsque ipsa velit (T.P. allelúia). iii T. AC2 482

Ant. 5 Diléctus meus mihi, et ego illi, qui pásctitur inter lilia (T.P. allelúia). ii T. AC1 192

Lectio brevis

Heb 12, 1a-2

Deponéntes omne pondus et circúmstans nos peccátum, per patiéntiam currámus propósitum nobis certámen, aspiciéntes in auctórem fidei et consummatórem Iesum, qui pro gáudio sibi propósito sustinuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera throni Dei sedet.

Responsorium breve

R. Fallax grátia et vana est pulchritúdo; * Múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Fallax grátia.

Y. Date ei de fructu mánuum suárum. * Múlier.

T.P. R. Múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. * Allelúia, allelúia. Múlier.

Y. Date ei de fructu mánuum suárum. * Allelúia.

Ad Benedictus, ant. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam (T.P. allelúia). 3 T. AC2 42*

Preces ut ad Laudes matutinas de Communi monachorum, p. 295.

Oratio

Oratio propria, qua deficiente:

Deus, cuius múnere beáta N. ómnia sua dereliquit, ut Christum páuperem sequi et húmilem corde usque in finem perseveráret imitári, tri-bue, quaésumus, eius intercessióne, ut opus evangélicaे conversatiónis, quod in nobis coépisti, ipse perficias usque in diem Christi Iesu. Qui tecum.

vel

Concéde, quaésumus, omnipotens Deus, ut ad meliórem vitam sanctárum moniálium exémpla nos pròvocent; quátenus, quarum sollémnia agimus, étiam actus imitémus. Per Dóminum.

Ad Tertiam

Ant. O quam pulchra est casta generátio cum claritaté (T.P. allelúia). 7 T. AC1 65*

Lectio brevis

1 Cor 13, 4-7

Cáritas pátiens est, benigna est cáritas, non aemuláatur, non agit supérbe, non inflátur, non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritátur, non cōgitat malum, non gaudet super iniquitatē, congádet autem veritati; ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet.

Y. Notas mihi fecisti vias tuas (T.P. allelúia).

R. Adimplébis me laetitia cum vultu tuo (T.P. allelúia).

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Sextam

Ant. Haec est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit (T.P. allelúia). i T. AC2 36*

vel, si non est virgo

Ant. Invénta bona margarita, dedit ómnia sua, et comparávit eam (T.P. allelúia). viii T. AC2 36*

Lectio brevis

Rom 12, 9-13

Diléctio sine simulatione, odiéntes malum, adhaeréntes bono; cari-tate fraternitatis invicem diligéntes, honore invicem praeveniéntes, sollicitudine non pigri, spiritu fervéntes, Dómino serviéntes, spe gau-déntes, in tribulatióne patiéntes, oratióni instántes, necessitatibus sanctórum communicantes, hospitalitatē sectántes.

Y. Gaudens gaudébo in Dómino (T.P. allelúia).

R. Et exsúltabit ánima mea in Deo meo (T.P. allelúia).

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Nonam

Ant. Pulchra es, et decóra, filia Ierúsalem, terribilis ut castrórum ácies ordináta (T.P. allelúia). i T. AC2 43*

Lectio brevis

Phil 4, 4-7

Gaudéte in Dómino semper. Iterum dico: Gaudéte! Modéstia vestra nota sit ómnibus hominibus. Dóminus prope. Nihil sollicite sitis, sed

in ómnibus oratióne et obsecratióne cum gratiárum actione petitiones vestrae innotéscant apud Deum. Et pax Dei, quae exsúperat omnem sensum, custódiet corda vestra et intellegéntias vestras in Christo Iesu.

y. Complácuit Dómino in te (T.P. allelúa).

R. Et in terra tua inhabitábitur (T.P. allelúa).

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad II Vespertas

Hymnus ut ad I Vespertas.

Psalmodia

Ant. 1 Diléctus meus lóquitur mihi: Súrgere, própera, amica mea (T.P. allelúa). vii T. AC2 480

Ps 109 (110).

Ant. 2 Quae est ista, quae progréditur sicut acérbus tritici vallátus liliis? (T.P. allelúa). AC1 192

Ps 110 (111).

Ant. 3 Fulcite me flóribus, stipáte me malis, quia amore lángueo (T.P. allelúa). i T. AC2 358

Ps 115 (116).

Ant. 4 Sicut lílum inter spinas, sic amica mea inter filias (T.P. allelúa). ii T. AC1 192

Ps 132 (133).

Ant. 5 Nigra sum, sed formósa, filiae Ierúsalem; ideo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubiculum suum (T.P. allelúa). 3 T. AC2 53*

Cant Eph 1, 3-10

Lectio brevis

Heb 13, 12-15

Iesus, ut sanctificáret per suum sanguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus igitur ad eum extra castra, impropérium eius portántes; non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquirimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium nómini eius.

Responsorium breve

R. Ducam eam in solitúdinem, * Et loquar ad cor eius. Ducam.
y. Et sponsábo eam mihi in fidem. * Et loquar.

T.P. **R.** Ducam eam in solitúdinem, et loquar ad cor eius. * Allelúa, allelúa. Ducam.

y. Et sponsábo eam mihi in fide. * Allelúa.

Ad Magnificat, ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum (T.P. allelúa, allelúa). viii T. AC2 37*

Preces ut ad I Vespertas de Communi monachorum, p. 288.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

* * *

OFFICIO DEFUNCTORUM**Ad Invitatorium**

Ant. Regem cui ómnia vivunt, * Veníte adorémus. ALC 1*

T.P. ant. 3 Alleluia, AC1 114

Ad VigiliasHymnus

1. Qui vivis ante saécula
vitaéque fons es únicus,
nos, Deus, morti obnóxios
culpaéque reos áspice.

2. Peccánti, Pater, hómini
poenam sanxísti intéritum,
ut, pulvis datus púlveri,
se súbderet piáculum.

3. Vitále sed spiráculum
quod indidísti próvidus,
aeternítatis pérmancet
germen immarcescibile.

4. Haec spes, hoc est solácium:
revirescémus, Dómine,
primúsque resurgéntium
ad te nos Christus rápiet.

Pro uno defuncto

5. Hoc vitae regno pérfrui
defúnctum praesta fámulum,
quem Christi fides imbuit,
quem almus unxit Spíritus.

Pro una defuncta

5. Hoc vitae regno pérfrui
defúnctam praesta fámulam,
quam Christi fides imbuit,
quam almus unxit Spíritus.

Pro pluribus

5. Hoc vitae regno pérfrui
da fratres in te mórtuos,
quos Christi fides imbuit,
quos almus unxit Spíritus.

6. Hoc regnum nobis própéra
e terris cum cessérimus,
ut concinámus ómnium
te finem, te principium. Amen.

Psalmodia I Nocturni

Ant. 1 Dírige, Dómine Deus meus, in conspéctu tuo viam meam. 7 T.
ALC 3*

Ps 5.

Ant. 2 Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam, quóniam non est in
morte, qui memor sit tui. viii T. ALC 3*

Ps 6.

Ant. 3 Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, dum non est qui rédimat,
neque qui salvum fáciat. viii T. ALC 4*

Ps 7.

Ant. 4 In loco páscuae ibi me collocávit. viii T. ALC 4*

Ps 22 (23).

Ant. 5 Delicta iuventútis meae, et ignorántias meas ne memineris, Dó-
mine. viii T. ALC 5*

Ps 24 (25).

Ant. 6 Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium. iv T. ALC 5*

Ps 26 (27).

Tempore paschali super praedictos psalmos dicitur Ant. 8 Allelúa.
i T. ut notatur in Officio T.P. AC1 103

Y. Misericórdiae tuae multae, Dómine (T.P. allelúa).

R. Secúndum verbum tuum vivífica me (T.P. allelúa).

Lectio prima

1. 1 Cor 15, 12-34: Resurrectio Christi spes fidelium, p. 39

vel:

2. 1 Cor 15, 35-57: Resurrectio mortuorum et adventus Domini, p. 138

vel:

3. 2 Cor 4, 16 - 5, 10: Dissoluta terrestris huius incolatus domo, ae-
terna in caelis habitatio comparatur, p. 230

vel:

4. Rom 8, 1-8: Qui suscitavit Iesum vivificavit et mortalia corpora vestra, p. 268

Responsoria ut in propriis locis notantur.

Psalmodia II Nocturni

Super psalmos 39, 40, 41, 42, 79 et 83, dicitur Ant. 3 Allelúia, 1 T., PsC 90

T. P. vero dicitur Ant. 8 Allelúia, 8 T., AC1 107.

In Quadragesima vero dicuntur cum predictis psalmis sequentes antiphonas:

Ant. 1 Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me: Dómine, ad adiuvándum me résponce. ii T. ALC 7*

Ps 39 (40).

Ant. 2 Sana, Dómine, ánimam meam, quia peccávi tibi. ii T. ALC 7*

Ps 40 (41).

Ant. 3 Sitívit ánima mea ad Deum vivum: quando véniam et apparébo ante fáciem Dómini? ii T. ALC 7*

Ps 41 (42).

Ant. 4 Discérne causam meam, Deus, de gente non sancta. 8 T. ALC 8*

Ps 42 (43).

Ant. 5 Excita, Dómine, poténtiam tuam, ut salvos fáciás nos. 1 T. ALC 8*

Ps 79 (80).

Ant. 6 Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine. viii T. ALC 9*

Ps 83 (84).

Y. Sitívit ánima mea ad Deum vivum (T.P. allelúia).

R. Quando véniam et apparébo ante fáciem Dómini (T.P. allelúia).

Lectio altera

1. E Sermónibus sancti Bernárdi abbátis Claraevallénsis, p. 40

2. E Sermónibus sancti Aelrédi abbátis Rievallénsis, p. 139

3. E Sermónibus beáti Guerrici abbátis Ignaciensis, p. 231

4. E Sermónibus beáti Oglérii abbátis Leocédii, p. 269

Responsoria ut in propriis locis notantur.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad Laudes matutinas

Hymnus

1. Spes, Christe, nostrae véniae,
tu vita, resurréctio;
ad te sunt corda et óculi
cum mortis dolor ingruit.

3. Vere nostros excípiens
languóres, pastor míserans,
tecum donásti cómpati
Patrísque in sinu cómmori.

2. Tu quoque mortis taédia
passus dirósque stímulos,
Patri, inclináto cápite,
mitis dedísti spíritum.

4. Apértis pendens bráchiis,
in cor transfixum pértrahis
quos moritúros ágravat
morbus vel maeror ánxius.

5. Qui portis fractis inferi
victor pandísti caélicas,
nos nunc doléntes érigere,
post óbitum vivífica.

Pro uno defuncto

Pro una defuncta

6. Sed et qui frater córpore
nunc dormit pacis réquie,
iam te beánte vigilet
tibique laudes réferat. Amen.

6. Sed et quae soror córpore
nunc dormit pacis réquie,
iam te beánte vigilet
tibique laudes réferat. Amen.

Pro pluribus

6. Sed et qui fratres córpore
nunc somno pacis dórmijunt,
iam te beánte vigilent
tibique laudes réferant. Amen.

Psalmodia

Ant. 1 Exsultábunt Dómino ossa humiliata. i T. ALC 10*

Ps 50 (51).

Ant. 2 Exáudi, Dómine, oratiómem meam, ad te omnis caro véniet. viii T. ALC 10*

Ps 64 (65).

Ant. 3 Me suscérpit dexterá tua, Dómine. v T. ALC 9*

Ps 62 (63).

Ant. 4 A porta inferi érue, Dómine, ániam meam. ii T. AC2 176

Cant Is 38, 10-14. 17-20

Ant. 5 Omnis spíritus laudet Dóminum. v T. ALC 10*

Ps 150.

Tempore paschali super praedictos psalmos dicitur Ant. 8 Al-
lelúia, 3 T. AC2 177

Lectio brevis

1 Th 4, 14

Si crédimus quod Iesus mórtuus est et resurréxit, ita et Deus eos qui dormiérint per Iesum addúcet cum eo.

Responsorium breve

R. Exaltábo te, Dómine, * Quóniam suscepisti me. Exaltábo.

V. Convertisti planctum meum in gáudium mihi. * Quóniam.

vel T.P.:

R. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepisti me, * Allelúia, alle-
lúia. Exaltábo.

V. Convertisti planctum meum in gáudium mihi. * Allelúia.

Ad Benedictus, ant. Ego sum resurréctio et vita: qui credit in me, étiam si mortuus fúerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non moriétur in aetérnum (T.P. allelúia, allelúia). i T. ALC 13*

Preces

Deum Patrem omnipoténtem, qui suscitávit Iesum Christum a mórtuis et vivificávit mortália cörpera nostra, deprecémur, clamántes:

Dómine, vivifica nos in Christo.

Pater sancte, nos consepúltos per baptismum in mortem cum Filio tuo et conresuscitátos in resurrectióne eius sic tríbue in novítate vitae ambuláre,

- ut étiam, cum mórtui fuérimus, cum Christo semper vivámus.

Próvidens Pater, qui dedísti nobis panem vivum, qui de caelo de-
scéndit, sancte semper manducándum,

- fac ut vitam aetérnam habeámus et resuscitémur in novíssimo die.

Dómine, qui Fílium tuum in agonía factum ab ángelo confortári dedísti,
- in éxitu nostro spe nos suávi consolári dignérис.

Qui tres púeros de médio ignis eruísti,
- libera ánimas defunctórum a poenis, quas pro peccátis patiún-
tur.

Deus vivórum et mortuórum, qui Iesum a mórtuis suscitásti,
- súscita defúnctos, et nos cum ipsis in glória aetéerna consti-
tue.

Pater noster.

Oratio

Preces nostras, quaésumus, Dómine, benignus exáudi, ut, dum extól-
litur nostra fides in Fílio tuo a mórtuis suscitáto, in huius fámuli
tui N. praestellanda resurrectióne, spes quoque nostra firmétur. Per
Dóminum.

vel:

Deus, glória fidélium et vita iustórum, cuius Fílli morte et resur-
rectióne redépti sumus, propitiare fámulo tuo N., ut, qui resurrectió-
nis nostrae mystérium agnóvit. aetérnae beatitúdinis gáudia percípere
mereátur. Per Dóminum.

vel:

Inclina, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam
tuam súpplices deprecámur, ut fámulum tuum N., quem in hoc saéculo tuo
pópulo misericórditer aggregásti, in pacis ac lucis regióne constituas,
et sanctórum tuórum concédas esse consórtem. Per Dóminum.

pro pluribus:

Deus, qui Unigénitum tuum, devicta morte, ad caeléstia transire
fecísti, concéde fámulis (N. et N.), ut, huius vitae mortalitaté de-
strúcta, te conditórem et redemptórem possint perpétuo contemplári.
Per Dóminum.

pro fratribus, propinquis et benefactoribus:

Deus, véniae largitor et humánae salútis amátor, quaésumus clemén-
tiā tuam, ut nostrarē congregatiōnis fratres, propinquos et benefactó-
res, qui ex hoc saéculo transiérunt, beáta María semper Virgine inter-
cedénte cum ómnibus sanctis tuis, ad perpétuae beatitúdinis consórtium
pervenire concédas. Per Dóminum.

Ad TertiamHymnus

1. Qui lacrimátus Lázarum
geménsque cum soróribus,
ipsum fecísti praépotens
illárum reddi stúdiis:

2. Da nobis, Christe Dómine,
tuo redémptis sanguine,
durae mortis tristitiam
in vitae verti gáudium.

Pro uno defuncto

3. Tuúmque voca fámulum,
ex hoc proféctum saéculo,
ut ubi mors iam déerit
te vitae canat príncipem. Amen.

Pro una defuncta

3. Tuámque voca fámulam,
ex hoc proféctam saéculo,
ut ubi mors iam déerit
te vitae canat príncipem. Amen.

Pro pluribus

3. Tuósque voca fámulos,
ex hoc proféctos saéculo,
ut ubi mors iam déerit
te vitae canant príncipem. Amen.

Ant. (pro uno defuncto vel una defuncta) Chorus angelórum te suscipiat et in sinu Abrahae ibi te cóllocet, ut cum Lázaro quondam páupere aetérnam hábeas réquiem. viii T. ALC 17*

Ant. (pro pluribus defunctis) Chorus angelórum vos suscipiat et in sinu Abrahae ibi vos cóllocet, ut cum Lázaro quondam páupere aetérnam habeátiis réquiem. viii T. ALC 18*

T.P. Ant. 7 Allelúa, i T. AC2 178

Lectio brevis

Iob 19, 25-26

Scio quod redemptor meus vivit et in novissimo super púlvore stabit; et post pellem meam hanc, quam abstraxérunt, et de carne mea vidébo Deum.

vel:

2 Mac 7, 9b

Rex mundi defúnctos nos pro suis légibus in aetérnam vitae resurrectionem suscitábit.

V. Quare tristis es, ánima mea, et quare conturbáris in me? (T.P. allelúa).

R. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi (T.P. allelúa).

Oratio ut ad Laudes matutinas

Ad SextamHymnus

1. Qui petivísti sóntibus
benignus indulgéntiam,
ac verba miserántia
dixísti poenae sócio.

2. Da nobis, Christe Dómine,
tuo redémptis sanguine,
durae mortis tristitiam
in vitae verti gáudium.

Pro uno defuncto

3. Tuúmque voca fámulum,
ex hoc proféctum saéculo,
ut ubi mors iam déerit
te vitae canat príncipem. Amen.

Pro una defuncta

3. Tuámque voca fámulam,
ex hoc proféctam saéculo,
ut ubi mors iam déerit
te vitae canat príncipem. Amen.

Pro pluribus

3. Tuósque voca fámulos,
ex hoc proféctos saéculo,
ut ubi mors iam déerit
te vitae canant príncipem. Amen.

Ant. Dona eis, Dómine, réquiem sempitérnam. iv T. ALC 15*

T.P. ant. 5 Allelúa, viii T. AC2 179

Lectio brevis

Sap 1, 13-14a. 15

Deus mortem non fecit, nec laetáatur in perditiónē vivórum; creávit enim, ut essent ómnia. Iustitia enim est immortális.

V. In médio umbrae mortis non timébo mala (T.P. allelúa).

R. Quóniam tu, Dómine, mecum es (T.P. allelúa).

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad NonamHymnus

1. Qui, móriens, discípulo
matrem donásti Vírginem,
tuórum quae fidélium
agóni adésset último.

2. Da nobis, Christe Dómine,
tuo redémptis sanguine,
durae mortis tristitiam
in vitae verti gáudium.

Pro uno defunto

3. Tuúmque voca fámulum,
ex hoc proféctum saéculo,
ut ubi mors iam déerit
te vitae canat príncipem. Amen.

Pro una defuncta

3. Tuámque voca fámulam,
ex hoc proféctam saéculo,
ut ubi mors iam déerit
te vitae canat príncipem. Amen.

Pro pluribus

3. Tuósque voca fámulos,
ex hoc proféctos saéculo,
ut ubi mors iam déerit
te vitae canant príncipem. Amen.

Ant. Audívi vocem de caelo dicéntem: Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur. ii T. ALC 22*

T.P. ant. 8 Allelúa, iv T. AC2 179

Lectio brevis

Is 25, 8

Praecipítabit mortem in sempitérnum et abstérget Dóminus Deus lácrimam ab omni fácie et opprórium pópuli sui áuferet de univérsa terra, quia Dóminus locútus est.

V. Exáudi, Deus, oratióne meam (T.P. allelúa).

R. Ad te omnis caro véniet (T.P. allelúa).

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad VesperasHymnus

1. Imménsae rex poténtiae,
Christe, tu Patris glóriam
nostrúmque decus móliens,
mortis fregisti iácula.

2. Infirma nostra súbdiens
magnúmque petens proélium,
mortem qua serpens vicerat,
victor calcásti móriens.

5. In lucem nos et réquiem
serénus iudex áccipe,
quos fides sanctae Triadi
devínxit atque cáritas.

3. Surgens fortis e túmulo,
pascháli nos mystério
peccáto rursus mórtuos
ad vitam semper innovas.

4. Vitam largíre grátiae,
ut, sponsus cum redieris,
ornáta nos cum lámpade
iam promptos caelo invénias.

Pro uno defuncto

6. Tuúmque voca fámulum,
qui nunc exúitus córpore
in regna Patris ínhiat,
ut te colláudet pérpetim. Amen.

Pro una defuncta

6. Tuámque voca fámulam,
quae nunc exúta córpore
in regna Patris ínhiat,
ut te colláudet pérpetim. Amen.

Pro pluribus

6. Fratres et omnes ádvoca,
qui nunc exúti córpore
in regna Patris ínhiant,
ut te colláudent pérpetim. Amen.

Psalmodia

Ant. 1 Placébo Dómino in regióne vivórum. 3 T. ALC 22*

Ps 114 (116 A).

Ant. 2 Dóminus custódit te ab omni malo: custódiat ániam tuam Dóminus. viii T. 23*

Ps 120 (121).

Ant. 3 Si iniquitátes observáveris, Dómine: Dómine, quis sustinébit? viii T. ALC 23*

Ps 129 (130).

Ant. 4 Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias. ii T. ALC 24*

Ps 137 (138).

Ant. 5 Omne quod da mihi Pater, ad me véniet: et eum qui venit ad me, non eiiciam foras. 7 T. ALC 20*

Cant Phil 2, 6-11.

Tempore paschali super praedictos psalmos dicitur Ant. 10 Allelúa, viii T. AC2 179

Lectio brevis

1 Cor 15, 55-57

"Ubi est, mors, victória tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?". Stímulus autem mortis peccátum est, virtus vero peccáti lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Iesum Christum.

Responsorium breve

R. In te, Dómine, sperávi: * Non confundar in aetérnum. In te.
V. Exultábo et laetábor in misericórdia tua. * Non confundar.

vel T.P.:

R. In te, Dómine, sperávi: non confundar in aetérnum. * Allelúa,
allelúa.
V. Exsultábo et laetábor in misericórdia tua. * Allelúa.

vel:

R. Réquiem aetérnam dona eis, Dómine, * Et lux perpétua lúceat
eis. Réquiem aetérnam.
V. Requiéscant in pace. * Et lux.

vel T.P.:

R. Réquiem aetérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis.
* Allelúa, allelúa. Réquiem aetérnam.
V. Requiéscant in pace. * Allelúa.

Ad Magnificat, ant. (Pro uno defuncto vel una defuncta) In Paradisum
dedúcant te Angeli: in tuo advéntu suscipiant te Mártires, et perdúcant
te in civitátem sanctam Ierúsalem (T.P. allelúa, allelúa). vii T.
ALC 27*

Ant. (pro pluribus defunctis) In Paradisum dedúcant vos Angeli: in
vestro advéntu suscipiant vos Mártires, et perdúcant vos in civitátem
sanctam Ierúsalem (T.P. allelúa, allelúa). vii T. ALC 27*

Preces

Christo Dómino, per quem fore sperámus ut corpus humilitatis
nostrae cónpori claritatis suae configurétur, acclamémus, dicén-
tes:

Tu es vita et resurréctio nostra, Dómine.

Christe, Fili Dei vivi, qui Lázarum amícum tuum a mórtuis susci-
tásti,
- ad vitam et glóriam defúnctos súscita, quos pretioso sanguine
redemiste.

Christe, maeréntium consolátor, qui in morte Lázari et adulescén-
tis ac pueris pius abstersisti lácrimas propinquórum,
- qui defúnctos suos collácrimant omnes consoláre.

Christe salvátor, déstrue in nostro mortáli córpore regnum peccá-
ti, ut, sicut ex hoc stipéndium mortis merúimus,
- sic in te vitam consequámur aetérnam.

Christe redémptor. résdice eos qui, te non cognoscéntes, spem
non habent,
- ut resurrectiōnem et vitam ventúri saéculi credant.

Qui, caeco, oculórum lúmine impertito, te conspiciéndi cópiam
dedisti,
- revéla vultum tuum defúnctis, qui adhuc tua luce privántur.

Qui terréstrem domum nostram huius habitatiónis sinis tandem dis-
sólvi,
- domum non manufáctam, aetérnam in caelis, nobis concéde.

Pater noster.

Oratio ut ad Laudes matutinas.

Ad CompletoriumHymnus

- | | |
|---|--|
| 1. Deus aetérnae glóriae,
Pater misericórdiae,
Sanctórum desidérium
et nostrum refrigérium. | 3. Non ut iudex aequissimus
poenis damnes ultricibus,
sed ignósce reátibus
et parce cruciátibus. |
| 2. Ecce, fideles ánime
ad te proclámant ánchie,
eárum in misériis,
Tu grátiae memineris. | 4. Christe Iesu dulcissime,
Redémptor clementissime,
defúnctis tu fidélibus
sis mitis ac propítius. |
| 5. Quo tibi, Regi glóriae,
triúmpho cum victóriæ,
in voce láudes cónsona
iucúnda dent praecónia. Amen. | |

P. 328

BIANCA

INDEX ALPHABETICUS CELEBRATIONUM

Aelredi Rievallensis, abbatis O.N., 12/1 (Memoria)	14
Aleydis de Scharbeke, virginis O.N., 12/6 (Memoria ad libitum)	126
Amedei, episcopi O.N., 30/8 (Memoria ad libitum)	206
Anselmi, episcopi et Ecclesiae doctoris, 21/4 (Memoria)	92
Ansgarii, episcopi, 3/2 (Memoria ad libitum)	44
Antonii, abbatis, 17/1 (Memoria)	22
Arausicanum Virginum Martyrum, 16/7 (Memoria ad libitum)	162
Augustini Cantuariensis, episcopi, 27/5 (Memoria ad libitum)	116
Augustini, episcopi et Ecclesiae doctoris, 28/8 (Memoria)	199
Basilii Magni et Gregorii Nazianzeni, episcoporum et Ecclesiae doctorum, 2/1 (Memoria)	5
Beatae Mariae Virginis Perdolentis, 15/9 (Memoria)	219
Bedae Venerabilis, presbyteri et Ecclesiae doctoris, 25/5 (Memoria)	110
Benedicti, abbatis:	
Sollemnitas, 11/7 (Sollemnitas)	143
Transitus, 21/3 (Festum)	76
Benedicti Anianensis, abbatis, 11/2 (Memoria ad libitum)	54
Bernardi, abbatis Claraevallensis et Ecclesiae doctoris, 20/8 (Sollemnitas)	184
Bernardi Calbó, episcopi O.N., 25/10 (Memoria ad libitum)	246
Birgittae, religiosae, 23/7 (Memoria ad libitum)	166
Bonifatii, episcopi et martyris, 5/6 (Memoria)	119
Brunonis, presbyteri, 6/10 (Memoria)	236
Columbani, abbatis, 23/11 (Memoria ad libitum)	281
Commemoratio fratrum, parentum, familiarium et bebefactorum O.N. ab anno defunctorum, 18/9	230
Commemoratio omnium defunctorum qui sub Regula S.P.N. Benedicti militaverunt, 14/11	268
Commemoratio parentum et fratrum nostrorum defunctorum, 20/6	138
Commemoratio superiorum O.N. defunctorum, 30/1	39
Commune Sanctorum Monialium	306
Commune Sanctorum Monachorum	293
Cyrilli, monachi, et Methodii, episcopi, Europae compatronorum, 14/2 (Memoria; in Europa: Festum)	60
David Hemmenrodensis, monachi O.N., 11/12 (Memoria ad libitum)	288
Eugenii III, papae O.N., 8/7 (Memoria)	140
Franchae, virginis et abbatissae O.N., 24/4 (Memoria ad libitum)	99
Franciscae Romanae, religiosae, 9/3 (Memoria ad libitum)	73

Gerardi, monachi O.N., 14/6 (Memoria ad libitum)	129
Gertrudis de Helfta, virginis O.N., 16/11 (Memoria; pro monialibus: Festum)	270
Gregorii Magni, papae et Ecclesiae doctoris, 3/9 (Memoria)	207
Gregorii VII, papae, 26/5 (Memoria ad libitum)	113
Gregorii Nysseni, episcopi, 10/1 (Memoria ad libitum)	8
Guarini et Amedei, episcoporum O.N., 30/8 (Memoria ad libitum)	203
Guerrici Igniacensis, abbatis O.N., 19/8 (Memoria)	181
Gulielmi Bituricensis, episcopi O.N., 10/1 (Memoria ad libitum)	11
Hedvigis, religiosae O.N., 16/10 (Memoria ad libitum)	242
Hieronymi, presbyteri et Ecclesiae doctoris, 30/9 (Memoria)	232
Hildegardis, virginis, 17/9 (Memoria ad libitum)	227
Humbelinae, monialis, 12/2 (Memoria ad libitum)	57
Ioachim et Annae, parentum B.M.V., 26/7 (Memoria)	169
Ioannis Gualberti, abbatis, 12/7 (Memoria ad libitum)	159
Isidori, episcopi et Ecclesiae doctoris, 4/4 (Memoria ad libitum)	89
Lutgardis de Aywieres, virginis O.N., 16/6 (Memoria)	132
Mariae Gabrielae Sagheddu, virginis O.N., 22/4 (Memoria ad libitum)	96
Marthae, Mariae et Lazari, hospitum Domini, 29/7 (Memoria)	175
Martini de Finajosa, abbatis O.N., 17/9 (Memoria ad libitum)	224
Martini Turonensis, episcopi, 11/11 (Festum)	250
Mauri et Placidi, discipulorum S.P.N. Benedicti (Memoria)	18
Mechtildis de Hackerborn, virginis O.N., 19/11 (Memoria ad libitum)	278
Norberti, episcopi, 6/6 (Memoria ad libitum)	123
Odonis, Maioli, Odilonis, Hugonis et Petri Venerabilis, abbatum Cluniacensium, 11/5 (Memoria)	102
Officium Defunctorum	316
Oglerii Leocediensis, abbatis O.N., 10/9 (Memoria ad libitum)	212
Omnium Sanctorum qui sub Regula S.P.N. Benedicti militaverunt, 13/11 (Festum)	262
Pachomii, abbatis, 15/5 (Memoria)	107
Petri de Castelnau, monachi et martyris O.N., 16/2 (Memoria ad libitum)	64
Petri Damiani, episcopi et Ecclesiae doctoris, 23/2 (Memoria)	67
Petri Tarantasiensis, episcopi O.N., 12/9 (Memoria ad libitum)	215
Raimundi de Fitero, abbatis O.N., 1/2 (Memoria ad libitum)	41
Roberti, Alberici et Stephani, abbatum et fundatorum O.N., 26/1 (Sollemnitas)	25

Romualdi, abbatis, 19/6 (Memoria ad libitum)	135
Sabbae, abbatis, 5/12 (Memoria ad libitum)	285
Scholastica, virginis, 10/2 (Memoria; pro monialibus: Festum)	47
Stephani Obazinensis, abbatis O.N., 8/3 (Memoria ad libitum)	70
Theodori Studitae, abbatis, 12/11 (Memoria ad libitum)	259
Vincentii Kadlubek, episcopi O.N., 9/10 (Memoria ad libitum)	239

-o-o-o-o-

INDEX GENERALIS

Abbreviationes fontium antiphonarum et hymnorum 3

Ianuarius

- | | | |
|----|--|----|
| 2 | SS. Basili Magni et Gregorii Nazianzeni, episcoporum et Ecclesiae doctorum (Memoria) | 5 |
| 10 | S. Gregorii Nysseni, episcopi (Memoria ad libitum) | 8 |
| 10 | S. Gulielmi Bituricensis, episcopi O.N. (Memoria ad libitum) | 11 |
| 12 | S. Aelredi Rievallensis, abbatis O.N. (Memoria) | 14 |
| 15 | SS. Mauri et Placidi, discipulorum S.P.N. Benedicti (Memoria) | 18 |
| 17 | S. Antonii, abbatis (Memoria) | 22 |
| 26 | SS. PP. NN. Roberti, Alberici et Stephani, abbatum et fun-
datorum O.N. (Sollemnitas) | 25 |
| 30 | In commemoratione superiorum defunctorum O.N. | 39 |

Februarius

- | | | |
|----|--|----|
| 1 | S. Raimundi de Fitero, abbatis O.N. (Memoria ad libitum) | 41 |
| 3 | S. Ansgarii, episcopi (Memoria ad libitum) | 44 |
| 10 | S. Scholastica, virginis (Memoria; apud moniales: Festum) | 47 |
| 11 | S. Benedicti Anianensis, abbatis (Memoria ad libitum) | 54 |
| 12 | B. Humbelina, monialis (Memoria ad libitum) | 57 |
| 14 | SS. Cyrilli, monachi, et Methodii, episcopi, Europae compa-
tronorum (Memoria; in Europa: Festum) | 60 |
| 16 | S. Petri de Castelnau, monachi et martyris O.N. (Memoria
ad libitum) | 64 |
| 21 | S. Petri Damiani, episcopi et Ecclesiae doctoris (Memoria) | 67 |

Martius

- | | | |
|----|--|----|
| 8 | S. Stephani Obazinensis, abbatis O.N. (Memoria ad libitum) | 70 |
| 9 | S. Franciscae Romanae, religiosa (Memoria ad libitum) | 73 |
| 21 | Transitus S.P.N. Benedicti, abbatis (Festum) | 76 |

Aprilis

- | | | |
|----|--|----|
| 4 | S. Isidori, episcopi et Ecclesiae doctoris (Memoria ad li-
bitum) | 89 |
| 21 | S. Anselmi, episcopi et Ecclesiae doctoris (Memoria) | 92 |
| 22 | B. Mariae Gabrieiae Sagheddu, virginis O.N. (Memoria ad
libitum) | 96 |
| 24 | S. Franchae, virginis et abbatissae O.N. (Memoria ad li-
bitum) | 99 |

Maius

- | | | |
|----|---|-----|
| 11 | SS. Odonis, Maioli, Odilonis, Hugonis et B. Petri Venera-
bilis, abbatum Cluniacensium (Memoria) | 102 |
| 15 | S. Pachomii, abbatis (Memoria) | 107 |
| 25 | S. Bedae Venerabilis, presbyteri et Ecclesiae doctoris (Me-
moria) | 110 |
| 26 | S. Gregorii VII, papae (Memoria ad libitum) | 113 |
| 27 | S. Augustini Cantuariensis, episcopi (Memoria ad libitum) | 116 |

Junius

- | | | |
|----|---|-----|
| 5 | S. Bonifatii, episcopi et martyris (Memoria) | 119 |
| 6 | S. Norberti, episcopi (Memoria ad libitum) | 123 |
| 12 | S. Aleydis de Scharbeke, virginis O.N. (Memoria ad libitum) | 126 |
| 14 | S. Gerardi, monachi O.N. | 129 |
| 16 | S. Lutgardis de Aywieres, virginis O.N. (Memoria) | 132 |
| 19 | S. Romualdi, abbatis (Memoria ad libitum) | 135 |
| 20 | In commemoratione parentum et fratrum nostrorum defunctorum | 138 |

Julius

- | | | |
|----|--|-----|
| 8 | B. Eugenii III, papae O.N. (Memoria) | 140 |
| 11 | S. P. N. Benedicti, abbatis, Patronis Europae (Sollemnitas) | 143 |
| 12 | S. Ioannis Gualberti, abbatis (Memoria ad libitum) | 159 |
| 16 | Beatarum Virginum Martyrum Arausicanarum (Memoria ad li-
bitum) | 162 |
| 23 | S. Birgittae, religiosae (Memoria ad libitum) | 166 |
| 26 | SS. Ioachim et Annae, parentum B.M.V. (Memoria) | 169 |
| 29 | SS. Marthae, Mariae et Lazari, hospitum Domini (Memoria) | 175 |

Augustus

- | | | |
|----|---|-----|
| 19 | B. Guerrici Igniacensis, abbatis O.N. (Memoria) | 181 |
| 20 | S. P. N. Bernardi, abbatis Claraevallensis et Ecclesiae
doctoris (Sollemnitas) | 184 |
| 28 | S. Augustini, episcopi et Ecclesiae doctoris (Memoria) | 199 |
| 30 | SS. Guarini et Amedei, episcoporum O.N. (Memoria ad libitum) | 203 |
| 30 | S. Amedei, episcopi O.N. (Memoria ad libitum) | 206 |

September

- | | | |
|----|---|-----|
| 3 | S. Gregorii Magni, papae et Ecclesiae doctoris (Memoria) | 207 |
| 10 | B. Oglerii Locediensis, abbatis O.N. (Memoria ad libitum) | 212 |
| 12 | S. Petri Tarantasiensis, episcopi O.N. (Memoria ad libitum) | 215 |
| 15 | Beatae Mariae Virginis Perdolentis (Memoria) | 219 |
| 17 | S. Martini de Finojosa, episcopi O.N. (Memoria ad libitum) | 224 |
| 17 | S. Hildegardis, virginis (Memoria ad libitum) | 227 |
| 18 | In commemoratione fratrum, parentum familiarium et bene-
factorum O.N. ab anno defunctorum | 230 |
| 30 | S. Hieronymi, presbyteri et Ecclesiae doctoris (Memoria) | 232 |

October

6	S. Brunonis, presbyteri (Memoria)	236
9	B. Vincentii Kadlubek, episcopi O.N. (Memoria ad libitum)	239
16	S. Hedvigis, religiosa O.N. (Memoria ad libitum)	242
25	S. Bernardi Calbó, episcopi O.N. (Memoria ad libitum)	246

November

11	S. Martini, episcopi (Festum)	250
12	S. Theodori Studitae, abbatis (Memoria ad libitum)	259
13	Omnium Sanctorum qui sub Regula S.P.N. Benedicti militaverunt (Festum)	262
14	In commemoratione omnium defunctorum qui sub Regula S.P.N. Benedicti militaverunt	268
16	S. Gertrudis de Helfta, virginis O.N. (Memoria; pro monialibus: Festum)	270
19	S. Mechtildes de Hackeborn, virginis O.N. (Memoria ad libitum)	278
23	S. Columbani, abbatis (Memoria ad libitum)	281

December

5	S. Sabbae, abbatis (Memoria ad libitum)	285
11	B. David Hemmenrodensis, monachi O.N. (Memoria ad libitum)	288
	Commune Sanctorum Monachorum	293
	Commune Sanctarum Monialium	306
	Officium Defunctorum	316
	Index alphabeticus celebrationum	329
	Index generalis	332